This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

46-11-2.

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

532014095X

i30295361

Digitized by Google

Periodo
11-5-6P

Digitized by Google

Digitized by Google

26424

PRÆCOGNITA
JURIS ECCLESIASTICI
UNIVERSI

OPERA

GEORGII SIGIS. LACKICS J. C.
et in regia Tyrnaviensi universitate Juris Ecclesiastici professoris Publici.

EDITIO PRIMA MATRITENSIS
IN USUM ACADEMIARUM HISPANARUM.

MATRITI,
TYPIS SOCIETATIS,
PRÆLA REGENTE JOANNE JOSEPHO SIGÜENZA ET VERA,
ANNO 1822.

Se hallará en la librería de Matute, *calle de Carretas.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO VALENTINÆ EDITIONI APPOSITA.

LECTORI.

Ex quo adornandæ hujus opusculi editionis provincia mihi fuit commendata, in id totis viribus incubui, lector optime, ut quemadmodum ceteris quæ hucusque prodiere, charthæ nitore, et characterum elegantia Hispana hæc nostra longe antecellit, emendatione pariter exactissima nequidquam illis cederet. In quo expediendo quid præstiterim, paucis habe. In primis Auctorum loca omnia, quorum opera invisere mihi fuit copia, modo in publicis, modo in privatis bibliothecis reposita, consului diligenter, quorum ope innumeras auctoritates suis disjunctas sedibus fideliter restitui: nonnumquam iisdem Auctoris verbis religiose servatis sed alio ordine dispositis, ipsius sententiam perspicuiorem reddere

Digitized by Google

studui: paucula quæ minus è re erant, et turbas excitare poterant, suppressi: Hispani nominis gloriam à doctissimo ceteroquin Georgio Sigismundo Lackics nonnihil suggillatam, dum spurias Isidori Decretales in Hispania confictas, et inde ad exteros traductas esse adfirmat, ut pro virili vindicarem, notam adjungere curavi, quæ non modo Collectionem Isidorianam neutiquam apud nostrates conflatam, sed etiam toto sæculo decimo prorsus ignotam fuisse convinceret: demum sphalmata typographica bene multa repurgavi.

Hæc sunt, benevole Lector, quæ te monitum volebam, quæque tui tantum demerendi studio, lubens præstiti. Non quia eo animo sim, ut opus hac qualicumque mea cura recusum illico numeris omnibus absolutum evasisse confidam;

Homo sum, humani nihil à me alienum puto: sed quia editionem hanc, si cum Viennensi et Veneta, quarum fuit copia, attente contuleris facile abs te præferendam sperem. Vale.

Digitized by Google

SYNOPSIS
DOCTRINÆ.

PRÆCOGNITA.
JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSI.

SECTIO I.
DE NATURA, ORIGINE, ET PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI.

CAPUT I.
De jure Ecclesiastico ejusque partibus.

I. *Non potest Ecclesia legibus carere.* . . . . . Pág. 3
II. *Quid jus Ecclesiasticum?* 3
III. *Quid jurisprudentia Ecclesiastica?* 4
IV. *Jus divinum et humanum.* 6
V. *Apostolicum et Ecclesiasticum.* 7
VI. *Publicum et privatum.* 8
VII. *Commune et particulare.* 10
VIII. *Particulare in Germania quotuplex?* 11
IX. *Jus vetus, novum, ac novissimum.* 11
X. *Quibus temporum intervallis circumscribendum?* 12

Digitized by Google

CAPUT II.

De origine ac progressu juris Ecclesiastici veteris.

XI. *Origo juris sacri est á Christo*... 13
XII. *Auxerunt Apostoli*..... 14
XIII. *Et successores illorum Episcopi*.. 16
XIV. *Pauci tamen prima ætate Canones fuerunt*..... 17
XV. *An exstiterit aliquis Codex Canonum primis tribus sæculis?*.... 18
XVI. *De Canonibus Apostolicis variæ sententiæ*..... 18
XVII. *Non possunt Apostolis adscribi*.. 20
XVIII. *Constitutiones Apostolicæ vulgo apocryphæ*..... 21
XIX. *Cujus sint ætatis?*..... 22
XX. *Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis*..... 24
XXI. *Quæ auctoritas?*..... 25
XXII. *Codex Græcorum auctus*..... 26
XXIII. *Sæculo septimo*..... 27
XXIV. *Codex Joannis Scholastici*..... 28
XXV. *De prisca canonum Latina editione*..... 29
XXVI. *Codex Dionysii Exigui*..... 31
XXVII. *Ejus auctoritas*..... 33
XXVIII. *Codex Ecclesiæ Africanæ*..... 34
XXIX. *Codex Ecclesiæ Hispanicæ*..... 37
XXX. *Collectio Martini Bracarensis*.. 39
XXXI. *Codex Ecclesiæ Gallicanæ*..... 40
XXXII. *Usus ejus quamdiu perstitit*.... 41
XXXIII. *Codex Ecclesiæ Germanicæ*..... 43
XXXIV. *Codex Ecclesiæ Anglicanæ*..... 44
XXXV. *Conclusio capitis*..... 45

Digitized by Google

CAPUT III.

De origine ac progressu juris Ecclesiastici novi.

XXXVI.	*Epocha juris novi*	47
XXXVII.	*Collectio Canonum Græcorum postrema*	47
XXXVIII.	*Photii Nomo-Canon*	49
XXXIX.	*Codex Isidorianus*	50
XL.	*Materia Codicis Isidoriani*	52
XLI.	*Plura ficta*	54
XLII.	*Capita præcipua systematis Isidoriani*	54
XLIII.	*Quomodo excepta sit hæc collectio?*	56
XLIV.	*Quando et à quibus impugnata?*	57
XLV.	*Quibus argumentis?*	59
XLVI.	*An satis firmis?*	60
XLVII.	*Exceptiones Recentiorum*	60
XLVIII.	*Examinantur*	61
XLIX.	*Quis usus hujus doctrinæ?*	63
L.	*Collectio Capitularium*	63
LI.	*Auctoritas Capitularium et usus*	65
LII.	*Collectio Rheginonis*	66
LIII.	*Collectio Burchardi*	67
LIV.	*Dictatus Gregorii VII.*	69
LV.	*An ejus sint, ambigitur*	71
LVI.	*Collectio Anselmi*	72
LVII.	*Collectio Ivonis*	73
LVIII.	*Quis et qualis fuerit Gratianus?*	75
LIX.	*Occasio et scopus decreti*	76
LX.	*Ejusdem nævi*	77
LXI.	*Emendare quis primum tentarit?*	78
LXII.	*Correctio Romana*	79
LXIII.	*Menda non omnia sustulit*	80
LXIV.	*Partes decreti*	87
LXV.	*Quid Paleæ?*	88

Digitized by Google

LXVI.	*Antiquæ decretalium collectiones.*	89
LXVII.	*Quæ sint.*	90
LXVIII.	*Causa collectionis Gregorii IX.*	91
LXIX.	*Quando confecta?*	92
LXX.	*Quam recte Raymundus eo labore sit defunctus.*	93
LXXI.	*Emendatio collectionis.*	94
LXXII.	*Quid habeat commodi?*	95
LXXIII.	*Respondetur objectioni.*	96
LXXIV.	*Materia et forma Collectionis.*	97
LXXV.	*Collectio Innocentii IV. et Gregorii X.*	97
LXXVI.	*Liber sextus decretalium.*	98
LXXVII.	*Clementinæ.*	100
LXXVIII.	*Extravagantes.*	101
LXXIX.	*Forma corporis Juris Canonici.*	101
LXXX.	*Auctoritas et usus decreti.*	102
LXXXI.	*Auctoritas decretalium.*	103
LXXXII.	*Ex usu et observantia.*	104
LXXXIII.	*Auctoritas Extravagantium.*	106
LXXXIV.	*Quid Rubricæ, Glossæ, Summaria?*	106

CAPUT IV.

De origine ac progressu juris Ecclesiastici novissimi.

LXXXV.	*Isidorianum Systema.*	107
LXXXVI.	*Sacerdotium et Imperium inter se commisit*	108
LXXXVII.	*Pactum Leonis VIII. cum Ottone I.*	108
LXXXVIII.	*Investituræ Episcopalis origo.*	113
LXXXIX.	*Quis eam primus impugnavit.*	114
XC.	*Quo eventu?*	115
XCI.	*Pactum cum Paschali II.*	116
XCII.	*Transactio Callixtina.*	118
XCIII.	*Jus regaliæ abdicat Otto IV.*	119

Digitized by Google

XCIV. *An valdè consultum Ecclesiarum libertati.* 121
XCV. *Concilium Pisanum.* 122
XCVI. *Quid? et quo eventu actum?* 123
XCVII. *Concilium Constantiense.* 124
XCVIII. *Capita reformationis.* 126
XCIX. *Concilium Basileense.* 128
C. *Initio ruptum illico restitutum est.* 128
CI. *Præcipua Concilii decreta.* 130
CII. *Novum schisma.* 132
CIII. *Concilium Florentinum.* 133
CIV. *Postulatis Germanorum.* 135
CV. *Annuit Eugenius.* 136
CVI. *Inde concordata Principum.* 137
CVII. *Concordatum Aschaffenburgense.* 138
CVIII. *Concordata Nationis Germanicæ.* . 139
CIX. *Sunt verum pactum.* 140
CX. *Et lex Imperii Germanici.* 141
CXI. *Proinde non potest iis Papa derogare.* 142
CXII. *Nec authentice interpretari.* 143
CXIII. *An sit locus præscriptioni?* 144
CXIV. *Concilium Pisanum.* 146
CXV. *Concilium Lateranense.* 147
CXVI. *Expectationi Germanorum non satisfecit.* 149
CXVII. *Concilium Tridentinum.* 150
CXVIII. *Ejus auctoritas.* 152
CXIX. *Pax Religiosa.* 153
CXX. *Pax Westphalica.* 154
CXXI. *Capita pacis Religiosæ.* 155
CXXII. *Capita pacis Westphalicæ.* 156
CXXIII. *Licite ne inita?* 157
CXXIV. *Declarationes Cardinalium.* 158
CXXV. *Quam vim habeant?* 159
CXXVI. *De ceteris Curiæ Romanæ legibus.* 160
CXXVII. *Regulæ Cancellariæ.* 161
CXXVIII. *Bullarium Magnum.* 162

Digitized by Google

CXXIX. *Ejus auctoritas*. 162
CXXX. *Collectio Sixti V*. 163
CXXXI. *Collectio Petri Matthæi*. 164
CXXXII. *Acta Conciliorum et Decreta*. . . 164
CXXXIII. *Collectiones Conciliorum particulares*. 168
CXXXIV. *Breviores Conciliorum collectiones*. 171
CXXXV. *Conclusio*. 172

Digitized by Google

SECTIO II.

DE PRINCIPIIS AC SUBSIDIIS JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ.

CXXXVI. *Ratio et ordo hujus sectionis.* 173

CAPUT I.

De Sacra Scriptura ejusque auctoritate.

CXXXVII. *Primus juris sacri fons est Sacra Scriptura.* 174
CXXXVIII. *Quæ libris constat.* 174
CXXXIX. *Ab Ecclesia probatis.* 175
CXL. *Sensus ejus præcipuus quis?* 176
CXLI. *Quæ in interpretando tenenda regula.* 178
CXLII. *Secernendum porro jus vetus à novo.* 179
CXLIII. *Quid de legibus Ante-Mosaicis.* . 182
CXLIV. *Scriptura novi testamenti.* 183
CXLV. *Quæ versio authentica?* 184
CXLVI. *Quo sensu?* 185

CAPUT II.

De traditione, consuetudine, et observantia Ecclesiastica.

CXLVII. *Quid sit traditio Ecclesiastica?* 186
CXLVIII. *Et quotuplex?* 187
CXLIX. *An dentur traditiones?* 188
CL. *Quæ auctoritas?* 189

Digitized by Google

CLI. *Criteria*. 190
CLII. *Divinæ traditionis*. 191
CLIII. *Et Apostolicæ*. 192
CLIV. *Traditiones piæ et vulgares quo loco habendæ?*. 193
CLV. *Quæ vis consuetudinis Ecclesiasticæ?*. 194
CLVI. *De vi observantiæ Ecclesiasticæ?*. 195

CAPUT III.

De auctoritate et usu Conciliorum.

CLVII. *Quid Concilium?*. 196
CLVIII. *Quid Concilium Œcumenicum?*. . . 167
CLIX. *Concilium generale quando legitimum?*. 198
CLX. *De his unde constare potest?*. . . . 200
CLXI. *Concilia generalia Orientalia*. . . 201
CLXII. *Concilia generalia Occidentis*. . . 205
CLXIII. *Objectum Concilii Ecclesiastici quale?*. 209
CLXIV. *An etiam negotia profana?*. . . . 210
CLXV. *Quæ auctoritas Concilii generalis circa fidem ac mores?*. 211
CLXVI. *Quæ circa disciplinam?*. 213
CLXVII. *Quæ Concilia particularia?*. . . . 214
CLXVIII. *Quanta auctoritas?*. 214
CLXIX. *Modo sint vera ac sincera*. 216

CAPUT IV.

De constitutionibus Romanorum Pontificum.

CLXX. *Constitutionum Pontificiarum*. . . . 217
CLXXI. *Circa dogmata auctoritas*. 218
CLXXII. *Quæ circa disciplinam?*. 219
CLXXIII. *An opus consensu Episcoporum?* . . 219

Digitized by Google

CLXXIV. *An, et quali promulgatione?* 220
CLXXV. *An consensus Principum?* 221
CLXXVI. *Quid si circa temporalia versentur?* 223
CLXXVII. *Quid Rescripti nomine veniat?* . . 224
CLXXVIII. *Quædam dantur ad prævium consultationem* 225
CLXXIX. *Quis? à quo? quibus in rebus impetrari potest?* 226
CLXXX. *Vitium precum quale?* 227
CLXXXI. *Quod rescriptum falsum?* 228
CLXXXII. *Genuini rescripti quæ vis?* 228
CLXXXIII. *Quid sit privilegium?* 230
CLXXXIV. *Vis privilegii?* 230
CLXXXV. *Quibus modis cessat privilegium?* 231

CAPUT V.

De auctoritate sanctorum Patrum.

CLXXXVI. *Patres Ecclesiæ Episcopi.* 232
CLXXXVII. *Proprie Patres, qui dicantur.* . . 233
CLXXXVIII. *Quæ Patrum auctoritas?* 233
CLXXXIX. *In rebus fidei ac morum.* 234
CXC. *In rebus aliis.* 236
CXCI. *An certior Pontificia?* 236
CXCII. *Regulæ de usu Patrum.* 237

CAPUT VI.

De summorum Principum constitutionibus.

CXCIII. *Principum constitutiones.* 238
CXCIV. *Quatenus huc pertinent?* 239
CXCV. *Regula prima.* 240
CXCVI. *Regula secunda.* 241
CXCVII. *Regula tertia.* 242
CXCVIII. *Regula quarta.* 243

Digitized by Google

CXCIX. *De usu juris Romani*. 243

CAPUT VII.

De interpretatione Juris Ecclesiastici ejusque subsidiis.

CC. *Utilitas hujus capitis*. 245
CCI. *Quid sit interpretatio?*. 245
CCII. *Quotuplex est?*. 246
CCIII. *Quid extensiva, quid restrictiva interpretatio?*. 247
CCIV. *Quid authentica, quid usualis?*. . 248
CCV. *Quid ex analogia petita?*. 248
CCVI. *Criticæ interpretationis necessitas*. 250
CCVII. *Ex libris juris probatur*. 250
CCVIII. *Adeundi sunt fontes*. 251
CCIX. *Consulendæ vetustiores collectiones*. 253
CCX. *Conferendi codices MSS*. 253
CCXI. *Adhibenda Critica scientia*. . . . 254
CCXII. *Interpretationes Grammaticæ*. . . 255
CCXIII. *Subsidia. Notitia linguæ*. 256
CCXIV. *Scientia rerum subjectarum*. . . . 257
CCXV. *Notitia librorum juris*. 258
CCXVI. *Recursus ad fontes*. 259
CCXVII. *Ratio legis quotuplex?*. 260
CCXVIII. *Unde ducatur?*. 261
CCXIX. *Hinc necessitas juris naturæ*. . . . 261
CCXX. *Et juris civilis publici universi*. . 262
CCXXI. *Tum et particularis Regnorum*. . . 263
CCXXII. *Historiæ et Antiquitatum Eccles.* 263
CCXXIII. *Chronologia et Geographia sacra.* 265
CCXXIV. *Historia Juris Ecclesiastici*. . . . 266
CCXXV. *Historia Jurisprudentiæ litterariæ*. 268
CCXXVI. *Conclusio*. 269

Digitized by Google

PRÆCOGNITA
JURIS ECCLESIASTICI
UNIVERSI
PROŒMIUM.

Ecclesiastici Juris doctrina amœna illa quidem et utilis, multis etiam omnino necessaria, eadem tamen perdifficilis est et obscura interdum atque implicata adeo, ut acutissimi quoque interpretes nonnumquam adhæreant. Obscuritatis causa potior est ipsa doctrinæ ipsius vastitas, ut quæ disciplinam sacrorum universam veterem et novam ambitu suo complectatur; tum rerum insignis quædam et varietas et vetustas. Quare sapienter utique ac verissime illi judicant, qui Sacri Juris studium ab earum rerum explicatione inchoandum esse præcipiunt, quarum rerum cognitio adolescentum mentes veluti præparet, et adversus illas, quæ, his tanquam levioribus neglectis, industriis etiam atque perspicacibus viris interdum obrepere solent, sine delectu olim probatas opiniones præmuniant. Certe mihi religioni fuit, docendi hanc legem tam insigni cum utilitate conjunctam temere negligere; eaque mihi scribendi hujus libelli causa fuit: in quo id dedi operam maxime, ut naturam disciplinæ istius partesque plane intelligenterque describerem; originem istius atque progressionem evolverem; locos porro ac veluti principia aperirem, à quibus momenta juris ad rationes peti debent, eorumque usum atque auctoritatem certis definitisque regulis cir-

Digitized by Google

cumscriberem; ac subsidia demum indicarem, quæ vocant hermeneutica, hoc est, eas conditionis humanæ partes, quæ, etsi ad Juris Ecclesiastici systema referri non debeant, eam tamen cum hoc necessitudinem habent, ut *Franciscus Florens* eximia vir, id quod omnes sciunt, canonicæ rei peritia non dubitaverit pronuntiare, non aliam fuisse causam potiorem, cur ætas superior ingenio utique atque industria nostra hac nihilo inferior, in hoc studii genere nihil magnopere profecerit, quam quod hi, qui ad id excolendum se contulissent, homines essent ab earum rerum intelligentia parum instructi, è quibus omnia sint hujus disciplinæ petenda ornamenta. Mearum partium fuit hæc tam multa tamque varia distribute ac scite uno opusculo complecti, plana et connexa oratione proponere, explicare dilucide et cum delectu. Rectene vero, an minus, consilium hoc non illaudabile executus sim, alii judicabunt. Sed meus in docendo candor vereor ne in reprehensionem incidat multorum, qui res non ex æquo sed ex cupiditatibus suis præconceptisque opinionibus æstimant, nihilque minus quam veritatem ferunt sibi inimicam. At quid refert

Dictis ignoscat Mutius, an non?

Succenseant, quibus volupe est, et vescantur glandibus, qui fruges respuunt. Per me id quidem semper licebit. Ego interim fruar imperii felicitate, sub quo et sentire liceat verum, et quod sentias, dicere. Nunc ad id, quod primo loco propositum est, argumentum venio.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE NATURA, ORIGINE, ET PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI.

CAPUT I.

DE JURE ECCLESIASTICO EJUSQUE PARTIBUS.

§. I.

Non potest Ecclesia legibus carere.

Societas Christianorum, quam accepto è divinis litteris nomine *Ecclesiam* dicimus, ordine carere atque externa per leges directione haud magis potest, quam alia quæcumque junctorum inter se vinculo sociali hominum multitudo. Etsi enim non humano illa arbitratu sed divino consilio instituta sit, et ad eum finem instituta, in cujus consequutione veram esse beatitatem sitam hominis, omnes, nisi qui desipiunt, et oraculum, et rebus ipsis factisque ostendunt; quia tamen hominibus constat, iisque, ut *Apostolus* ait, non eumdem actum habentibus, non est illa removenda nobis severa et inflexibilis legum æquitas, quæ sua cuique membro officia, sua jura pro auctoritate describat.

§. II.

Quid Jus Ecclesiasticum?

Istiusmodi *leges* ex re deinceps *Ecclesiasticas* compellabimus. Earum justu quædam et ordinata complexio est *Jus Ecclesiasticum*.

Digitized by Google

Schol. Jus Ecclesiasticum persæpe *Canonicum* etiam dicitur á voce Greca κανών, quæ Latinis regulam significat. Varia est vocis istius in scriptis ecclesiasticis acceptio. Vid. Joann. Doujat *Prænot. Canon. lib.* 1. *cap.* 1. Sed in primis frequens illa est, qua Ecclesiasticam constitutionem indicat. *Canonis* enim quam legis nomen antiquis Ecclesiæ tam Patribus quam Conciliis magis placuit; non quod ea re testati sint destitui se ferendæ legis propria vi, sed quod vocis istius lenitatem magis accommodatam existimaverint ad regimen Ecclesiæ moderatum ac lene, quam legis, quæ imperii quamdam severitatem videtur insinuare. Nonnumquam etiam *Sacrum*, alias *Pontificium* appellatur, ratione tam clara quam innocua, ut adversus Gundlingii spectra probavit Zallwein *disp.* 1. *Jur. Canon. cap.* 1. §. 2. Sunt hæc igitur nobis ejusdem disciplinæ varia dumtaxat nomina ut proinde nihil necesse sit jus *Canonicum* ab *Ecclesiastico*, vel ab utroque *Pontificium* distinguere, quod Struvius in Historia Juris fecit *cap.* 7. §. 1, et Christ. Gott. Hoffmann *in dissert. de auctorit. Jur. Can. ap. Evangel.*

§. III.

Quid Jurisprudentia Ecclesiastica?

Cognitio juris duplex esse potest, *vulgaris* una et *historica*, qualis eorum est, qui legibus Ecclesiæ quid præceptum sit, quid vetitum, quid item permissum rogati norunt dicere: at originem juris et causam non norunt. Altera est paucorum et *philosophica*, quæ in distincta et solida legum ex rationibus earumdem ducta cognitione sita est. Habitus cognitionis philosophicæ est *Scientia Juris Ecclesiastici*, seu *Jurisprudentia Ecclesiastica.* Alii eam paullo explicatius nec inconcinne sic definiunt, ut sit: *Habitus leges Ecclesiasticas scienter interpretandi, et negotia sacra ad illas rite explicandi.*

Digitized by Google

Quapropter duabus veluti partibus continetur, *theoretica*, et *practica*, quarum illa in legibus interpretandis atque intelligendis, hæc vero in iisdem prudenter applicandis versatur.

Cor. I. Ex his consequens est, ut *theoretica* Juris et *practica* simul cognitio conjuncta cum habitu et quadam celeritate judicii scientiam juris efficiat, quam qui in potestate sua habet, vere *Juris Sacri Consultus* dici possit. Proinde insipienter faciunt, qui praxim juris à theoria divellunt, et hac neglecta illam unice captant. Nam hoc quid est aliud, quam si, quod est in proverbio, quum cæcus sis, judicare velis de coloribus?

Cor. II. Apertum hinc est porro, à scientia Juris Sacri multum abesse, qui leges jactant, rationes earum causasque nesciunt; quive, quum verba legum ac prope syllabas memoria teneant, vim earum ac potestatem penitus ignorant, quos Legulejos alicubi per ignominiam Cicero nuncupavit.

Cor. III. Pessimum autem procul dubio est togatæ militiæ genus eorum, qui seu culpa seu dolo jus, quod non ignorant, perverse ad causas judicandas transferunt, alienisque calamitatibus venalem cupiditatem satiant. Horum inhumanas artes Gaspar Zieglerus non sine multo sale perstrinxit in tractatu, quem *de Arte Rabulistica* inscripsit.

Schol. Quare, me quidem auctore, non audietis homines, tametsi aliquo in Republica loco positos, qui theoreticam juris cognitionem non inutilem modo esse persuadere nobis conantur, sed adversam etiam usui sæpissime; quo fiat, ut Adolescentes, ex Academiis ad usum vitæ civilis traducti, in alium quasi orbem sibi delati videantur. Licet enim eveniat hoc quandoque, ut certo evenit, non id theoreticæ juris scientiæ, sed vel docentium, vel discentium, non raro parentum ipsorum vitium est, qui nullam propemodum molestius ferunt expensam pecuniam, quam quæ in discendis bonis litteris consumitur.

Digitized by Google

Verum multi sunt, inquies, qui præclaro prædíti ingenio, sine theoria, sola diuturna experiundi exercitatione tantam sibi juris notitiam comparaverint, quantam sæpe in theoretico desideraveris. Fateor, sed tamen aperta est certissimaque sententia Ciceronis: *Ars dux certior est quam natura.* Vellem profecto id de se quisque eorum, qui causas in foro publicas agunt privatasve, dicere possit, quod idem vir consularis gloriabatur in Bruto: *Tum primum nos ad causas privatas et publicas adire cœpimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus.* Conf. Bohmer *diss. de injust. theor. et praxeos oppositione.*

§. IV.

Jus Divinum et Humanum.

Juris Ecclesiastici, ut legum (§. II.) multiplex divisio est. Atque primum quidem origine inspecta *divinum* est, vel *humanum.* Illud *Deum* ipsum auctorem, hoc habet *homines* ferendæ legis potestate instructos. Et quum duplex omnino sit divinæ voluntatis cognoscendæ via, *rationis* una, altera *revelationis*; divinum porro vel *naturale* est, vel *positivum* veteris ac novi Testamenti libris comprehensum.

Schol. I. Jus naturale Ecclesiasticum non defuerunt maxime Protestantes qui scriberent. Huc refero Georg. Guil. Keuffel *Elementa Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ universalis* tom. 2. Rostoch. an. 1728. et 29. Breuning. *Primas lineas Juris Ecclesiastici universalis an.* 1758. Nettelbladt *Jurisprudentiam naturalem theoreticam Ecclesiasticam*, quæ exstat libro tertio Jurisprudentiæ naturalis. Achenwal *Jus Ecclesiasticum* in Elementis juris naturalis *lib.* 3. *cap.* 5. Canz *Jurisprudentiam socialem Ecclesiasticam tom.* 2. *disciplin. moralis.* Daries *Elementa Juris Ecclesiastici universalis in instit. Jurisp.*

Digitized by Google

univ. sect. 7. p. 499. conf. omnino Ill. de Martini, *de lege naturali* §. 222.

Schol. II. De Jure Hebræorum scriptores recensuit Buder *in Select. bibl. jur. cap. 2.* §. 1. Fabricius *in Bibliogr. antiquar. cap. 15. p. 733.* et Barth. *in Mantissa in Fabricii bibliogr. p. 59. seq.* Adde Joann. Dav. Michaëlis *Jus Mosaicum. Francof. an. 1770.* et, qui ad leges novi testamenti pertinet, libellum perelegantem: *Leges Ecclesiasticæ è Sac. Scriptura excerptæ.* Aug. Vindelic. 1773.

§. V.

Apostolicum et Ecclesiasticum.

Humani juris duæ possunt species præcipuæ constitui. Nam quum rogandæ legis jure et *Apostoli* essent à *Servatore* instructi, et fuerint deinceps, qui eorum loco et potestate regendis Christianorum cœtibus præfuerunt, Episcopi: nihil vetat *Jus Apostolicum* ab *Ecclesiastico* separare; illo nimirum, quod non ab Apostolis traditum accepimus, sed quod diversis et locis et temporibus Ecclesiarum Præpositi, quo necessitati populi Christiani pietative, consulerent, seu ipsi soli, seu junctis plurium suffragiis constitutum promulgarunt, et ad posterorum memoriam partim exaratum litteris, partim fideli Majorum traditioni creditum transmiserunt.

Cor. Jus igitur apostolicum humani juris species est, non divini (§. IV.) Qua ratione intelligi potest, quomodo factum sit, ut complura Apostolorum instituta veluti de abstinentia à sanguine, agapis, exomologesium gradibus, velatione mulierum, aliisque ejusdem generis ritibus in desuetudinem abirent. Ceterum hoc ad illa instituta pertinet dumtaxat, quæ ab Apostolis ipsis rogata sunt. Nam quæ illi accepta à Christo fidelibus tanquam legati ejus ac ministri tradiderunt, ea sane non *humana*

Digitized by Google

sed *divina* sunt instituta. Quod discrimen minime arbitrarium est, ut suo loco explicatius ostendam.

§. VI.

Publicum et Privatum.

Ex *objecto* deinde *publicum* est, vel *privatum*. Hoc in singulorum fidelium actionibus ad interiorem salutem dirigendis versatur. Illud vero non tam singula Ecclesiæ membra respicit, quam ipsam in universum Christianorum societatem. Nempe leges complectitur, quæ jura determinant atque officia non singulorum, sed divinæ hujus civitatis communia, eorumque cum primis, qui eidem cum potestate præsunt Episcopatus, ipsiusque adeo civilis Majestatis illa quæ potestate circa sacra continentur.

Schol. I. Nihil autem necesse est, quod nuper video placuisse Rauttenstrauchio, duas facere juris publici Ecclesiastici partes, *internum* atque *externum*: qua parte utramque vir doctus inter se rempublicam sacram et profanam comparat, mutuaque inter illas jura et officia expendit imitatione (sic enim conjicio) illorum, qui civitatum jura explicant, apud quod civilis juris publici interni et externi vulgatissima partitio est. Vereor enim, ut hæc quam in ea disciplina verissime tradita, tam ad jus sacrum transferri recte potuerint. Quo enim pacto mihi sinam persuaderi, quæ est civitatis unius, id est, gentis ad gentem, eamdem esse rationem Ecclesiæ ad Rempublicam, in cujus illa territorio exsistit? Jam quid si ego jus civile publicum instituam ita partiri, ut *internum* esse velim, quod statum civitatis in se spectatæ exponit, *externum* vero, quod habitum Reipublicæ ad Ecclesiam determinat; hoc ego inquam si coner, quisquamne est, qui probet? aut quid non potius vehementer improbet? Atque mihi quidem totum hoc, quidquid est à multis de Republica duplici acutius disputatum quam verius, non

Digitized by Google

placet profecto, omninoque mallem ob ea, quæ habet incommoda permulta, è disciplinis nostris prorsus exesse, ut est à me jam alibi traditum diligentius.

Schol. II. Nec muto sententiam, quamvis violati canonis Tridentini flagitium imputat iis, qui hæc tam belle efficta in controversiam revocant, Auctor dissertationis Academicæ *de Principis jure quoad vectigalia Ecclesiastica eorumque bona imponenda*, quæ Friburgi in Brisgovia prodiit. Sic enim ait (§. XV.) *Id qui neget, à Tridentina Synodo excommunicabitur.* Namque salva omnino res est. Neque enim Tridentini Patres hierarchiam divina ordinatione institutam esse ipsam Ecclesiam ajunt, quod hic vir aperte quidem, sed erronee adfirmat: sed hoc ajunt: *In Ecclesia Catholica esse hierarchiam* divinitus institutam, *quæ ex Episcopis, Presbyteris et Ministris constat.* Canon apertus est, nec tam inutili glossa implicandus fuit.

Schol. III. Jus Ecclesiæ Christianæ publicum non est illud quidem à Jurisconsultis scholasticis neglectum penitus: sed tamen parce admodum ac jejune ab illis tractatum fuisse negari non potest. Et quum præterea in eo explicando tamquam principiorum loco pseudo-Isidori commenta haberent, fieri profecto non potuit, quin pulcherrimam studii ipsius partem insigniter deformarent. Jus autem Principum Christianorum circa sacra boni isti viri ne attigerunt quidem; aut si quod ejus argumentum prætereire commode non poterant, ita pertractarunt, ut feciisse utilius videantur, qui omnino abstinuerunt. Nihil comminiscor. Sed exemplis abstineo, ut famæ parcam. Nostra ætate separari jus publicum Ecclesiæ à privato, et in systema quoddam doctrinæ cogi cœptum est: quod fieri oportere jam dudum Illust. ab Ickstadt prudenter monuit. Ceteris præfero Ant. Schmidt *Institutiones Juris Ecclesiastici Germaniæ accommodatas tom.* 1. *Heidlb. an.* 1771. et Ill. Viri Steph. Rauttenstrauch *Institutiones Juris Ecclesiastici tom.* 1. *Prag. an.* 1772.

Digitized by Google

§. VII.

Commune et Particulare.

Ecclesia porro Catholica, ad cujus salutem promovendam omne Jus Ecclesiasticum comparatum esse debet, è multis Christianorum cœtibus tamquam quibusdam partibus arctissima inter sese fidei, charitatis, Sacramentorum ac regiminis communione unitis componitur. Omnium horum cœtuum, etsi una sit atque eadem fidei regula immobilis atque irreformabilis, ut ait *Tertullianus*; reliquæ tamen ad disciplinam ac ritus pertinentes leges sine ulla communionis jactura multum sæpe discrepant. Hungariæ quam multa sunt in rebus causisque Ecclesiasticis propria Jura? Quam multa Germanis et Gallis? Quare Jus Ecclesiasticum in *commune* et *particulare* qui distribuunt, vera id justaque de causa faciunt. Nempe commune quod est, id per Ecclesiam totam aut pene totam pertinet: qualis olim fuit codex pervetustus, quem post Chalcedonense Concilium ex superiorum Synodorum Canonibus conflatum deinde ostendam; et hodie propemodum est collectio decretalium, quæ à *Gregorio IX.* Pontifice nomen habet. Particulare vero pro numero Ecclesiarum mire variat. Nam etiam primis temporibus suus fuit Ecclesiæ Africanæ codex, Romanæ suus. Alius apud Gallos; apud Hispanos item alius vim habuit auctoritatemque. Nec vero ad integras tantum *Nationes* hæc libertas pertinet; verum ad singulas etiam Nationum *provincias* et *diœceses*. Unde non inepte superiori divisioni *Jus speciale* singularum Ecclesiarum addideris.

Cor. Utrumque Jus tam commune quam particulare publicum est vel privatum (§. VI.)

Digitized by Google

§. VIII.

Particulare in Germania quotuplex?

Jus particulare Ecclesiæ Germanicæ tam publicum quam privatum aliud est *Catholicorum* tantum, aliud tantum *Protestantium*: aliud demum commune Catholicis et Protestantibus.

Schol. Joan. Franciscus Beselius *Jus publicum Romano-Ecclesiasticum.* Anonymi *Principia Juris publici Ecclesiastici Catholicorum.* Joan. Georg. Estor *Delineatio Juris publici Ecclesiastici Protestantium.* Just. Car. Wiesenhaurn *Practica axiomata* (vulgo maximas) *Juris publici Ecclesiastici Protestantium.* Just. Car. Wiesenhaurn *Primariæ Teses Juris Protestantium publici.* Joan. Christ. Majer *Germanicum Canonicum Jus publicum.*

§. IX.

Jus vetus, novum ac novissimum.

Addunt his scriptores recentiores aliam à tempore petitam divisionem, Juris scilicet *veteris*, *novi* ac *novissimi*. Nam quum satis constet omnibus Christianæ societatis fata fuisse non semper unius modi; regiminis quoque formulam aliquoties nonnihil mutatam fuisse: existimabant prudentissimi viri, non incommode Jus Ecclesiasticum universum ad eum modum posse circumscribi. Ejus autem temporis rationem ita video à plerisque initam, ut *vetus Jus* contineri velint Canonum ac regularum illis codicibus, qui ante *Gratiani* decretum, hoc est, ante sæculi duodecimi annum quinquagesimum confecti sunt: *Jus* vero *novum* decreto concludant, ceterisque Decretalium collectionibus, è quibus *corpus*, quod vocant, *Juris Canonici* componitur: omnia demum seu

Digitized by Google

Conciliorum decreta, seu constituta Pontificum, curiæque Romanæ placita, quæ hoc volumine recentiora sunt, ad *novissimum* referenda putent.

Schol. Vid. Illust. de Riegger *in Instit. Jurisprud. Ecclesiast. part.* 1. §. 432.

§. X.

Quibus temporum intervallis circumscribendum.

Displicuerunt hæc tametsi vulgatissima *clar. Rautenstrauchio* (1): nec, nisi valde fallor, sine justa ratione. *Gratianum* fateor pleraque veteris disciplinæ capita sic satis diligenter collegisse: fateor præterea opera hominis illius ac studiis novæ, quæ deinde invaluit, disciplinæ multum auctoritatis accessisse: originem tamen hujus antiquiorem *Gratiano*, et jam inde ab initio noni sæculi repetendam esse contendo. *Isidori* enim commenta quis nescit hodie? aut quis ignorat, antiquis Patrum institutis, quæ annis amplius octingentis omnis sanctissime venerata est Ecclesia, alia atque alia infligi cœpisse vulnera ex eo potissimum tempore, quo fictæ illæ decretales ætatis ejus seu inscitia seu ignavia tamquam genuinæ auctoritatem adeptæ sunt? Adeptæ vero sunt dudum ante *Gratianum*, ipso *celeberrimo Rieggero* fatente: *Epistolas Isidori Decretales* Gratiani *temporibus communi veluti usu receptas in maxima apud omnes fuisse auctoritate* (2). Quare si qua est omni ex causa mutatæ disciplinæ novi Juris figenda epocha, hujus procul dubio initia rectius ab *Isidori* quam *Gratiani* collectione repetemus. Defluxit autem nova hæc disciplina non ultra sæculum decimumquintum, sub cujus initia de restituendo antiquo Jure, tollendisque abusibus agitari consilia non infeliciter cœpta sunt. Ex his demum cona-

(1) *In Proleg. Juris Eccles.* §. 20
(2) *Diss. de Decret. Gratian.* §. 82. *p.* 186.

Digitized by Google

tibus natum est Jus, quod, nescio an apto satis nomine, novissimum compellant.

Schol. Quartam his epocham addidit Cl. Pichlerus in *brevi historia Juris Ecclesiastici*, his verbis: *Quarta demum ac præsens epocha, in qua veteris historiæ studium invaluit, tum et Ecclesiasticæ: nec non Juris Canonici correctionis, ejusdemque cum Regio Jure concordiæ. Et hoc merito nuncupari potest Jus vetustissimum-novum; novum quidem ex recenti ejusdem confectione; vetustissimum vero ob ejus fundamenta, quippe quod nihil à primæva sua Ecclesiæ constitutione aberrat.*

CAPUT II.

DE ORIGINE AC PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI VETERIS.

§. XI.

Origo Juris Sacri est à Christo.

Originem Juris Sacri ceteraque, quæ ad historiam ejus pertinent, dum explicare instituo, video mihi ab ipsis rerum Christianarum primordiis ducenda initia. Jam hoc enim primum satis omnibus constat, Ecclesiam ab ipso *Dei* filio *Jesu Christo*, dum humanam indutus naturam inter mortales versaretur, collectam esse atque institutam. Eamdem vero à sapientissimo fundatore ita fuisse conditam, ut eam ipse non relinqueret informem, sine structura certis legibus circumscripta, sine quadam ordinati regiminis formula; etsi divina scriptura, quod sæpe facit minimeque ambigue, eum nobis non exhiberet populi sui legislatorem, ipsa tamen fundamentalium legum necessitate (§. I.) adduceret, ut crederem.

Schol. At nunc in re, quæ oculis judicari potest, nihil argumentationibus opus est. Christus enim est, qui

Digitized by Google

nos divinæ hujus civitatis legem in salute animarum positam primus omnium explicate docuit Joann. VI. 38. 40. Ipse Rectores instituit, formamque ac modum perpetuum regiminis determinavit. Matth. XVI. 18. Ipse et pœnam, et pœnæ genus sancivit adversus eos, qui monenti Ecclesiæ temere ac per contumaciam morem gerere detrectant. Matth. XVII. 17. Ipse denique quam in rebus arduis atque ambiguis consultandi judicandique rationem tenere nos deceat, dilucide exposuit Matth. *loc. cit.* limitesque designavit, intra quos contineri debeat obediendi necessitas utrique supremæ potestati debita, Joann. XVIII. 36. Mitto alia permulta ejusdem generis, quæ divinos codices legentibus ignota esse minime possunt. Conf. Fenerlini *diss. de Christo novo legislatore. Goeting.* 1739.

§. XII.

Auxerunt Apostoli.

Collectam ita atque ordinatam fidelium multitudinem *Apostolis* regendam commendavit *Christus* (1) instructis quum aliis donis ad muneris expletionem necessariis, tum potestate quoque, qua jure possent constituere cetera, quæ ad ornandum supremi Numinis cultum idonea essent (2), et ordine alios parique cum auctoritate præficere futuros post se Christianorum cœtuum Gubernatores (3). Et vero satis constat, *Apostolos* data sibi divinitus potestate quam primum etiam usos fuisse. Docent enim hoc perspicue res ab iis gestæ: docent ad formandos Christianorum tam publicos quam privatos mores editæ præceptiones; quarum plena est Apostolicarum Epistolarum, Pauli cumprimis series (4). Exercebant autem

(1) *Joann. XX.* 21. *Luc. VI.* 13.
(2) *Luc. X.* 16. *Ad Cor. XI.* 34.
(3) *Act. I.* 26.
(4) *Doujat, lib.* 2. *cap.* 12. §. 15.

Digitized by Google

hanc potestatem *Apostoli* non singuli tantum, verum junctis etiam consiliis, quoties gravior quædam causa, cujusmodi Antiochena fuit in Hierosolymitano congressu composita, maturam deliberationem deposceret: eaque initia conventuum fuerunt, quos junior ætas *Concilia* seu *Synodos* appellavit.

Schol. Ut vero nolim ego, quot Eisengreinius, quot Annatus et alii, numeraré Apostolica Concilia; tria tamen Cabassutio haud ægre largiar. Vid. *Notit. concil. et Histor. Eccles. Sæc. I. p.* 27. Primum quod non multo post illapsum Spiritus Sancti ea de causa celebratum est, ut in locum Judæ proditoris alius in munere sacro Apostolus constitueretur. Actor. I. 26. Cabassutius *cit. loc.* Natalis Alexander *in Hist. Eccl. Sæc. I. dissert.* 6. Henr. Dodwell. *dissert.* 1. *in Cyprian.* §. 17. Alterum in quo electi sunt septem Diaconi. Natalis Alexander *Sæc. I. dissert.* 8. Bingham *orig. Eccles. lib.* 4. *cap.* 1. §. 1. *seqq.* Tertium Hierosolymis medio sæculo primo habitum est, cujus historiam descripsit S. Lucas Act. c. XV. Adde Natalem Alexandrum *Sæc. I. dissert.* 10. *et* 11. Joann. Spencer *de legib. Ritual. Hebr. p.* 588. *seqq.* et Christ. Lupus *ad Can.* 67. *Concil. Trull.* Quartum his adjiciunt, quod celebrasse dicuntur antequam prædicandi Evangelii causa à se invicem discederent, hoc consilio, ut quamdam doctrinæ formulam collatis symbolis componerent, qua veluti regula immobili fidei in populis instituendis uterentur. At, quoniam ad Rufini unum testimonium omnem videam reduci scriptorum in hac re consensionem, nondum satis apud animum meum constituere possum, quantum illi tribuendum esse judicem. Vid. Fabricium *in Cod. apocry. nov. testam. P.* 3. *pag.* 339. Bingham *lib.* 10. *cap.* 3. §. 5. Natalis Alexander *Sæc. I. dissert.* 12. Rupprecht *in not. histor. ad Jus Can. P.* 1. *pag.* 11. *seqq.* Antiochenum autem nescio quod Apostolorum concilium, cujus novem Canones descripsit Turrianus *lib.* 1. *cap.* 25. et ex illo Baronius *in*

Digitized by Google

annal. ad ann. 102. *n.* 19. omnino spurium est. Conf. Joann. Dallæus *lib.* 2. *de Pseud. epigr. Apostol. cap.* 22. 25. Pagius *in crit. ad ann.* 56. Natalis Alexander *Sæc. I. dissert.* 20. Gibert *in nota subjecta Espenii dissertationi in Synodum Nicænam secundam* §. 9. et Fabricius *loc. cit. pag.* 336.

§. XIII.

Et Successores illorum Episcopi.

Apostolorum exemplo, qui post illos Christianorum Ecclesiis præsidebant Episcopi, quin et ipsi, quas quisque cœtui suo utiles judicavit, aptasque leges præscripserint, seu singuli seorsim, seu congregati in Synodis, dubitare nos minime sinunt sincera, tametsi pauca primæ hujus ætatis Ecclesiastica monumenta. Copiosas quidem et frequentes Episcoporum Synodos non ferebat primis sæculis suspiciosa Magistratuum Romanorum aviditas, cui per leges mitium etiam Imperatorum in Christianos maxime Præpositos, crudeli esse impune licuit: coiisse tamen, quoties intermitteret sæviens tempestas, et condendis etiam Canonibus pietati fidelium, ordini ac disciplinæ publicæ consultum ivisse *Eusebius* nobis ac *Cyprianus*, et qui prior est utroque *Tertullianus* testes sunt. Hujus quidem insignis in hanc rem locus est in libro de jejunio. *Aguntur præterea* inquit *per Græcias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.*

Schol. Quem locum non dispicio quæ me cogat ratio ita interpretari, ut videatur Tertullianus celebrandarum Synodorum consuetudinem sua demum ætate in Ecclesiis Græcis inductam fuisse, significare, etsi hoc suadeat Mosheim.

Digitized by Google

§. XIV.

Pauci tamen prima ætate Canones fuerunt.

Modicum tamen præter leges à *Christo* (§. XI.) ejusque discipulis traditas (§. XII.) primis istis ac beatis temporibus Ecclesiasticorum Canonum fuisse numerum haud ægre credideriim. Sufficiebat coercendæ paucorum improbitati Apostolorum primum Episcoporumque sola auctoritas: severa deinde innocentis hujus ætatis lex, quæ in numero Christianorum neminem esse patiebatur sceleratæ vitæ sectatorem. Causæ vero, quæ tot post deinde regulas Ecclesiasticas pepererunt, hoc ævo nullæ, aut certo raræ exstiterunt. Equidem multa Romanorum Pontificum decreta hac ætate consignavit *Auctor* libri, qui *Pontificalis* inscribitur, ex quo Sandinus illa ac *Doujatius* commemorant: in vitis Pontificum ille; hic in Prænotionibus Juris Canonici. Multas præterea decretales eorumdem Epistolas octavo sæculo *Isidorus* produxit: sed ut hæc hujus viri commenta inanissima veri sunt, ita parum libro Pontificali sæpe constat auctoritas. Sane recentior hic esse liber videtur, quam ut firmum ex illo de antiquis adeo institutis, certumque depromere testimonium liceat. *Dionysii* quoque illius, cui *Areopagitæ* nomen est, *de Ecclesiastica Hierarchia* libri, si modo genuinum esse viri opus constaret, permultum, fateor, ad illustrandam horum temporum disciplinam conferre possent. Verum ut nunc sunt doctissimorum virorum de his pugnantia secum indicia, in obscuro posita sunt omnia.

Schol. De Pontificali erudite disseruit Schelstraten *tom.* 1. *Antiq. illustr. dissert.* 3. *cap.* 5. etsi vix in omnibus consentiam. De operibus Dionysii vide Colletum *Prælect. Theologic. tom.* 8. *dissert.* 5. et Dom. Mansi *ad dissert.* 22. *Sæc. I.* Natalis Alexandri.

Digitized by Google

§. XV

An exstiterit aliquis codex Canonum primis tribus sæculis?

Paullo certiora sunt, quæ de *Canonibus Apostolicis*, *Constitutionibusque* disputant eruditi. Certe fuerunt, inter quos *Beveregius* atque *Espenius* ceteris facile præstant, qui hanc ipsam Canonum Apostolicorum collectionem communem primitivæ Ecclesiæ Juris fuisse codicem ut persuaderent magno studio adnisi sunt. In quo mihi quidem non satisfaciunt. Canones tamen ipsos perantiquos esse, et à disciplina Græcorum hujus ævi plerosque non alienos, multis videntur et luculentis argumentis demonstrasse. Sed de hac tota re nonnihil diligentius nobis disceptandum est.

§. XVI.

De Canonibus Apostolicis variæ sententiæ.

De Canonum Apostolicorum tam *numero* quam *origine auctoritateque* non his demum postremis temporibus disceptari cœptum est, verum olim etiam Latina Ecclesia à Græca dissidebat. Græcos enim *quinque et octuaginta* Canones saltem post Trullanam Synodum constanter numerasse, eosque tamquam ab *Apostolis* editos eximia quadam veneratione coluisse certum est multisque exploratum testimoniis (1) At Latina Ecclesia ignotos sibi primum, simulacque in occidente vulgati sunt, Synodali decreto repudiavit (2) Invaluit tamen apud Latinos quoque sensim priorum quinquaginta auctoritas adeo

(1) *Vid. Beveregius dissert. de Apostol. Can. auctorit.* §. 2. *Thom. Bruno. dissert de Can. Apostol.* §. 5. *Espen Schol. ad Can.* 2. *Trull.*

(2) *Synod. Rom. ann.* 496.

Digitized by Google

ut etiam in causis indicandis pro legibus adhiberentur; verum ita tamen adhiberentur, ut nihil, quod de origine illorum decernerent, certi videantur atque explorati habuisse (1) Deseruit hanc majorum suorum in adserenda Canonum dignitate prudentem moderationem junior ætas. *Haloander* enim, ut multa alia veterum scripta, posteaquam istud quoque veteris Græciæ præclarum monumentum in lucem protraxisset, fuerunt illico egregia, ut illa ætas ferebat, doctrina viri, qui antiquitatis, ut opinor, capti studio, omnes quinque supra octuaginta Canones pro genuinis ac sinceris *Apostolorum* regulis reciperent (2) Hanc sententiam impugnare adgressi sunt Magdeburgenses Centuriatores conatu non infelici. Et quamquam *Franciscus Turrianus*, singulari pro his Canonibus scripto opusculo (3) causam eorum magna virium et ingenii contentione agere instituerit; eoque rem falsa veris, ut erat vir acumine mire valens, permiscendo adduxerit, ut plures eam, et in his *Binius* quoque, sententiam amplexi fuerint: dividendam tamen eamdem *Baronius* censuit; rejectis ceteris priores dumtaxat quinquaginta probans, quod ipsum etiam Bellarminus fecit. Verum hæc non magis quam illa *Turriani* sententia probare se diu peritioribus potuit.

Schol. I. Decretum, quo (§. XVI.) *liber Canonum apocryphus* diserte pronuntiatur, Gratianus noster Gelasio tribuit. An vero huic Pontifici omnino adscribi possit, ambiguum est vehementer ob ea, quæ à viris eruditissimis varie sunt ac docte in partem utramque disputata. Vid. Beveregius *in cod. Canon. primit. Eccles. vind. lib.* 1. *cap.* 9. Pearsonius *in Vindic. Ignat. P.* 1. *cap.* 4. Pagius *in Critic. ad ann.* 494. *num.* 3. et Espen *in dissert. de Canon. Apostol.* §. 6. Sententiam decreti contra Turrianum et Baronium vindicat Natalis Alexan-

(1) *Vid. Bevereg. cit. dissert* §. 4.
(2) *Espen cit. dissert.* §. 4.
(3) *Colon. ann.* 1569.

Digitized by Google

der *Sæc. I. dissert.* 18. Pagius *in Critic. ad ann.* 100. *num.* 10. et Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 2. §. 7.

Schol. II. Ipse adeo Isidorus Mercator homo à mendaciis minime alienus, quid de origine horum Canonum secum statueret, interdum videtur anceps hæsisse. Vid. *dist.* 16. *Can.* 4. quem huic, non Isidoro Hispalensi tribuendum esse jam ante me Ant. Augustinus vidit. Quod autem eo loco ait Isidorus, *synodali auctoritate* roboratos fuisse Canones Apostolicos, ejusdem rei testem habeo Anastasium Bibliothecarium in præfatione septimæ Synodi ad Joannem P. VIII. Synodus hæc Lateranensis fuit ann. 769. cujus acta edidit Cajet.. Cennius Romæ ann. 1736. et ante illum Luc. Holstenius *in Collect. Rom. P.* 1. *pag.* 257. *seq.* Conf. de Marca *lib.* 3. *cap.* 2. §. 6. Hinc Leo IV. Pontifex in Epistola ad Episcopos Britanniæ Canones Apostolorum iis Canonibus accenssuit, quibus *in Ecclesiasticis judiciis* jam tum utebantur; Canones inquam priores quinquaginta, quod constat ex responso Humberti dato Nicetæ apud Gratianum *distinct.* 16. *Can.* 3. Ex quo intelligi liquidissime potest, quid sibi velit Urbanus Pontifex, *dum Can.* 6. *distinct.* 32 ita scribit: *sciendum vero, quod Canonum Apostolicorum auctoritate Orientalis, et ex parte Romana utitur Ecclesia.*

§. XVII.

Non possunt Apostolis adscribi.

Atque hoc quidem, si quid ego indicare possum, non immerito. Etenim nemo unus ex iis, qui sæculo quarto superiores Christianorum res gestas scriptis prosecuti sunt, Canonum ab Apostolis editorum mentionem uspiam injicit. Quis est autem animo tam ad credendum proclivi, ut conditos ab ipsis *Christi* discipulis vel quinquaginta Canones sibi facile sinat persuaderi, de quibus omnis per tria omnino sæcula altissime silet anti-

Digitized by Google

quitas? Nihil enim commentitias veterum Pontificum à *Turriano* laudatas Epistolas moror, in quibus ad hanc expediendam controversiam nihil inesse præsidii evidentius est, quam ut probari debeat (1) Ad ipsa porro singulorum Canonum argumenta expendenda si quis conferre operam volet, nè is nullo pæne negotio deprehendet, quam sint multa in his Canonibus, quæ cum temporibus Apostolorum componi nullo modo queant.

SCHOL. Vid. Petri de Marca *lib.* 3. *cap.* 2. §. 5. Beveregius *lib.* 2. *cod. vind. cap.* 8. §. 2. Colletus *Prælect. Theolog. tom.* 8. *dissert* 1. *pag.* 566. et Natalis Alexander *citat. dissert.* Opposuit huic aliam novissime Constantinus à Castrovillare: sed huic quoque respondit accurate Ittigius, ut fidem facit Agrerus *in Prolus. ad de antiq. collection. Canon.*

§. XVIII.

Constitutiones Apostolicæ vulgo apocryphæ.

Constitutionum libri octo, qui perinde *Apostolorum* nomine inscripti sunt, et à *Clemente Romano* editi feruntur, incerti parentis fœtus sunt, et hanc ipsam ob causam auctoritatis parum firmæ. *Apostolis* enim profecto adscribi non possunt. Non repetam, quod superiore disputatione primo loco ponebam, è silentio omnium, qui sæculum quartum præcedunt, scriptorum petitum argumentum, cui quidem in hac non minus quam illa inesse pondus expendenti facile patebit. Illud quæro, si Apostolorum hæc Constitutiones sunt, quo modo in illis fit mentio paschalis controversiæ, quam altero demum sæculo natam esse in Ecclesia nemo nescit? Si Baptismum hæreticorum iterari jusserunt ipsi *Apostoli*, quo jure Ecclesia eum negavit esse repetendum (2)? Porro vult

(1) *Vid. Natalis Alexander cit. dissert. prop.* 3.
(2) *Lib.* 6. *cap.* 15.

Digitized by Google

Constitutionum istarum auctor quasi ex *Christi* ipsius præcepto minorem annis quinquaginta Episcopum non constitui, quod ego non putem Apostolorum cuiquam in mentem venisse, utpote qui sciam, *Timotheum* admodum juvenem Ephesinæ Ecclesiæ à *Paulo* fuisse præpositum (1) Ait deinde, editas has Constitutiones *à duodecim Apostolis Paulo præsente, ac septem diaconis* (2) Anne vero etiam *Stephano* præsente diaconorum primicerio, quem nemo ignorat ante *Pauli* conversionem martyrium obiisse? Similia his sunt permulta alia. Sed arbitror, ex his liquido constare, non esse istas Apostolicas Constitutiones, nec vero collectas à *Clemente*. Virum enim fuisse, *Clementem* et pium et doctum ab antiquis sæpe traditum est, Auctoris Constitutionum inscitiam multa sunt quæ produnt, cujusmodi illud est, quod huic homini *Apostoli* fari adhuc poterant etiam demortui. Deinde vanam esse hanc *Turriani* opinationem inde colligo, quod nec *Epiphanius*, nec *Athanasius*, nec *Eusebius* uspiam *Clementi* hoc opus tribuant.

Schol. Vid. Natalis Alexander *Sæc. I. dissert.* 19. Petrus Colletus *Prælect. Theolog. tom.* 8. *dissert.* 2. *pag.* 572. Guil. autem Whistoni *placida*, ut ille ait, *deliria* refellit accurate Joann. Clericus *in dissert. de Constit. Apostol.* §. 11. *seqq.*

§. XIX.

Cujus sint ætatis.

Quo vero tempore, aut à quo conditi sint Canones Apostolici? Quando, aut à quo collectæ Constitutiones? ambigua lis est. Alius aliis eas collectiones temporibus vindicat. Canones *Beveregius* labente secundo sæculo, aut certe initio tertii ab Ecclesiis Apostolicis conditos, et in hanc, qua nunc sunt, formam collectos statuit (3)

(1) *Lib.* 2. *cap.* 1. *Cof. Bingham lib.* 2. *cap.* 10. §. 1
(2) *Lib.* 8. *cap.* 4.
(3) *In Cod. Canon. prim. Eccles. vind.*

Digitized by Google

Eosdem Dallæus nec à viris Apostolicis editos, nec ante quinti sæculi finem collectos disputat (1). Mediam inter utrumque viam ingressus vir doctissimus *Joan. Guil. Janus* materiam quidem collectionis pervetustam fatetur, ut quæ mores et instituta Christianorum maxime Græcorum, et in Orientis regionibus secundo et tertio sæculo viventium complectatur; formam tamen ejus hac ætate recentiorem, et ad initia fortasse quarti sæculi referendam statuit (2) Hanc ego sententiam ceteris duabus omnino prætulerim. Multa certe sunt, quæ prius illud ut credam penitus persuadent (3) Nec abnuo si quis Constitutiones Apostolicas in eamdem conferre ætatem volet (4) Nam quod *Philippus Baratierius* eas sub initium secundi sæculi exaratas fuisse contendit (5) id quidem ejusmodi est, ut persuaderi, opinor, possit quam paucissimis.

SCHOL. At ex iis, inquies, nondum mihi vel de anno liquet, vel de auctore vetustæ compilationis. Dicam ingenue, nec mihi liquet. Multa quidem eruditi scripta sunt, sed quæ tamen non minime confellunt. Petrus de Marca Canones Apostolicos in Concilio *Iconii* habito ann. 258. collectos suspicabatur, motus duobus argumentis, quæ Beveregius planissime refellit apud Coteler. *volum.* 1. *p. m.* 437. Thomas Bruno de Leontio Tripolitano Lydiæ Episcopo perperam quidem disputat *Vit. dissert.* §. 6. sed persuasit nemini. Fuerunt apud Caveum *in Hist. litterar. vol.* 1. *pag.* 105. qui libros constitutionum Hippolyto Martyri tribuebant; sed conjecturæ quæ ratio? Vim passos iniquam hos libros Trullani Patres testati sunt. An, quod Usserius voluit, hujus facinoris reum eumdem putabimus, qui Ignatii Epistolas interpolavit? Albaspinæi de his codicibus sententia nemini est igno-

(1) *Lib. 2. de Pseudo epigr. Apostol.*
(2) *In dissert. de Antiq. Canon. Apostol.*
(3) *Bevereg. Cod. vind. lib. 1. cap. 6. et 13. Pearson. vind. Ignat. P. 2. cap. 4.*
(4) *Vid. Dom. Mansi in Collect. nov. Concil. tom. 1. pag. 3.*
(5) *Dissert. de Constit. Apostol.*

Digitized by Google

ta *ex lib. 1. observ. cap.* 13. sed hanc ipsam alii somnium appellant apud Arrighium *de Jure Pontific. pag.* 52. Non absimili librariorum inscitia Clementis Romani pro Clemente Alexandrino adscriptum nomen opinabatur Seb. Gerardus, et ante hunc Beveregius *in not. ad Can. ult. Apost. ap.* Coteler. *vol.* 1. Sed hæc quoque suspicio ancipiti fundamento nititur, Quare nihil restat, quam ut aperte fateamur, ignorari à nobis, quod nescire nos juniores majores nostri voluerunt.

§. XX.

Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis.

Lætior quidem sub initium quarti sæculi fuit rerum christianarum facies, maxime ex quo *Constantinus* debellatis tam imperii quam religionis veræ æmulis huic pacem ac libertatem, illi securitatem ordinemque virtute sua adseruit. At hæc ipsa tamen ab externis malis securitas causa existitit, mortalium, non suo vitio, laxatæ morum disciplinæ, intestinorumque motuum, qui haud mitius interdum quam gentilis olim furor civitatem Dei vexabant. His causis evenit, ut jam eo sæculo aliquot synodi habitæ fuerint ad exstinguenda vitia, quæ cito grassari licentius cœperant: ut *Ancyrarum* in Galatia ann. 314. (1) *Neocesarcense* in Ponto ann. 315. (2) *Nicænum* ann. 325. (3) *Gangrense* in Paphlagonia ann. 325. (4) *Antiochenum* ann. 341. (5) *Sardicense* ann. 337. (6)

(1) *Vid. Espen. dissert. in Synod. Ancyran.*

(2) *Espen. dissert. in Synod. Neocæs. de Marca lib.* 3. *cap.* 3.

(3) *Espen. dissert. in Synod. Nicæn. Natalis Alexander Sæc. IV. diss.* 11. 12. 18. *De Marca lib.* 5. *cap.* 3.

(4) *Espen. dissert in Synod. Gangr. Gunding. Ex. in Concil. Gangr. Schelvig. Exercit. in Can. Conc. Gangr.*

(5) *Espen. diss. in Conc. Antioch. Natalis Alexand. Sæc. IV. diss.* 26.

(6) *Espen. dissert. in Synod. Sardic. de Marca lib.* 5. *cap.* 4. *Natalis Alexander. Sæc. IV. dissert.* 27. *Christ. Lupus diss. in Synod. Sardic.*

Digitized by Google

Laodicenum (1) et *Constantinopolitanum I.* ann. 381. (2). Ex his Conciliis confectus est *Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis* in centum sexaginta quinque capita descriptus. Auctor ejus incertus est (3). Canones non distributè tamquam diversorum Conciliorum regulas, sed perpetua serie numerabat. Ejus autem numeri sic est ineunda ratio, ut *viginti* canonibus Nicænis adjiciantur, *quatuor et viginti* Ancyrani, *quatuordecim* Neocæsareenses, *viginti* Gangrenses, tum *vinginti et quinque* Antiocheni, cum *tribus* Concilii Constantinopolitani, et *quinquaginta novem* Synodi Laodicenæ: è quibus omnibus simul sumptis exsistit is canonum numerus, quem *Dionysius Exiguus* in præfatione Codicis prænotaverat.

Schol. Quæsitum est à multis, cur nulli sint in hoc ordine canones Ancyranenses, nulli Sardicenses; sint autem Antiocheni? Porro, cur numerus Canonum non sit idem apud Dionysium, qui apud Zonaram et Balsamonem? de quibus vid. Franc. Florens *in dissert. de orig. Jur. Canon. tom.* 1. *pag.* 25. Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. 3. et Petr. Gibert. *tom.* 1. *pag.* 236.

XXI.

Quæ auctoritas?

Codicis istius, in rebus ac judiciis Ecclesiasticis, eam fuisse auctoritatem, eumque usum cum libris Evangeliorum ad decidendas quæstiones ambiguas adhiberi solitum, satis constat, inquit *Mauza*, Chalcedonensis Concilii exemplo, à quo hunc Codicem publicè donatum auctoritate habet pro explorato (4). Ego etsi nollim

(1) *Espen dissert. in Synod. Laod.*

(2) *Natalis Alexander dissert.* 36. 37. 38. *Espen dissert. in Synod. Constant. Vesporenius Hist. Concil. Œcum. secund.*

(3) *Doujat lib.* 3. *cap.* 3. §. 2.

(4) *In Hist. leg. Eccl.* §. 32.

Digitized by Google

ire inficias, hanc ipsam, aut certe huic similem aliam canonum collectionem eo in Concilio adhibitam fuisse, è qua relectæ sint Patrum antiquæ regulæ (1): et si porro non negem, usitatum ex hoc inde tempore in Conciliis fuisse morem, ut duo in medio collocarentur Codices, Sacrarum Litterarum alter, alter Canonum Ecclesiasticorum, ut peti inde quidem dogmata ad fidem pertinentia, hinc obortæ de disciplina controversiæ possent definiri (2); confirmatum tamen Codicem ipsum, aut hunc de quo agimus, aut alium quemquam à Patribus, nihil adfertur, quod persuadeat (3). Fraudi fuit viris doctis canon primus Concilii Chalcedonensis: *A sanctis Patribus in unaquaque synodo usque nunc prolatas regulas teneri statuimus*: quæ quidem canonis verba regulas in superioribus Synodis prolatas pro legibus deinde communibus haberi oportere probant; Codicem vero, ex quo relectæ sunt, Patrum judicio tamquam authenticum confirmatum esse, nisi valde fallor, minime probant.

§. XXII.

Codex Græcorum auctus.

Hoc ipsum tamen Patrum Chalcedonensium decretum causam fuisse perhibent *Stephano Ephesino*, ut superiori Codici canones Concilii Constantinopolitani in illo prætermisos, Ephesini porro *septem*, tum *octo et viginti* Chalcedonensis adjiceret (4): ex quo nata sit altera *ducentis et septem* canonibus constans collectio, quam sub nomine *Codicis canonum Ecclesiæ universæ* Justellus edidit (5). Displicuit hæc inscriptio *Francisco Florenti* (6),

(1) *Vid. Espen dissert. de Cod. Can. Græc.*
(2) *Vid. Arrighius pag.* 24.
(3) *Vid. Berardus tom.* 1. *in præfat.*
(4) *Doujat, lib.* 3. *cap.* 4. §. 3.
(5) *Tom.* 1. *Bibl. pag.* 29.
(6) *Citat. dissert. de Orig. Jur. Can.*

Digitized by Google

et *Petro de Marca*, nec probatur *Espenio*. Defendunt *Justellus* et *Mastricht*, propterea quod, etsi Occidentalium Synodorum canones in hoc Codice nulli essent, sensim tamen usu ipso Ecclesia universa suum fecisse videatur. Hunc Codicem innuit *Justinianus Imp.* quando *legum vicem obtinere* decernit *sanctos Ecclesiasticos canones à sanctis quatuor Synodis editos vel confirmatos*. Nov. 131.

Schol. Ignatius Mulzerus non hunc, sed illum quem Theodorito Cyrensi tribuit Doujat. *lib.* 3. *cap.* 5. Turrianus vero Constantino cuidam *lib.* 1. *de Canon. Apost. cap.* 28. Antonius Augustinus Joanni Scholastico, à Justiniano confirmatum putat *loc. cit.* §. 33. Vid. Espen *cit. dissert.* §. 4. Theoditi vero Codicem ab eo, qui est Joannis Scholastici, nihil differre, pluribus nec contemnendis argumentis probat Justellus in præfatione *tom.* 2. *Bibl. Jur. Canon. Veter.* et post hunc Gerh. van Mastricht *in Hist. Jur. Eccl.* §. 169.

§. XXIII.

Sæculo septimo.

Hoc jure Græci usi sunt usque ad sæculum septimum. Eo sæculo quum *Synodus Trullana* præter canones, quos ipsa edidit, *centum* et *duos*, multa alia aliarum Synodorum Patrumque decreta adsensu probasset, inque usum Ecclesiæ Græcæ recepisset, incertum quo auctore, superiori Codici cuncta hæc adjecta sunt. Inde nova Græcis, eaque amplissima Ecclesiasticarum regularum collectio nata est, quæ deinde *viginti duobus* Concilii Nicæni secundi, et *septem* ac *viginti* Constantinopolitani quarti canonibus auctior, ipsa illa est collectio, qua in formandâ Ecclesiæ suæ disciplina usi sunt Græci, qui communionem sacrorum cum Latinis retinebant.

Schol. Exstat apud Justellum *in Bibliot. Jur. Ca-*

Digitized by Google

non. tom. 2. p. 1. seqq. Conf. Espen *in dissert. de Codice canonum Ecclesiæ Orientalis aucto.*

§. XXIV.

Codex Joannis Scholastici.

Adjungendæ his canonibus sunt Imperatorum constitutiones, quarum permultas de rebus sacris promulgarunt, ut explerent, de quo sæpe admonuit *S. Augustinus*, Advocati Ecclesiæ ac Defensoris munus. Eas, contra quam recentior facit ætas, summo, quod par erat, cultu majores prosecuti sunt. Argumento sunt *Joannis Scholastici* Codices. Sunt autem duæ viri celeberrimi nova metodo concinnatæ collectiones, in quarum priore, ex illa, ut ferunt, *Theodoriti* confecta, canones complexus est Apostolorum octuaginta quinque, Græcorum Conciliorum omnes, Sardicenses viginti et unum, tum octo et sexaginta ex tribus canonicis *S. Basilii* epistolis decerptos; non temporum retenta serie, sed in *titulos quinquaginta* descriptos (1); unde *concordiam canonum* dictam hanc compilationem arbitror. Altera deinde jam Patriarcha Constantinopolitanus *an.* 574. creatus edidit, cui leges canonibus miscens *Nomo-Canonis* nomen indidit. Auctoritatem earum fuisse apud Græcos aliquam inde colligo, quod *Nicolaus Papa* in epistola ad *Photium* Sardicenses canones in Ecclesia Græca receptos negantem, *quomodo*, inquit, *non sunt apud vos canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus apud vos concordia canonum texitur, ipsi quoque reperiuntur?* *Apud* Colletum, *tom.* 9. *Concil. pag.* 1344.

Schol. Exstat utraque collectio in Justelli Bibliotheca Juris canonici veteris *tom.* 2. *pag.* 499. *et* 603. *Nomo-Canonis* scriptum codicem servat Bibliotheca Cæsarea Vin-

(1) *Vid. Gibert, tom.* 1. *pag.* 236.

Digitized by Google

dobonensis, quem ab illo Justelli in multis differre testatur Lambecius *lib.* 6. *pag.* 55. Conf. Salmon *in tract. de stud. Concil. part.* 2. Pagius *ad ann.* 578. *n.* 4. de Marca *lib.* 3. *cap.* 3. Bevereg. *in Codic. canon. prim. Eccles. vind. lib.* 1. *cap.* 8. et Joann. Doujat *lib.* 4. *cap.* 11. §. 8.

§. XXV.

De prisca canonum Latina editione.

Institutum adordinandi Codicis quando in *Ecclesia Romana*, et quo auctore cœperit, nondum liquet. Pauci quidam, et in his *Gundlingius*, *Zosimum* Pontificem, qui *ann.* 417. rei christianæ præesse cœpit, hujusmodi instituti auctorem faciunt conjectura, quam nemo probet (1). *Cel. de Riegger* hunc Græcorum morem primum post Chalcedonense Concilium imitatam fuisse ait Romanam Ecclesiam, indeque natam priscam translationem canonum, quam Ecclesia Latina intentis Conciliorum Chalcedonensis et Sardicensis canonibus sibi propriam fecit (2). Altius hoc institutum repetit *Constantius*; nec immerito fortasse (3). Vix enim potest negari, quin dudum ante Synodum Chalcedonensem aliquis exstiterit Latinus Codex. Sed is Codex quibus canonibus constiterit, ambiguum dictu est (4). Nam et ex pluribus, quos præstanti doctrina viri ex vetustissimis Codicibus in lucem produxerunt, quinam is sit, quem priscam canonum Latinam editionem veteres dixerunt, obscurissimum est. Unum *Justellus* edidit (5). Sed quo minus *Justelli* hunc Codicem in Ecclesiæ Latinæ usum confectum putem, multa sunt quæ omnino persuadent. Non enim possum in

(1) *Vid. Baluzius in not. ad Vincent. Lirin. p. m.* 433.
(2) *Dissert. de Jur. Eccles. ante Justin. cap.* 4. §. 8.
(3) *Vid. Espen, dissert. de prist. cod. Eccles. Rom.* §. 1.
(4) *Vid. Berardus in præfat. tom.* 1. *pag.* 17.
(5) *Bibl. Jur. Can. tom.* 1. *pag.* 275.

animum inducere, ut credam, difficilem interpretandi Codicis operam tanta homini et rerum et Latini sermonis ignorantia commendatam fuisse, qualem se prodit hic, quisquis est, Justelliani Codicis illitteratissimus compilator (1). Alterum dedit *Paschasius Quesnellus* in appendice operum *Sancti Leonis* (2), quem ego Codicem etsi perantiquum esse haud ægre largiar, atque utilem etiam ad veterem illustrandam disciplinam, eumdem tamen in Romana Ecclesia, *Innocentio I.* Summo Pontifice, publico in usu fuisse, nescio quomodo eruditissimi illius viri leviores mihi conjecturæ videntur, quam ut pro explorato adfirmare audeam (3). Neque vero majoris seu auctoritatis seu fidei censeo Codicem Corbejensem vel Longobardicum ex Colbertina Bibliotheca à Coustantio memoratum (4), aut illum denique cujus idem vir ex eadem Bibliotheca mentionem injecit in laudata sæpe atque erudita præfatione (5). Nulla enim ex his collectionibus Dionysiana vetustiorem esse certum est magis quam verisimile: nec in usum publicum Ecclesiæ cujusdam, nedum Romanæ, ullam earum confectam putem.

Schol. L. Conf. Bohmer. in diss. de Decretal. Roman. Pont. §. 5. *n.* 29. *et* 31. et Salmon *tract. de Stud. Concil. part.* 2. *seqq.* Justelliano Codici se interim adhærere profitetur Cel. de Riegger *cit. dissert.* §. 5. *in not.* Ego, ut ajebam, isthoc à me quidem non impetro. Illud autem quid est, quod ait vir doctus, eum Codicem ut antiquissimum jam ante ejus editionem commemoratum fuisse à Petro de Marca *lib.* 3. *cap.* 3. §. 6. et Claud. Salmasio *de Primatu Petri pag.* 105.? Edidit Christoph. Justellus hunc codicem *Paris. ann.* 1615. Editio prima

(1) *Vid. Espen. cit. dissert.*
(2) *Vid. Quesnel. dissert.* 22. *ad oper. Leon.*
(3) *Vid. Coustant. in præfat. ad Epist. Rom. Pontif. n.* 72. *Petrus Ballerinus dissert. de collect. Canon. tom.* 3. *oper. Leon. Seb. Berard. loc. cit. obs.* 4.
(4) *Cit. præf. n.* 56. 89.
(5) *Ibid. n.* 100. *seqq.*

Digitized by Google

dissertationum de concordia sacerdotii et imperii est de *ann.* 1641. altera eaque integra de *ann.* 1663. De Primatu Papæ Salmasius *anno* 1645. scripsit. An non uterque jam exactum typis videre potuit?

Schol. II. Ecclesiam Latinam solis Nicænis Canonibus ante Chalcedonense Concilium contentam fuisse diserte scribit Ill. de Riegger *cit. diss. cap.* 5. §. 2. Innocentii I. nixus auctoritate. Sed Innocentii sententiam verepr, ut adsecutus sit vir doctissimus, ut ex iis liquet, quæ post Espenium et Pagium observavit Berardus *tom.* 1. *in præfat. pag.* 17. *seqq.*

§. XXVI.

Codex Dionysii Exigui.

Itaque veteris Ecclesiæ Romanæ Codicis quis fuerit auctor, quibus Canonibus constiterit, et an is omnino supersit, parum nobis exploratum est. Hoc *Dionysii Exigui* auctoritate satis constat, complures fuisse veteris illius translationis nævos. Unde non infeliciter conjiciebat *Quesnellus*, esse creditu perdifficile, quod post Concilium Chalcedonense nova, *Leonis P.* jussu, Græcorum canonum interpretatio adornata fuerit, contra quam *Petrus de Marca* contendebat (1). Erat *Dionysius Exiguus* professione Monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanis. Abbatem fuisse Romanum *Bedæ* quidem, sed falso scripsit (2). Fuit *Cassiodoro* æqualis et amicus, vir sapientia et integritate vitæ conspicuus (3). Hic igitur vir eximia latini pariter et græci sermonis peritia fretus, hortatu potissimum *Stephani* Salonitani Episcopi (4), novam est adgressus Græcorum canonum interpretatio-

(1) *Lib.* 3. *cap.* 3. §. 6. *in not.*
(2) *Vid. Pagius ad ann.* 527. *n.* 10.
(3) *Vid. Vossius de Histor. Latin. lib.* 2. *cap.* 19.
(4) *De Marca dissert. de Vet. Can. collect. cap.* 2.

Digitized by Google

nem sub finem quinti, aut initio sexti sæculi (1). Ejus tam materiam quam formam plane ac dilucide descripsit *Dionysius* in ea, quæ est ad *Stephanum* Salonitanum Epistola, ex qua apertum est, Codicem ejus constitisse primum canonibus Apostolorum *quinquaginta* (2), quos à ceteris, auctoritatis, opinor, ac vetustatis gratia discrevit: tum canonibus *centum sexaginta et quinque*, iis quos antiquissimo Græcorum Codice contineri diximus (§. XX.) deinde *viginti et septem* concilii Chalcedonensis, porro *uno et viginti* Sardicensibus, et *centum triginta octo* Conciliorum Africanorum: quorum omnium summa *ad trecentos nonaginta quatuor* canones redit (3), quos perpetuo atque condito commentario illustravit *Espenius*. Addidit huic Codici *Dionysius*, *Symachi* forte Pontificis temporibus (4), aliam compilationem, quâ Epistolas Romanorum Pontificum ac decreta inde à *Syricio* eadem fere methodo complexus (5), desinebat in *Anastasio*; cui postremus regiminis idem vitæque annus fuit 498. Accepit hæc collectio incrementi nonnihil ex Epistolis Pontificum *Hilarii*, ceterorumque usque ad *Gregorium II.* qui ann. 715. ad regimen Ecclesiæ admotus est: quod augmentum à Codice sejunctum edidit laudatus *Justellus*. Schol. *Tom. 1. Biblivt. Jur. Can. pag.* 249. Conf. Quesnell. *dissert.* 16. §. 12. et notam ejusdem subjectam epistolæ primæ Leonis M. Bohmer *cit. dissert.* §. 4. *n.* 22. *et* §. 5. Seb. Berardus *tom.* 1. *in præfat. pag.* 30. Card. de Aguirre *tom.* 1. *Conciliv Hispan. dissert.* 2. et Petrus Coustant. *cit. præf.* §. 12. 68. 69. Berardi singularis est de Dionysio nostro conjectura, et nova, nisi fallor, sed improbabilis. Ostendam facile, si quis omnino exigat.

(1) *Espen dissert. de Collect. Dion. Exigui.*
(2) *Vid. de Marca lib.* 3. *cap.* 2. § 7.
(3) *Vid. Justellus in Bibl. Jur. Can. tom.* 1. *pag.* 401.
(4) *Vid. Bohmer. cit. dissert.* § 11. n. 18.
(5) *Vid. Epist. ad Jul. apud Fleury post* 1. *pag.* 49.

Digitized by Google

§. XXVII.

Ejus auctoritas,

Non ea fuit mens *Dionysio*, ut interpretandis colligendisque seu canonibus seu decretis Pontificum Codicem conficeret publicæ ac legitimæ auctoritatis, quam vir privata conditione operi suo impertiri non potuit: sed ut inserviret commodius eorum, in quibus esset aliquod sacræ disciplinæ studium. Si quis tamen et nomen interpretis et linguæ utriusque excellentem peritiam huic Codici auctoritatem privata majorem brevi conciliasse contendat, ego quidem contra non pugnabo. Scio enim Cassiodorum de suis jam temporibus perhibuisse, *Dionysium canones Ecclesiasticos, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuisse, quos hodie*, ait, *usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Quæ postrema verba, etsi nolim à quoquam ita intelligi, ut publico Ecclesiæ Romanæ ac synodali adsensu probatam illam collectionem putemus, eam tamen vim habent profecto, ut indicent, gratam illam omnibus ac mirifice collaudatam fuisse, eaque jam tum frequentius quam prisca (§. XXV.) publice privatimque usos esse Romanos (1). Ab his ad vicinas primum, tum ad remotiores quoque Occidentis Ecclesias, usus ejus atque existimatio propagata est adeo, ut *Nicolao I. et Leoni IV.* summis Pontificibus, ceterisque omnibus, qui deinceps fuerunt, Ecclesiæ Romanæ Episcopis *canonum codex* absolute appellata fuerit.

Scholion. Ad eandem hanc ætatem refero *Librum Diurnum Romanorum Pontificum*, sexti et octavi sæculorum intervallo collectum. Est hic liber insigne ecclesiasticæ juxta atque civilis antiquitatis monumentum, Marculphianis formulis tametsi antiquioribus longe præstantius: de

(1) *Vide Exper. cit. loc.*

Digitized by Google

quo vide Schoepflinum *in commentar. histor. et crit. p.* 499. quem miror inconsultum relictum ab Ill. de Riegger, quum hujus Libri Garnerianam editionem repetiisset *Viennæ ann.* 1762. *in* 8. Inferius ætate est *Pontificale Romanum*, cujus Damasum Pontificem, qui *anno* 367. Ecclesiæ cœpit præesse, auctorem olim plerique crediderunt: hodie nemo. Fontes Libri duo esse videntur, Pontificum catalogi, qui et ipsi quum dubiæ adhuc et incertæ sint fidei, quid de Libri istius auctoritate descriptisque in illo Pontificum decretis statuendum censeam, hinc colligas. Vid. Ciampinus *in Examine* hujus Libri. *Ordo Romanus* sæculo nono non est antiquior. Vid. Mabillon *comment. in Ord. Roman. Mus. Ital. tom.* 2. præmisso, Doujat *lib.* 2. *cap.* 63. §. 4. et Pfaff. *in histor. Eccles. Sæc. VIII. cap.* 1. §. 1. *not. K. Pœnitentialia* quoque *Romana* duo eruditis viris nota sunt: Antonii Augustini alterum in Epitome Juris Pontificii veteris editum, alterum Halitgarii, quod typis descriptum est cura Morini in fine operis de *Sacramento Pœnitentiæ*.

§. XXVIII.

Codex Ecclesiæ Africanæ.

Ad Ecclesiam Africanam venio ut Synodorum ita canonum olim fœcundissimam. Codicis publici conficiendi occasionem præbuit de admittendis ad sedem Romanam appellationibus controversia ab Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi *ann.* 419. diligentissime ac fortiter acta (1). Ejus duæ sunt partes. Prior, præter symbolum Nicænum, ejusdem continet Synodi canones *viginti*, aliosque *tres et triginta* è duobus Conciliis, altero sub *Genethlio* decessore *Aurelii ann.* 390. altero apud *Hipponem ann.* 393. decerptos. His nonnullos alios perpaucos ex occasione interjectos reperias. Pars altera Synodos com-

(1) *Vid. Espen. dissert. in Syn. Afric. et earum canones* §. 1.

Digitized by Google

plectitur *septemdecim* sub *Aurelio* Carthaginensium Primate celebratas: illa etiam connumerata, in qua Codicem hunc collectum ajebam confirmatumque. Finem imponit Codici synodica ad *Bonifacium* Epistola. Auctoritas ejus insignis fuit. *Dionysius Exiguus* Græcis, præter Sardicenses, Africanos etiam canones addidit (§. XXVI.). In Codice, quem *Justellus* antiquissimum Ecclesiæ Romanæ statuit, proximum à Nicænis locum tenent (§. XXV). Ipsi adeo Græci, Latinorum institutis parum ceteroquin faventes, Græcum illi in sermonem ut verterentur, operam dabant, confirmatosque in Synodo Trullana pro suis receperunt (§. XXIII.). Et probasse etiam Ecclesia Romana videtur, dum in suum Codicem transferendos curavit. Ut jam de *Ivone*, *Burchardo*, *Gratiano* nihil dicam, quibus quanto hi canones in pretio fuerint, ex eo potest perspicue intelligi, quod plerosque suis in Codicibus descripserint.

Schol. I. Hunc Codicem post antiquos scriptores, de quibus Mastricht. *in Hist. Jur. Eccles. p.* 97. et Salmon *in tract. de Stud. Concil. part.* 2. Græce et Latine primus edidit Christ. Justellus nactus, quod ipse testatur, à Nicolao Fabro exemplar manuscriptum *maximæ et venerandæ antiquitatis*. Rursus Bibliothecæ Juris Canonici veteris inseruit Justellus filius *tom.* 1. *p.* 321. Exstat etiam alibi. Eum Petrus de Marca *in diss. de vet. can. collect. cap.* 4. à Dionysio Exiguo confectum autumat dissentiente Espenio *dissert. de Cod. Eccles. Afric.* §. 2. Rectius sine dubio idem vir illustrissimus laudatæ dissertationis *cap.* 5. Concilium sub Genethlio habitum vindicat contra Justellum *tom.* 1. *pag.* 316. cui junge Pagium *in crit. ad ann.* 397. *n.* 25. De Concilio Hipponensi agunt Quesnell. *dissert.* 12. *cap.* 2. et Schelstrate *Antiq. Eccles. Afric. dissert.* 3. *cap.* 6. De Epistola vero Cyrilli Alexandrini, et Attici Constantinopolitani Espen *diss. in Synod. Afric. et earum can.* §. 1. *et art.* 8. Richer *in Hist. Concil. General. tom.* 1. *pag.* 102. Natalis Alexander *Sæc.*

Digitized by Google

V. cap. 4. *art.* 4. et Salmon *citat. tract. part.* 2.

Schol. II. Atque hic proprius Africanorum Codex fuit. Nec tamen ignota illis fuit prisca Græcorum canonum translatio. Colligo id ex *Breviatione canonum* Fulgentii Ferrandi, qui Justini ætate ac Justiniani floruit. Vid. Franc. Florens *in diss. de Orig. Jur. Canon.* Auctoritatem ejus fuisse non modicam maxime in Africa nihil ambigo. Atque est ejus etiam nunc permagnum apud eruditos pretium. Verum non caret nævis opusculum licet pervetustum. Complures notavit Florens: et observarunt etiam Altassera et Chiffletius: novissime Quesnellus *in dissert.* 15. *ad opera Leonis*: quibus adde Justellum, Cotelerium *in not. ad cap.* 20. *lib.* 3. *Constit. Apostol. tom.* 1. *pag.* 293. et Bingham *lib.* 2. *cap.* 11. §. 6. An vero, quod vehementer cupiebat, Quesnellus epistolam Cyricii Conciliumque Cellense, de quo Coustantius *in Epist. Roman. Pontif. pag.* 634. omnino esse repudianda satis probaverit, ut visum est Bowero *in Hist. Rom. Pontif. tom.* 1. *pag.* 366. peritiores me judicent. Tu vide Stephanum Baluzium *in diss. de Concilio Teleptensi*, quæ adnexa est libris de concordia Sacerdotii et Imperii. *Breviationem* Ferrandi primus edidit Petrus Pithoeus *Paris. ann.* 1588. aut ut Gibert *ann.* 1581. Secuta sunt deinde *Altasserrana ann.* 1630. *et Chiffletiana ann.* 1649. in qua posteriori subjecta est præfationi constitutio Theodosii et Valentiani AA. haud dubie malæ fidei. Cf. Franc. de Roye *Instit. Jur. Canon. tit.* 5. §. 1. Postrema editio est Justelli *tom.* 1. *Bibl. pag.* 448.

Schol. III. *Ferrando* jungendus est *Cresconius*, seu mavis Crisconius, Africæ Episcopus. Floruit Leontii Imperatoris tempore, quo Saraceni Africam tenebant. Pagius *in critic. ad ann.* 696. *n.* 5. Ejus in jure nostro opera duo memorantur: alterum *Breviarium canonum*; alterum quod *Concordia canonum*, aut etiam *Liber canonum* appellatur. Mabillon *in Mus. Ital. part.* 1. *pag.*

Digitized by Google

69. Utrumque opus Cresconio in Codicibus tam scriptis quam editis constanter attribuitur. Mastrichtius tamen *Breviarium* disputabat ejus non esse. *in Histor. Jur. Eccles.* §. 184. Coustantius librum Canonum abjudicabat. Conf. Espen *citata dissert.* §. 4. Baronius *ad ann.* 419. *n.* 90. et *ann.* 527, *n.* 76. Pagius *in Critica.* *Ceterum primus fuit Cresconius*, inquit Ill de Riegger *in Inst. Jur. Eccles. part.* 1. §. 450. *qui rescripta Pontificum cum Decretis Conciliorum promiscue collegit*: quod Mastrichtii fide dignum erroneum esse jam advertit Ant. Schmidt *Inst. Jur. Eccles. tom.* 1. §. 22. *in Schol.* *Breviarium* Cresconii una cum Ferrandi *Breviatione* edidit Pithoeus Cum secutus Chiffletius utrumque Codicem conjunxit in editione ab se diligentissime curata. *Librum* vero *Canonum* à nemine ante vulgatum ex antiquo MS. Cod. Bibliothecæ Collegii Claromontani publici Juris fecit Justellus *tom.* 1. *Bibliot. Jur. Canon. vet.*

§. XXIX.

Codex Ecclesiæ Hispanicæ.

Ecclesiam Hispanicam more aliarum Ecclesiarum suum habuisse canonum Codicem jam ante septimum sæculum, ex Canone tertio Concilii Toletani quarti manifestum est. Continebat hic Codex præter Græcos Synodorum tam Generalium quam Localium canones, decreta Conciliorum Hispaniæ et Synodicas Romanorum Pontificum Epistolas (1), ac fortasse Gallicanos etiam quosdam canones; quibus jam dudum Hispanos in formanda Ecclesiæ suæ disciplina usos fuisse, ex Concilio Tarraconensi et Ilerdensi luculentissime constat (2). Antiquissimum istum

(1) *Vid. Card. de Aguirre tom.* 1. *Concil. Hisp. diss.* 2. *Espen.* 6. *de antiq. cod. Eccles. Hispan.* §. 1.

(2) *Vid. Salmon. tract. de Stud. Concil. part.* 2. *Petrus de Marca diss. de Primatu Lugd.* §. 8. *seqq. Balutius in not. ad cap.* 12. *libri advers. Guodobaldum ab Agobardo scripti.*

Digitized by Google

Hispaniæ Codicem variis post sextum sæculum accessionibus auctum esse perspicuum est ex præfatione eidem ab Hispano quodam Episcopo (1) post annum 589. ante annum vero 636. adjecta, quo in vivis esse desiit *Isidorus* Hispalensis, qui præfationis istius partem in *libris originum* videtur descripsisse (2). Suadet hoc scriptorum etiam Codicum varietas, de qua *Coustantius* admonuit (3); quoniam vero haud difficile creditu sit, opera *S. Isidori* Hispalensis, viri per ea tempora doctrina et sanctitate celeberrimi, aliquod huic Codici augmentum factum esse (4), opinio inde videtur invaluisse, quæ ipsum collectionis auctorem vulgabat. Certe *Cajetanus Cennius* non inepte *Isidorianam* dici hanc eandem ob causam censuit (5). Nec adversatur ratio temporum. Quod apparet non ex his tantum, quæ de præfatione collectionis istius præmonui, sed ex monumentorum præcipue, é quibus concinnata est, ætate (6). Decretalibus Pontificum Romanorum epistolis hæc collectio ut caret spuriis, ita antiquiore illo Codice nihil est auctior.

Schol. Vid. Espen *in dissert. de Collect. Isid. Mercat.* §. 1. Steph. Baluzius *in præfat. ad Rhegin.* §. 2. Bohmer *cit. dissert. n.* 46. *in fin.* Ex ampliori isto Hispaniæ Codice duas in partes descripto conflatum est *Breviarium* quoddam canonum arte nova *decem libris* distinctum, Bohmer *cit. dissert.* §. 8. *n.* 48. Primus illud vulgavit Aguirrius *tom.* 2. *Concil. Hispan.* Ex illo deinde Cajetanus Cennius *tom.* 1. *Antiq. Hisp. Eccles.* Atque Cennio quidem prorsus certum est, compendium isthoc Canonum potiore jure Isidoro Hispalensi adscribi quam illam, de qua dixi, collectionem *citat. præfat.* §. 19. Bohmero tamen indicia conjecturæ ab illo produc-

(1) *De Marca dissert. de veter. canon. collect.*
(2) *Bohmer. cit. dissert. et loc. n.* 45.
(3) *Cit. Præfat. num.* 46.
(4) *Bohmer. loc. cit. num.* 46.
(5) *Antiq. Eccles. Hispan. tom.* 1. *in præf.* §. 20.
(6) *Vid. Coustant. cit. præfat. num.* 145. *seqq.*

Digitized by Google

ta tam levia sunt, ut contrarium evinci potius illis crederet *cit. diss. et loc. n.* 15. Isidoro Hispalitano hunc Codicem adscripsit Constantius *cit. præfat. n.* 150.

§. XXX.

Collectio Martini Bracarensis.

Martini Bracarensis collectionem etsi tempore priorem huic loco servavi, ut de Isidoriana non interrupte exponerem. Fuit *Martinus* non Græcus natione, ut *Garsias Loaisa* existimavit, sed Pannonius: ac primum Dumiensis Monasterii Abbas: deinde Episcopus Bracarensis (1). Domo profectus in Orientem tanto studio melioribus se litteris excoluit, ut brevi tempore eruditissimis suæ ætatis viris par haberetur. Multa ab illo præclare scripta *Isidorus* Hispalensis ac *Miræus* prodiderunt. Laudatur potissimum *Collectio Canonum*, quam ex Græcis Synodis compilavit iisdem fere temporibus, quibus *Dionysiana* Romæ prodiit (§. XXVI.), et illa Carthagine, quam *Ferrando* nuper adscripsimus. (§. XXVIII.) Ejus adornandæ causa *Martino* eadem fuit, quæ *Dionysio*; multa nempe atque magna veteris interpretationis vitia, quod ipse pluribus ostendit in præfatione, quam operi præposuit. Ex quo loco evidens est, falli vehementer, qui nullam Ecclesiæ Hispaniæ vetustiorem norunt collectionem hac, de qua nunc agimus. Geminæ illius partes sunt. Præstiteritne vero *sinceram* illam ac *simplicem* Græcorum Canonum translationem, cujus tam certam suis spem fecerat *Martinus*, dubitant, nec immerito, periti ores viri.

Schol. Vid. Antoni Augustinus *lib. 1. de Emend. Gratian. dial.* 10. Espen *dissert. de Collect. Martini Bracar.* §. 4. Berardus *tom.* 1. *in præfat. pag.* 32. Editio ejus duplex exstat: *vetus* una, quam in omni-

(1) *Espen cit. dissert.* §. 2.

Digitized by Google

bus pæne Conciliorum editis Codicibus reperias: altera *nova*, quam se Garsias ait primum ex antiquis scriptis Codicibus protraxisse. Est etiam una in Justelli Biblioth. *tom.* 1. cum notis marginalibus Doujatii, in quibus, quos Martinus siluit, fontes indicat. Sed nolim eruditum scriptorem inter hos retulisse Canones Apostolicos, ea quidem ætate Hispanis nondum receptos. Vid. Mastricht *in Hist. Jur. Eccles. pag.* 179. et Bartholus *Instit. Jur. Canon. cap.* 49. Hinc etiam emendari possunt, quæ Ill. de Riegger. *in Inst. Jur. Eccles. part.* 1. §. 451. scripsit.

§. XXXI.

Codex Ecclesiæ Gallicanæ

Post Romanam et Africanam eximia olim apud omnia fuit Ecclesiæ Gallicanæ existimatio. Conciliabat illi hanc et sanctitas Episcoporum et sapientia; cum primis vero singularis in custodiendis Patrum institutis ac severa disciplina. Ecclesia canonum tam studiosa, quin Codicem habuerit aliquem regularum, quibus in judicandis causis, Synodis celebrandis, ac formanda morum rituumque disciplina uteretur, ne dubitari quidem cum ratione potest (1). In primis autem Gallicanam Ecclesiam veteres Græcorum canones à Concilio Chalcedonensi probatos et in antiquum eorum Codicem relatos (§. XX.) observasse extra omnem videtur controversiam positum (2). Græcorum vero ita suspiciebat canones Gallia, ut præ his suos minime contemneret: pariter enim utriusque in judiciis usa est (3). Porro canonibus Conciliorum adjungebat Pontificum Romanorum decreta, et pari fere honore prosequebatur (4). Hunc Codicem ex his conflatum re-

(1) *Vid. Espen. dissert.* 7. *de prist. cod. Eccles. Gallic.* §. 2.
(2) *Espen. loc. cit. de Marca. lib.* 3. *cap.* 4. §. 6.
(3) *Vid. de Marca. loc. cit.* §. 6.
(4) *Espen. cit. dissert.* §. 2.

Digitized by Google

gulis à Dionysiano alium fuisse, mihi quidem certum est. Confici hoc idem præterea ex *Gregorio Turonensi* potest (1), et ex ea potissimum, quam paucis sed certissimis exemplis illustravit *Espenius*, interpretationis Græcorum Canonum, quam Ecclesia Gallicana sequebatur, à *Dionysii Exigui* versione discrepantia.

Schol. Conf. omnino Espen *cit. dissert.* §. 2.

§. XXXII.

Usus ejus quamdiu perstitit.

Vetus hic Codex diu usum retinuit auctoritatemque etiam postquam suum Romæ *Dionysius* vulgavit. Fatebor quidem, quod etiam largitur *Sirmondus*, idem quod Romanis accidisse accepimus (§. XXVII.) non paucis in Gallia privatim usuvenisse, ut visa *Dionysii* elegante atque concinna interpretatione, fastidiri veterem, et præ hac illam usurpare cœperint: verum usum tamen dionysiani Codicis statim, atque editus est, priore spreto, per Gallias invaluisse, quod *Petrus de Marca* statuebat (2), id vero nondum adducor ut credam (3). Factum hoc ante *Caroli M.* tempora non videtur. Hic autem Romæ quum esset, oblatum sibi dono ab *Hadriano* Pontifice *Dionysii* Codicem non modo in provinciis suæ potestati subjectis promulgandum curavit; verum etiam decerpta ex illo decretorum capita temporum Regnique sui rationibus magis congrua in *Capitulare Aquisgranense ann.* 789. transcripsit, adjecta sanctione: *ut, si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agat, et corrigi nolit, ab officio suo submoveatur* (4). Ita adnitente potissimum *Carolo Imperatore* per univer-

(1) *Lib.* 5. *cap.* 19.
(2) *Lib.* 3. *cap.* 4. §. 2.
(3) *Vid. Espen cit. dissert.* §. 3.
(4) *Vid. de Marca lib.* 1. *cap.* 9. §. 4.

Digitized by Google

sum prope occidentem *Dionysii Codex* auctoritatem adeptus est (1). Nam me quidem in eam sententiam, quæ Codicem *oblatum Carolo eundem esse ac Codicem Dionysii* quorumdam Pontificum epistolis auctum (§. XXVI.) propensiorem facit *Hincmari* Rhemensis auctoritas.

Schol. I. Vid. Petr. Coustantius *citat. præfat. n.* 128. Bohmer. *cit. dissert.* (§. 4. n. 37. seq.) Joan. Christ. Rudolph. *de Cod. canon. quem Hadrianus P. Carolo M. obtulit Erlang. ann.* 1754. Sunt qui cum hoc canonum ac decretalium volumine *Breviarum canonum* ex codice Weingartensis Monasterii ab Henrico Canisio editum *tom.* 2. *Antiq. lection. part.* 1. *pag.* 266. perperam confundunt. Distinguit enim hoc ipse, quisquis demum sit compendii istius auctor, à Codice canonum, quem oblatum Carolo diximus. Utrum vero Breviarium istud nihil sit aliud quam Codicis dionysiani brevis quædam summa (quod Bohmerus conjicit *cit. diss.* §. 7. *n.* 40.) an sit opus ab illo penitus diversum (quod magis placet Basnagio *in observat.* §. 2. *pag.* 264.) definire putem de his, quæ supersunt, fragmentis non posse. Vid. Sirmond. *in not. ad Epitomen Cod. Hadr. tom. 8. Concil. General.*

Schol. II. Altera, quam Hadriano Pontifici vulgati codices attribuunt, collectio est illa, quam Ingilramno vel, ut dicitur, Angilramno, missam inscriptio mentitur. Amplector enim libenter sententiam eorum, qui capitula hæc non esse Hadriani existimant, sed Angilramni ipsius, qui ea ex fictis nuper veterum Pontificum epistolis ut plurimum collegit et Hadriano obtulit, quo aliquod causæ suæ præsidium extorqueret. Vid. Steph. Baluzius *in præfat. ad Ant. Augustinum* §. 4. Natalis Alexander *Sæc. VIII. cap.* 1. *art.* 9. Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 5. §. 4. Bohmer *cit. dissert.* §. 9. *n.* 53. Espen *diss. de Capitul. vulgo Hadriani.* Hæc capitula citat frequentissime Gratianus, vel Bohmerus ad can. 2.

(1) *Vid. de Marca lib.* 3. *cap.* 4. §. 4. *et* 5.

Digitized by Google

caus. 15. q. 6. observat et post hunc Berardus. Exstant apud Harduin. *tom.* 3. *Concil. pag.* 2061. *seqq.*

§. XXXIII.

Codex Ecclesiæ Germanicæ.

Placuit de his paullo explicatius disserere, ut manifestius constaret, quo jure in rebus et causis sacris vetus Germania usa fuerit. Ob arctum enim nexum, quo Germania per hæc tempora Franciæ adhærebat, facile in eam sententiam eo, disciplinam sacrorum in Gallicanis Ecclesiis usitatam eandem fuisse, ad quam se Ecclesia Germanica componebat (1). Huc nimirum referendus est Codex oblatus *Carolo* (§. XXXII.) Capitularia Regum Francorum generalia, et ad Germaniam speciatim directa, ut quæ maximam partem confectos in Synodis canones continebant, additis Regum constitutionibus, quas ad promovendam Ecclesiarum salutem exemplo majorum sanciebant. His si præter Regulam *S. Benedicti* pro Monachis in imperio receptam, et Regulam Aquisgranensem Canonicis à *Ludovico Pio ann.* 816. scriptam, Codicem addas Theodosianum ejusque præcipue librum decimum sextum (2), et canones adjicias Ecclesiæ Germanicæ proprios, quales sunt conditi ad usum Ecclesiæ Moguntinæ relati in collectione, quæ circa *ann.* 745. à *S. Bonifacio* confecta in Monasterio Corbejensi adservatur (3); nihil est, quod veram ac sinceram veteris Germanorum sacri juris scientiam magnopere desideres. Canones enim Alemanicæ Ecclesiæ veteres, quos produxit *Goldastus* (4), nihil moror, quum recentioris ætatis sint,

(1) *Vid. Zallwein. Jur. Eccles. part. Germ. cap.* 5. §. 1.
(2) *Vid. Hincmar. Epist.* 4. *cap.* 6.
(3) *Vid. D' Acheri tom.* 1. *pag.* 507.
(4) *Tom.* 3. *Script. rer. Alleman.*

Digitized by Google

et hujusmodi, ipso *Schiltero* judice, ut parum fidei mereri videantur.

Schol. Vid. Shilter *de libre. Eccles. German. Libert.* 2. *cap.* 12. §. 16. et Auctor *tractat. de fontib. jur. can. Germ.* §. 6. *pag.* 20. Codicem oblatum Carolo edidit novissime ex Bibliotheca Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Josephus Harzheim *tom.* 1. *Concil. German. p.* 131. 235. monetque ibidem doctissimus editor, eundem istum Codicem in usu fuisse in imperio Caroli sitarum Ecclesiarum *Germaniæ*, scilicet *Bavari*, *Norici*, *Belgii*, *Galliæ*: quod moneo, ut fontem aperiam antiqui juris, quo in sacris usa est patria mea. De Marculphi antiquis formulis uno verbo moneo, eas negligi non oportere ab iis, qui antiquos mores investigant. Vid. Natalis Alexander *Sæc. VII. cap.* 4. *art.* 9. et Sylburg. *ad Heinec. histor. Jur. Civil. lib.* 2. §. 32. *in not.*

§. XXXIV.

Codex Ecclesiæ Anglicanæ.

Una nobis in occidente restat Ecclesia Anglicana, cujus memorabile Concilium est celebratum anno tertio ac septuagesimo septimi sæculi *Herefordiæ* à Cantuariensi Archiepiscopo *Theodoro* viro ejus ætatis celeberrimo. De hoc sic *Beda* personam agens *Theodori*: *Quumque explessem prolocutionem, interrogavi unumquemque eorum* (Episcoporum) *per ordinem, si consentirent, ea, quæ à Patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire? Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes dixerunt: Optime omnibus placet, quæque definierunt sanctorum Patrum canones, nos quoque alacri animo libentissime servare. Quibus statim protuli eundem* Librum canonum, *et ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaveram, quia maxime nobis necessaria sciebam* (1). Sed

(1) *Lib.* 6. *Histor. Eccles. cap.* 5.

Digitized by Google

ejus Codicis auctor *Theodorus* ipse fuerit, ut vult *Justellus* (1); an Codex vetus Ecclesiæ Gallicanæ, ut *Baluzius* contendit in notis ad *Agobardum* loco nuper citato; utrum vero à Codice Ecclesiæ Romanæ minime diversus, ut propius à vero abesse judicat *Salmon* (2), mihi quidem incompertum est: quamquam *Salmonio* malim quam *Justello* adsentiri ob ea, quæ habet *Thomas Bruno* (3) Compilavit porro idem *Theodorus* librum *Patrum Canonum*, cujus tituli dumtaxat supersunt in primo Conciliorum Anglicanorum volumine.

Schol. Ejusdem Theodori duplex hodie *Pœnitentiale* circumfertur. Unum prodiit opera Lucæ D' Acherii rude admodum et informe: alterum studio Jacobi Petiti *Paris. ann.* 1677. Adjecta his sunt capitula quædam sublestæ, ut videntur, fidei. Multa Gratianus ex hoc pœnitentiali descripsit, etsi non semper bona fide, quod Berardus docuit. Exemplo Theodori Ven. Beda, qui octavo sæculo floruit, librum fertur pœnitentialem edidisse, qualem novissime vulgavit Mansi *in Supplem. Concil. tom* 1. *p.* 580. Sed hoc multi egregie docti viri in dubium revocant. Vid. præ ceteris Seb. Berardus *tom.* 3. *p.* 515. *seq.* ubi etiam descripta à Gratiano fragmenta emendat simul et illustrat. De ceteris ex hoc ævo Codicibus conf. Joan. Doujat. *lib.* 3. *cap.* 31. et Salmon *cit. tract. part.* 2.

§. XXXV.

Conclusio Capitis.

Atque hæc de antiquis Ecclesiæ Christianæ legibus earumque collectionibus dicta sunto. Quod si qui erunt qui rogaturi sint, ecquid tanta hæc in indagandis judicandisque veterum Codicibus adhibita industria commo-

(1) *In præfat. ad. Cod. Eccles. univ.*
(2) *Tract. de Stud. Concil. part.* 2.
(3) *In dissert. de Can. Apost.* §. 4.

Digitized by Google

di sit studiosæ juventuti adlatura, eos ego meminisse velim, ut alia nunc non dicam, illorum, quæ sunt scripta sapienter à *Francisco Florente* in præfatione dissertationis, quæ est de origine, arte et auctoritate Juris Canonici: cujus viri apud me auctoritas etsi tanta est, ut inscitum illud, cujus me sæpe in nostris hominibus pudet, *cui usui*? facile ausim contemnere; addam tamen aliud, idque necio an gravius *Christ. Lupi* pii juxta ac docti viri testimonium: *Ex quo antiquorum Canonum et intelligendorum et observandorum cura apud nos cœpit tepescere; irrepere in scholas cœpit subtiliter disputandi, et probaliter opinandi licentiosa cum prurigine et sine fræno libertas. E scholis in Ecclesiæ ambones, et hinc in fidelis populi mores transiit: atque ita purum avitæ moralis præsertim Theologiæ vinum cœnosa humanæ per peccatum obscuratæ rationis aqua miscuit, et lucidum evangelicæ vitæ aurum vertit in scoriam multæ corruptionis. Patrum cordibus in filios reducendis nulla via compendiosior quam reditus, verum sale conditus, ad antiquos nostris novissimorum temporum infirmitatibus congruos canones, quos* S. Leo M. *alta voce prædicat, esse* Spiritu Dei *constitutos*, totius mundi *reverentia consecratos, et usque ad sæculi finem utique in electorum cordibus permansuros.* Conf. Espenii *dissert. de auctoritate et stabilitate veterum canonum.*

Digitized by Google

CAPUT III.

DE ORIGINE AC PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI NOVI.

§. XXXVI.

Epocha Juris Novi.

Initia Juris Ecclesiastici ejus, quod *novum* dicimus, jam alibi in initium sæculi noni referebam (§. X.). Nec muto sententiam. Aliam enim prorsus disciplinæ sacræ formam post hæc tempora inductam fuisse, certum est, sive Græcam Ecclesiam spectemus sive Latinam. Illa schismate ab hac disjuncta, repudiata sacrorum communione, juris quoque communionem aversata est, *Photio* potissimum auctore, suis fere deinceps usa legibus. Latini vero *pseudo-Isidori* fraude decepti, priscis majorum suorum institutis relictis, novam quamdam et à superioris ætatis disciplina in quamplurimis discrepantem invehere instituebant, quo instituto quantum incommodi res Christiana acceperit, sciunt, quibus lecta est sine præjudiciis ætatis istius historia. Colligendarum quoque legum ratio simplex olim et aperta in scholasticum quoddam artificium abiit, ineptum sæpe et obscurum adeo, ut vix divinationi locum relinquat. Ut taceam suspectæ et incertæ fidei documenta tanta credulitate recepta, ut nihil videatur ineptiarum commenta obscura medii ævi diligentia, quod non collectorum aliquis suum fecerint.

§. XXXVII.

Collectio Canonum Græcorum postrema.

Postrema Græcorum eaque amplissima collectio,

Digitized by Google

quam *Joannes Doujatius*, nescio an ex vero, *Photio* adscripsit, in nonum sæculum indicit. Videtur circa ann. 880 compilata. Differt ab illa, quam post Concilium Nicænum secundum auctam esse nuper monebam (§. XXIII.) et *materia* et *forma*. Ad hanc quod attinet, relicta superiorum Synodos pro tempore, quo unaquæque celebrata est, numerandi consuetudine, omnia Generalia Catholicorum Concilia, dempto octavo, quod *Photio* adversum est; omnia etiam Græcis pro generalibus habita ante omnes Synodos particulares tametsi vetustiores collocantur. Superat vero rebus etiam et canonibus. Adjecit enim compilator antiquis regulis canones Concilii, quod *ann.* 879. habitum est adnitente *Photio*: decreta item alterius *ann.* 861. in templo Apostolorum coacti, quod primum et secundum Constantinopolitanum vocant (1). Addidit præter hæc *Tharasii* ad *Hadrianum* Pontificem epistolam, quæ Concilii Nicæni nomine *de ordinationibus per pecuniam minime faciendis scripta est.*

Schol. Exstat apud Beveregium *tom.* 1. *Synod. pag.* 331. *Quum hoc Canonici Græcorum Juris corpus*, inquit laudatus Beveregius in proleg. n. 13. *omnibus hoc modo numeris absolutum, omnesque Ecclesiasticæ causæ ex canonibus in illud collectis per totam Græciam dijudicatæ fuissent; postea de ipsis canonibus et eorum auctoritate nunquam controversum est, sed tantum de vera ipsorum interpretatione. Quo factum est, ut complures è doctissimis viris et juris cononici peritissimis multum studii ac laboris in iis interpretandis impenderint.* In his eminent Zonaras, qui summos sub Joanne Comneno honores gessit. Vossius *de Hist. Græc. lib.* 2. *cap.* 26. Sæcularium deinde pertæsus negotiorum secessit in solitudinem, quam aliquot ingenii ac doctrinæ præclaris monimentis conficiendis transegit non inglorius. Scripsit *expositionem sacrorum divinorumque canonum*, opus à Beveregio editum nitidissime in *Sy-*

(1) *Vid. Natalis Alexander Sæc. IX. dissert.* 4. §. 4.

Digitized by Google

nodico. Paullulum junior Zonara fuit Balsamon canonici pariter ac civilis juris scientissimus. Sed de hoc infra dicam.

§. XXXVIII.

Photii Nomo-Canon.

Deinceps in Græcia à colligendis canonibus cessatum est quidem, non etiam ab iis illustrandis, et in quoddam veluti *systema* cogendis, cujusmodi est Epitome *Simeonis Logothetæ*; Synopses *Pselli*, *Aristenii*, *Arsenii*; Syntagma *Blastaris*; Epitome *Harmenopuli*, de quibus exposuit adcurate *Fabricius* (1). Sed ipse me locus monet, ut de *Photii Nomo-Canone* exponam, viri ex omnibus, qui his studiis inclaruerunt, prudentia ingenioque summo. Genere natus est nobili. Dignitate Proto-Spatharius fuit, ut *Cedrenus* prodidit. Multa fertur scripsisse, quæ nunc mihi non est animus investigare, rectene illi an perperam tribuantur omnia. Qui ad rem nostram pertinet, est *Nomo-Canon*, quo libro Græci Juris Ecclesiastici universi summam complexus est. Itaque Conciliorum, Patrum, Episcoporum, Patriarcharum canonibus ac sententiis constat. Divisus est in *quatuordecim titulos*; hi rursus in plura pauciorave capita pro argumenti varietate; ita ut propositis per singula capita canonibus ad materiam quamque pertinentibus, leges ex *Justiniani* Codice decerptas indicet tantum, non integras describat, in quo à *Joanne Scholastico* recessit (2). Quo anno confectus sit libellus, non omnino constat. Posteriorem Basiliis fecit *Jacobus Cujacius*. Sed hanc viri summi opinionem refutavit plenissime *Hoffmanus* (3). Quo vero in pretio non inconcinnum hoc sacri Græcorum Juris tamquam compendium fuerit dein-

(1) *In Bibl. Græc. lib. 6. cap. 1. §. 15. seqq.*
(2) *Vid. Gibert. tom. 1. pag. 237.*
(3) *In Histor. Jur. lib. 3. cap. 3. §. 3.*

Digitized by Google

ceps Græcis Photianarum partium, ex hoc potest intelligi, quod doctissimi ex ea gente viri in illo commentariis ac scholiis illustrando studiosissime elaboraverint.

Schol. Commentarios in Photii Nomo-Canonem jussu Manuelis Imp. Balsamo scripsit, qui una cum Photio ex MS. codice bibliothecæ Palatinæ editi sunt à Christ. Justello, repetiti *in Bibl. jur. can. veter.* à filio Justelli adornata *tom.* 2. Posset autem hæc ipsa editio emendari non mediocriter ex pluribus, quos servat bibliotheca Cæsarea Vindobonensis, codicibus, ut Lambecius monet. Conf. Salmon *tract. de Stud. Concil. part.* 2. Bower *in histor. Pontific. tom.* 4. *in diss. prævia*, et Netteblat. *init. Hist. litter. jur. pag.* 288. *et* 290.

§. XXXIX.

Codex Isidorianus.

Post hæc omnis de Ecclesiæ Latinæ Codicibus disputatio futura est. Nam qui serius inter Græcos prodierunt, eorum aut nulla aut obscura valde ad nos est transmissa memoria. Quo autem tamquam communi jure in rebus et causis sacris octavo ac prioribus sæculis usæ fuerint Latinæ Ecclesiæ, superiori capite traditum est. Alius ab illo sequenti sæculo emersit Codex *Isidori* nomine inscriptus, qui Episcoporum quorumdam Germaniæ et Galliæ, tum maxime *Nicolai P.* conatibus auctoritatem sensim nactus, veteres leges oblivioni tradidit, ingenti disciplinæ publicæ conversione. Enimvero tempus, quo præcise confectus sit, nondum potuit à quoquam liquido definiri. Ego illum sub finem octavi sæculi, aut etiam paullo citius fortasse, collectum puto in Hispania *; sed latuisse ignotum, donec à *Riculpho* Mo-

* Immo qui Codicem Isidorianum Moguntiæ finxit, quis- quis ille fuerit, finxit simul ex Hispania allatum: quemadmo-

Digitized by Google

guntino Archiepiscopo, quem Synodo Moguntinæ *ann.* 813. interfuisse acta prodiderunt, in Germania divulgatus esset. Hanc certe sub finem noni sæculi passim in Gallia et Germania receptam fuisse opinionem ab *Hincmaro* accepimus. Parens infelicis partus ecquis fuerit, haud magis compertum est. Esse Hincmarus *Isidorum* credidit. At quem? Plures enim exstitisse eodem tempore certum est. Qui *Isidorum* Hispalensem esse statuunt, manifesto in errore sunt. Nec magis probari possunt, quæ de *Isidoro* Setabensi, et alio *Eulogii* Cordubensis Episcopi germano fratre disputant eruditi ex *Juliani Toletani* chronico. Nam chronicon quidem istud rejiciunt plerique, adfictumque *Juliano* nec, ut videtur,

dum Higuera qui Dextri alicrumque conficta ab se chronica edidit, è Fuldensi Monasterio allata mentitus est. Quin etiam Isidorianum Codicem toto sæculo decimo ignotum fuisse Hispanis, ad oculum demonstrat Illustrissimus juxta ac eruditissimus Franciscus Perezius Bayerius in notis ad Nicolai Antonii Bibliothecam Veterem (*tom.* 1. *pag.* 363. *editionis Matritensis* 1787.) cujus hæc sunt verba: *Nec in* Æmilianensi *Regiæ Bibliothecæ Escurialensis Conciliorum ac Decretalium Epistolarum Codice Era MXXXII. seu Christi ann. CMXCIV. exarato, neque in antiquiore ejusdem Bibliothecæ alio, qui Era MXIV. seu Christi anno CMLXXVI. scriptus dicitur, et vulgo* Albendensis, *seu à scriptore* Vigilanus *audit, habentur Decretales ante Damasum et Syricium Epistolæ: me qui utrumque Codicem sæpius vidi ac recensui sponsore ac præde. Immo neque in Hispano-Lucensi, qui omnium fertur antiquissimus. In eo enim* 103. *non plures Epistolæ Decretales numerantur, quarum agmen ducunt Damasi* 2. *Syricii* 3. *Innocentii* 22. *Zosimi* 2. *cet. teste qui eum Codicem recensuit, earumque Epistolarum confecit indicem Joanne Vasquio del Marmol in Epistola ad Didacum Gratianum Alderetum Philippo II. Hispaniarum Regi à Secretis IV. Non. Martii MDLXXIII. in Regia Matritensi Bibliotheca superstite. De Ecclesiæ Urgellensis Codice idem testatur Stephanus Baluzius apud Nostrum num. præcedenti seu* 201. *Sed neque in Codicibus Monasterii Rivipullensis, atque Ecclesiæ Gerundensis, quos ad annum MDCCL. Matritum allatos sæpius evolvi, Ante Syricianarum Epistolarum exstat mentio: ut vel hinc pronum sit conjicere hunc fructum non in Hispanico solo natum fuisse.* Videndus præterea vir summus *eodem tom. pag.* 365. *et* 453.

:

Digitized by Google

temere arbitrabantur. *Benedictum* levitam Moguntinum auctorem fecit *Blondellus*, quem ob id ipsum *Bohmerus*, et jam ante hunc *Baluzius* reprehendunt. Quare crediderim, opus esse hominis non quidem ab ingenio prorsus destituti, verum indocti et obscuri, *Isidori* illustri nomine audacter abusi, quo facilius nominis istius nobilitas fucum incautis faceret.

Schol. Vid. Cointius *in Annal. Franc. tom. 6. ad ann.* 785. §. 17. Petrus Coustantius *in Præfat. ad epist. Rom. Pont. num.* 150. *seqq.* Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 5. Espen *dissert. de Collect. Isidori Mercatoris* §. 1. De Mercatoris autem seu Peccatoris appellatione egit copiose Sylburgus *ad Histor. Heinn. lib.* 2. §. 69. *pag.* 898. *edit. Argent.*

§. XL.

Materia Codicis Isidoriani.

Materiam famosi Codicis, quem integrum *Merlinus* in collectione sua Conciliorum edidit, ipse, quisquis est auctor, in præfatione edixit satis dilucide. Ex qua id apertum est, quod est à *Labbeo* quoque observatum, decreta *Gregorii II.* et ceterorum usque ad *Zachariam P.* à Merlino exscripta ab *Isidoro* non esse, quippe qui in *Gregorio M.* desiit. Sed in tota hac tot monumentorum congerie præ aliis memoratu dignæ sunt *Epistolæ Decretales*, quas sanctissimorum primæ ætatis Pontificum nominibus insignes primus omnium vulgavit turpis impostor, spe, ut eventus docuit, haud vana, fore, ut sub hac persona dolus lateret facilius. Ut ne quis autem inter has *Isidori* ab omnibus tamquam apocryphas rejectas epistolas, eas quoque percenseat, quæ apud scriptores primæ ætatis memorantur, cujusmodi est prior *Clementis* ad Corinthios, *Cornelii* apud Cyprianum, *Julii* apud Athanasium, aliorum alibi; operæ pretium

Digitized by Google

fuerit hoc loco referre nominatim, quot ille et quibus Pontificibus adfinxerit. Est hæc res præterea hoc etiam habitura commodi, ut quoniam testatissimum est *Gratianum* his figmentis plenum esse, mature sibi adolescentes cavere discant ab illis quasi axiomatis, quæ ex his decerpta commentis per omnem late scholasticam Jurisprudentiam non sine gravi rectioris saniorisque doctrinæ jactura dominantur. Adscripsit igitur

Pontificibus SÆCULI I. et II.

Clementi Romano 5. *Anacleto* 3. *Evaristo* 2. *Alexandro I.* 3. *Sixto I.* 2. *Telesphoro* 1. *Hygino* 2. *Pio I.* 2. Cujus aliæ quoque eruditis suspectæ sunt. *Aniceto* 1. *Soteri* 2. *Eleutherio* 1. *Victori* 2.

SÆCULI III.

Zephyrino 2. *Callixto* 2. *Urbano* 1. *Pontiano* 2. *Antero* 1. *Fabiano* 3. *Cornelio* 2. Tertia Baronio laudata haud magis certa est. *Lucio* 1. *Stephano* 2. *Sixto II.* 2. *Dionysio* 2. *Felici I.* 3. *Eutichiano* 2. *Cajo* 1. *Marcellino* 2.

SÆCULI IV.

Marcello 2. *Eusebio* 3. *Melchiadi* 2. *Sylvestro* 1. *Marco* 1. *Julio* 2. *Liberio* 2. *Felici II.* 2. *Damaso* 5. *Syricio* 1. *Anastasio* 2.

SÆCULI V.

Joanni I. 2. *Felici III.* 2. *Bonifacio II.* 1. *Joanni II.* 1. *Agapeto I.* 1. *Silverio* 2. *Vigilio* 1. *Pelagio I.* 1. *Joanni III.* 1. *Benedicto I.* 1. *Pelagio II.* 4. *Gregorio M.* 1. ad Felicem Episcopum.

Digitized by Google

§. XLI.

Plura ficta.

Neque vero hoc est ausus tantum *Isidorus*, ut integras effingeret alienis sub nominibus epistolas; verum sinceras quoque ut mutilaret interpolaretque, sibi datum negotii putavit. Exemplo esse potest epistola *Vigilii* ad *Profuturum* Bracarensem, et *Gregorii M.* ad *Secundinum*, cui magnam de lapsis sacerdotibus laciniam adsuit. Præter epistolas porro reliquit alia non majoris fidei ex illa ætate documenta, quæ hujus hominis industriæ viri docti adjudicant: Donationem *Constantini M.*, Acta Synodi Romanæ sub *Sylvestro P.*, Epistolam Ægyptiorum ad *Marcum*, Orientalium ad *Julium*, *Athanasii* ad *Liberium* et ad *Felicem*, *Hieronymi* et Africanorum ad *Damasum*, *Amatoris* ad *Sylverium*, et alia, de quibus sæpe ante me disputarunt viri docti, ut nihil nunc necesse sit iis ipsis recitandis diu immorari.

Schol. Vid. Petrus de Marca *lib.* 1. *cap.* 11. §. 4. Pagius *in Critic. ad annum* 324. *n.* 17. *et ad ann.* 325. *n.* 16. Papebroch. *in Vita S. Athanasii ad* 2. *Maii n.* 138. Labbeus *tom.* 2. *Concil. pag.* 763. *tom.* 5. *p.* 292. *et alibi.* apud Espen *cit. diss. n.* 6. Natalis Alexander *Sæc. IV. diss.* 25.

§. XLII.

Capita præcipua systematis Isidoriani.

Adeo solers viri hujus ingenium fuit in muniendo juris systemate, quod concepisse videtur animo, dum ad hanc in se recipiendam operam induci se passus est. Videtur autem omnis monumentorum hæc ficta moles eo pertinuisse, ut sub imagine priscæ antiquitatis nova, quam meditabatur, publica disciplina placidius in Eccle-

Digitized by Google

siam invehi posset: cujus præcipua capita hoc habent propositum, ut Episcoporum, Metropolitanorum, ac Synodorum maxime provincialium auctoritas angustius circumscriberetur; Pontificis autem Romani protenderetur longe ultra terminos à Patribus constitutos. Vin' tibi exemplis rem illustrem? Annis singulis in unaquaque provincia bis Synodos celebrari Nicæni Patres voluerunt. Earum omnem curam ad Metropolitanum pertinere sæpissime antiquis canonibus constitutum est: neque ante *Isidorum* negavit quisquam, potuisse illas sine Apostolicæ Sedis adsensu congregari, quod à *Julio* ille et *Damaso* sancitum esse comminiscitur (1). Et fuit tamen commenti istius vis tanta, ut vix ullum inde ab undecimo sæculo uspiam celebratum Concilium acceperimus, cui Sedis ejusdem legati non præfuerint: quo instituto effectum est, ut Synodi Provinciales brevi interciderint. Statuta harum Synodorum negat *Isidorus* cujusquam esse roboris, nisi Romana firmentur auctoritate; idque negat, *Eleutherio* nempe *Victore* ac *Felice* auctoribus (2). Translationes Episcoporum ab una Sede ad aliam vetus disciplina Synodi judicio fieri voluit. *Isidorus* id jus Pontifici tribuit in Epistola à *Gratiano* memorata (3). In Synodis Provincialibus Episcoporum causas judicari oportere quis negavit ante *Nicolaum Papam*? Huic autem quis exstitit opinionis istius auctor antiquior *Anacleto*, *Sixto*, *Hygino*, *Aniceto*, quos in scenam *Isidorus* produxit? Nempe his vitio creatis doctoribus didicimus, à Pontifice omnes judicari, ipsum à nemine. Ejus esse plenitudinem potestatis, ceteros Episcopos tamquam vicario jure in partem tantum sollicitudinis vocari. Nihil hos, nisi adnuente Pontifice; ipsum posse omnia etiam in universam Ecclesiam. Appellandi vero ad Sedem Romanam immoderata licentia cum primis cordi fuisse *Isidoro* vi-

(1) *Vid. de Marca lib. 6. cap. 14.*
(2) *Vid. Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 8. cap. 4. §. 6.*
(3) *Caus. 7. quæst. 1. Can. 34.*

Digitized by Google

detur. Nihil enim frequentius, nihil diligentius ab illo traditum est. Sed ea ipsa re nihil pæne excogitari potuit ad succidendos omnis disciplinæ nervos efficacius: namque hac semel admissa licentia deesse jam nemini potuit sub juris speciosa imagine paratum remedium, quo imminentem vitiis suis Præpositorum auctoritatem eluderet.

Schol. Conf. omnino Claud. Fleury *dissert. 4. in histor. Eccles.* et Auctor *Defensionis Ecclesiasticæ historiæ Ab. Fleury, ejusque tractationum in eamdem.*

§. XLIII.

Quomodo excepta sit hæc collectio?

Nova hæc et inaudita melioribus sæculis disciplina, etsi essent pauci quidam, quos in suspicionem male fidei adduceret (1), brevi tamen adeo se probavit Germanis, ut jam in Concilio Aquisgranensi, quod *ann.* 836. celebratum est, ejus liceat vestigia non obscura deprehendere (2). Serius paullulum in Galliam se videtur penetrasse, repugnantibus ejus Ecclesiæ Episcopis *Hincmaro* potissimum Rhemensi, qui licet commentum hominis, quem esse *Isidorum* Hispalensem suspicabatur, refellere vel non posset, vel non auderet; auctoritatem tamen infringere pro viribus conatus est, quasi nullus esse possit legitimus usus epistolarum, quæ in recepto canonum Codice non essent (3). Sed parum procul dubio *Hincmarus* eo suo conatu profecit. Nempe licet facile adducor, ut credam, nec *Hadrianum*, nec *Leonem IV.* pro genuinis eas epistolas ac sinceris Pontificum scriptis reputasse, quod rationes à Bohmero pro-

(1) *Vid. Conring. de Orig. Jur. Germ. pag.* 16. *et* 88.
(2) *Conring. loc. cit.*
(3) *De Marca lib.* 3. *cap.* 5. §. 3. *Bohmer. cit. loc. num.* 61. *Baluz. in Præfat. ad A. Aug.*

Digitized by Google

ductæ evincunt (1); facilis tamen *Nicolao*, cui, ut tum erant tempora, displicere multis de causis minime poterant, victoria fuit, quam præter *Isidori* nomen, præter veterum Pontificum venerandam cunctis memoriam, ipsi etiam Episcopi Metropolitanorum se judiciis subtrahere cupientes vehementer adjuvabant, quod illustri exemplo ex historia noni sæculi petito probavit eruditissimus *de Marca*. Sane ab hoc inde sæculo ab omnibus usque ad hæc postrema fere tempora adeo venerabiles habitæ sunt, ut nefas ducerent de fide earumdem vel suspicari. Itaque quotquot deinceps habita sunt Concilia, his usa epistolis, aliisque ex ea ætate fictis documentis constat. Secuti sunt collectores canonum *Burchardus*, *Ivo*, *Gratianus*: cujus decretum his nugis refertissimum posteaquam cœpit publice in Academiis prælegi, et commentationibus Doctorum illustrari, *omnes passim Theologi polemici et scholastici*, *omnesque Juris Canonici interpretes plus quam à quadringentis annis ad nostra fere tempora horum omnium testimonia pro confirmatione dogmatum catholicorum*, *et stabilienda Ecclesiæ disciplina uno quasi consensu laudarunt*, *et iis libros suos impleverunt*, *quod manifestius est*, *quam ut nostra expositione indigeat*. Espen *cit. diss.* §. 3.

Schol. Conf. de Marca *lib.* 3. *cap.* 6. §. 2. Baluzius *in Præfat. ad Rhegin.* §. 4. Petrus Coustantius *citat. præfat. num.* 157.

§. XLIV.

Quando et à quibus impugnata?

Primus omnium, qui tranquillam adhuc *Isidori* possessionem turbare nonnihil visus est, *Marsilius Patavinus* fuit. Mox etiam *Gobelinus Persona* nonnulla adversus aliquot illarum epistolarum dubia movit. Succes-

(1) *Loc. cit. num.* 61.

Digitized by Google

sit, qui circa *ann.* 1432. scripsisse creditur *Nicolaus de Cusa*, atque alii plures. Et quamquam sæculo decimo sexto *Franciscus Turrianus* collectionem hanc epistolarum contra Magdeburgenses singulari opere propugnandam suscepisset, efficere tamen, quamquam vehementer connixus esset, minime potuit, quo minus plerique omnes *Syricio* antiquiores epistolas ab *Isidoro* editas aut omnino rejicerent, aut dubiam saltem earum suspectamque esse originem aperte confiterentur. Ut *Bovii*, *Salmasii*, *Userii*, *Didaci Covarrubias*, *Christiani Lupi*, et aliorum testimonia sileam; quæ à *Labbeo* egregie atque apposite scripta sunt, non putavi omittenda. *Mirum est*, inquit ille, *viris doctissimis* Turriano, Binio, *et quibusdam aliis in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce probari potuisse decretales illas epistolas, à quocumque seu* Mercatore *seu* Peccatore *fabricatas, et antiquis Romanæ urbis Episcopis circiter annum christianæ epochæ octingentesimum suppositas. Adeo enim perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nulla arte, nulla cerussa, aut purpurisso fucari possint. Eas omnes, saltem plerasque earum repudiarunt eruditissimi quique tractatores catholici*, Baronius, Bellarminus, Perronius, Cointius, Antonius Augustinus, Lorinus, Sirmondus, Petavius, Ducæus, Marca, Bosquetus, *ut alios modo sive antiquiores sive recentiores silentio obvolvam.* Similia fere habent *Card. Bona*, *Papebrochius*, et alii quos laudat *Sylburgus* ad *Heineccium lib.* 2. §. 69. *p. m.* 902. *seqq.*

Schol. Primos fuisse Centuriatores Magdeburgenses, qui bellum his epistolis indixerint, scripsit nuper iterum celeb. de Riegger *in Elem. Jur. Eccles.* §. 456. *in not.* Atqui hanc hodie laudem sibi ne Protestantes quidem ipsi vindicant, ut ex laudato Sylburgi loco manifestum est.

Digitized by Google

§. XLV.

Quibus argumentis?

Argumenta, quibus Isidori hæc commenta eruditi viri convellunt, alia quidem ad epistolas singulas pertinent, quæ *Blondellus* unus omnium diligentissime adcuratissimeque persecutus est in libro, quem *pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes* inscripsit (1). Alia ex æquo omnibus aut fere omnibus adversantur. Horum permulta adferuntur. Nobis modus adhibendus est. Itaque (I.) si veræ sunt ac germanæ veterum Pontificum epistolæ decretales ab *Isidoro* memoratæ, cur antiquis et Patribus et Romanis Pontificibus ad nonum usque rei Christianæ sæculum ignotæ fuerunt? Cur Eusebio, Hieronymo? cur Dionysio Exiguo, qui tam sollicitam iis exquirendis operam se impendisse testatus est? (II.) Qua unquam ratione mihi factum ego persuadeam, ut Pontifices, qui duobus tribusve sæculis Theodosiani Codicis editionem præcesserunt, verba constitutionum legumque, et *Aniani* ex his deducta scholia suis in epistolis usurpaverint? Qua item ratione Pontificum, Patrum, Conciliorumque sententias, sententiarumque formulas ipsas retulerunt, quas hi annis centenis post prodiderunt? Similia his sunt (III.), quæ ex divina scriptura in his litteris memorantur. Multa enim ex vulgata versione decerpta sunt; plura ex interpretatione *S. Hieronymi*: quas nemo nescit sæculis integris esse posteriores Pontificibus, quorum nomina epistolæ mentiuntur (IV.). Consules habent quorum in fastis aut nulla exstat mentio, aut exstat alio anno. Loquentes inducunt scribentesque jam dudum vita functos, eaque orationis totius et barbarie et similitudine, ut satis appareat, opus esse unius atque incompti hominis, ve-

(1) *Genev. ann.* 1628. *in* 4.

Digitized by Google

terumque præterea morum ac disciplinæ ignarissimi.

Schol. Conf. Joann. Doujat. *lib.* 2. *cap.* 22. §. 7. Mastricht *in Hist. Jur. Eccles.* §. 220. Espen *cit. diss.* §. 4. 5. Natalis Alexander *Sæc. I. diss.* 21.

§. XLVI.

An satis firmis?

Equidem non deest, quod ad hæc argumenta possit responderi, ut laudato loco censuit *Doujatius.* Nec quæ olim à *Turriano* in eam rem scripta sunt, adeo omni specie destituta esse putantur, ut inutilis, certe supervacanea videri debeat *Blondelli* in his epistolis refellendis adhibita industria, quod *Sirmondum* dicere solitum ferunt. Profecto *Doujatio* nec illa *Blondelli* tam adcurata, tam erudite exornata confutatio plane videtur satisfecisse. Quin etiam *Liberius à Jesu* scriptor minime indoctus edita singulari dissertatione deploratam diu causam agere iterum novissime instituit. *Sed probare non possum*, verbis utor Labbei, *novelli hujus studium, qui mala ave, ex zelo quidem sed minus prudenti et considerato, certe non secundum scientiam, easdem abjectas et penitus repudiatas defendere adgressus est. Non tali auxilio, nec defensoribus istis indiget, aut umquam indiguit Ecclesia Romana.* Quare hunc quidem virum mittamus licet. Sed acutius earundem epistolarum patrocinium susceperunt nostra ætate quidam, nescio an verius feliciusve.

Schol. Conf. Rupprecht *part.* 1. *crit. ad Jus Canon.*

§. XLVII.

Exceptiones Recentiorum.

Ajunt: nihil jam his conatibus opus esse: agnosce-

Digitized by Google

re Romanos futilitatem epistolarum, nec his eos commentis egere ad tuendam Sedis Romanæ dignitatem. Ceterum nihil esse in his penitus epistolis, etsi falsis, quod non verissime ab *Isidoro* singulis Pontificibus adscriptum sit: nihil pontificæ auctoritati per eas adjectum, nihil esse detractum episcopali: priscam ac sinceram in iis disciplinam exhiberi; adeo ut laude dignior quam vituperio *Blondelli* videatur operosa diligentia, qui dum indicandis fontibus, è quibus sua *Isidorus* surripuit, gravissimum se vulnus Ecclesiæ Romanæ sperabat illaturum, imprudens id dederit operam, ut auctoritatem ejus majestatemque mirifice stabiliret. Verum domus etiam, inquiunt porro, vitiosam esse jurium quorundam originem: num ob id hæc penitus convellenda putabimus? Nempe fieri istud profecto non potest, quin tota necessario Ecclesia perniciosis turbis involvatur. Imo etsi fieri possit maxime, firmiori jam fundamento hanc niti disciplinam, quam ut juri tangi possit. Alius consensum Episcoporum saltem tacitum urget, indeque natam observantiam: alius præscriptione ac possessione diuturna hoc sacrarium tuetur. Sunt etiam qui receptionem, sunt qui Concordata Nationum in subsidium advocant. Alius aliud verbose adeo disputat, ut putares, non de quisquilliis *Isidori*, sed de præcipuo quodam religionis Christianæ dogmate depugnandum illis fuisse.

Schol. Conf. Kauffmanns *de Stat. Eccles. dissert. præl.* §. 3. *et dissert.* 3. §. 9. Sappel. *de Stat. Eccles. pag.* 116. *et* 299. 310. Sangallo cap. 2. §. 3. 4. Ballerinius *in Vindic. auctorit. Pontif. cap.* 5. *pag.* 192.

§. XLVIII.

Examinantur.

Sed de *Blondello* quod jactant, id quale sit, ipsi viderint. Ceterum etsi ego absim quam longissime ab

Digitized by Google

eorum sententia, qui primæ Sedis auctoritati à *Servatore* ipsi attributæ decessurum nonnihil arbitrantur explosis Isidori commentis (§. XLVI.), non sinam tamen umquam mihi à quoquam persuaderi, tam esse antiqua in iis omnia, quam est audacter juxta atque impudenter mentitus, quisquis earum epistolarum auctor est (§. XLII.). Qui vero de præscriptione aliisque similibus nescio quid disputant, ii quidem omnes, ut ne quid gravius dicam, nimis profane de hac tota re videntur disserere. Non enim de fundis hic agitur, aut de jure stillicidii, glandeve legenda, sed res est de publico Ecclesiæ Christianæ statu, quem ego homo tardus ingenio ante hos novos doctores usucapionum subtilitatibus obnoxium esse ignoravi semper, et ignorarunt mecum peritissimi quique atque ingenui viri (1). Aperte *Gregorius Zallwein*, et ut virum gravem decebat, candide, *nullam hic valere præscriptionem*, ajebat, *nullam possessionem, nullam usucapionem, si de illius pessimo initio constet.*

Schol. Sed illud jactant cum primis: jam dudum Romam explosisse larvam Isidori: ut quid igitur his lamentis? Respondeat pro me Auctor libelli jam alias laudati *de Jure Ecclesiastico, cet. pag.* 116. *At, inquies, hæc mala jam præteriere: sæculis porro sollertioribus falsitas harum propositionum innotuit, quas cæca credulitas omnem citra perquisitionem atque investigationem exceperat; et quamquam in nostrarum legum collectione adhuc propositiones illæ exstent, cum iis tamen nullimode cohærent. Opiniones, quas illæ peperere, eidem fato fuerunt obnoxiæ: omnis earum error patescit; et quisquis sibi honori ducit propositiones sequi Religioni ac patriis legibus consonas. Jam abusus exsularunt, et primævæ Ecclesiæ leges in primævum revixerunt nitorem ac puritatem. Absit quin inde prospectus nostrarum ærumnarum collabescat augescatve. Et fortassis pravæ animi adfectiones rerumque igno-*

(1) *Vid. Gibert. tom.* 1. *pag.* 257. *seqq.*

Digitized by Google

ratio jam non homines in transversum agant, ut antea attamen etsi vulnera antiquis legibus pridem inflicta revera sint ad sanitatem redacta, an non adhuc cicatrices restant? etsi falsæ propositiones in ipso earum fonte sint destructæ, nonne adhuc in suis vigent effectibus?..... Si magna pars veterum legum in pristino substitit vigore, ut decebat; desierunt sic præscripta à novis superinducta?

§. XLIX.

Quis usus hujus doctrinæ?

Quid igitur? An miscenda sunt omnia? non ego is sum, qui novæ huic disciplinæ ita irascar, ut dissolvendam penitus atque abjiciendam putem. Scio mores hominum qui sint, et quanta inveteratæ vis consuetudinis. Sed hoc tamen *dissimulandum non est*, inquit prudentissimus de Marca, *eam, quæ jure divino Episcopis quæsita est, Ecclesiæ administrationem nullis decretalibus ablatam fuisse; quamvis potestatis illius exercendæ modus variis constitutionibus varie pro temporum ratione præscriptus fuerit. Itaque si ea tempora incidant, ut regendæ Ecclesiæ neccessitas Episcopos à regulis recentioribus discedere cogat, nihil vetat, quo minus jus naturale et divinum, omissis formulis quæ minus jure novo præscriptæ sunt, locum habeat.* Lib. 3. cap. 6. §. fin.

§. L.

Collectio Capitularium.

Qui Capitula *Hadriani* nomine in vulgatis codicibus inscripta ex *Isidori* fictis monimentis maximam partem excerpta conjiciunt, haud multum fortasse à vero

Digitized by Google

absunt. Nam oratio quidem ac stylus cum iis penitus congruit. Sed de his capitulis quoniam alibi dictum est satis (§. XXXII.), nihil hoc loco adjiciam. Omittere autem non debui insignem et quæ ad veterem Germaniæ atque etiam Hungariæ meæ disciplinam tam publicam quam privatam illustrandam, Regumque nostrorum circa sacra potestatem cum primis facit *Capitularium Collectionem.* Erant Capitularia leges à Regibus Francorum in comitiis vel Synodis, consentientibus Regni Ordinibus, editæ de negotiis sive profanis sive ecclesiasticis (1). Harum legum collectio prima ad *ann.* 827. pertinet ab *Ansegiso*, non Senonensi Archiepiscopo nec Abbate Lobiensi, sed Fontallensi confecta (2) ex *Caroli M.* ac *Ludovici* constitutionibus. Auctoritas ejus publica fuit, constabatque libris quatuor (3). Hos deinde libros tribus aliis *ann.* 845. *Benedictus* Levita Moguntinus auxit Ansegisiano Codici ita junctis, ut quintum, sextum et septimum collectionis è duabus compositæ librum efficiant. Atque his etiam numeris ab antiquis scriptoribus citantur, quamquam hoc perpetuum non esse, *Baluzius* doceat (4). Ordinem in ea *Antonius Augustinus* meliorem desiderat (5): Ordinem simul ac delectum *Conring* (6). Nam nec ab Isidori fictis documentis sibi cavit compilator, etsi à malæ fidei suspicione alienum arbitrer (7). Accesserunt his postremo *Additionum* libri quatuor incerto auctore.

Schol. Post restitutas litteras meliores primus de Capitularibus restituendis sollicitus fuit Joannes Tibius: deinde Petrus Pithoeus ac Sirmondus. Postrema eaque emendatissima editio est Steph. Baluzii, de qua, ut et

(1) *Vid. Steph. Baluz. præfat. ad Capitul.* §. 2. *seqq.*
(2) *Baluz. cit. loc.* §. 39. *Heinecc. Hist. Jur. Civ.* §. 39.
(3) *Espen dissert. de Capitul. Reg. Francor.* §. 4.
(4) *Citat. loc.* §. 47.
(5) *De Emend. Gratian. lib.* 2. *dial.* 10.
(6) *De Orig. Jur. Germ. cap.* 17.
(7) *Heinecc. lib.* 2. *pag.* 769.

Digitized by Google

ceteris vid. Buder. *in Select. Bibl. Jur. cap. 5. §. 1. p. m. 59.* et ipsius Baluzii cultissima præfatio.

§. LI.

Auctoritas Capitularium et usus.

Capitularium insignis diu per Galliam omnem Germaniamque, atque adeo ipsam etiam Italiam auctoritas fuit. Observabant illa Episcopi ceterique ex ordine sacro ministri haud minori quam Ecclesiæ canones veneratione, et ut à suis observarentur, enixe, ut par erat, curabant: quod elucet maxime ex Synodis post edita Capitularia celebratis, in quibus illa non commendabant tantum, verum decerpta quoque ex Regum suorum constitutionibus decreta, interdum verba ipsa transcribebant (1), ut capitula *Herardi* Archiepiscopi Turonensis non memorem, non *Walteri* Aurelianensis, et *Isaac* Lingonensis Episcoporum, quæ ex libris Capitularium desumpta esse jam dudum ante me ab eruditis viris observatum est. Nec hanc ego Capitularium auctoritatem valde miror: nondum enim illa tempestate invaluerat opinio Regum nullam de Ecclesiastica disciplina statuendi esse potestatem, quæ post deinde irreligiose nimis occupavit scholas contra doctrinam *Apostoli*. Equidem exolevit jam diu Capitularium hæc tanta auctoritas: notitia tamen eximiam habet etiam nunc adjunctam utilitatem, tum ob disciplinæ præstantiam (2), quam imitando exprimere, si deposcant tempora, Principes nostros non minore utique in his rebus potestate præditos nihil vetat; tum ob id etiam quod post *Rheginonem*, *Burchardum* (tametsi hunc parcius ac vere suppresso aut mendaci nomine 3) *Ivonem Gratianus* noster multa ex Capitularibus sua

(1) *Baluz. cit. loc.* §. 18. *seqq. Conring.* §. *cit.*
(2) *Vid. Espen. citat.* §. 5.
(3) *Baluz. citat. loc.* §. 20.

Digitized by Google

fecerit, in quibus interpretandis incredibile dictu est, quantum præsidii ex his libris capere liceat.

Schol. Auctoritatem Capitularium in Ecclesiasticis etiam causis quum videret Gretserus cum ætatis suæ opinationibus non cohærere, ea esse condita ajebat à Regibus non sua auctoritate, sed nutu ac permissu Episcoporum: Baronius autem, confirmata esse Apostolica auctoritate, sine qua vis eorum nulla esse potuerit, quum Reges de rebus Ecclesiasticis leges sanciendi nullum jus habeant. Utrique, pro eo ac par erat, respondit Baluzius *cit. præfat.* §. 10. *seqq.*

§. LII.

Collectio Rheginonis.

Ad res Ecclesiæ Germanicæ illustrandas haud minus commodi adferre potest collectio, quam *Rhegino* Abbas Prumiensis Monasterii *Radbodi* Trevirensis Archiepiscopi jussu in usum ejusdem totiusque diœcesis anno, creditur, 906. concinnavit. Eam is in duos libros ita partitus est, ut in priore de Personis ac rebus Ecclesiasticis; altero de vita ac moribus Laicorum exposuerit. Utrique libro formulam inquisitionis præmisit: alteram quidem in causis Clericorum, in negotiis causisque profanis alteram, ac subjectis canonibus firmavit. Titulum operi dedit *de Disciplinis Ecclesiasticis*, ut vetus inscriptio præ se fert. Fontes *Rheginoni* fuerunt Concilia Orientis, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, potissimum vero Germaniæ. Item decreta Romanorum Pontificum maxima parte sincera: dicta porro ac sententiæ Sanctorum Patrum: constitutiones ex Codice seu *Theodosii* seu *Alarici*: Capitularia Regum Francorum: Burgundionum denique ac Ripuariorum leges (1). Est is primus inter collectores, qui hæc tam varia communi *canonis* nomine insignivit, nova-

(1) *Vid. Baluz. in præfat.* §. 8. *seqq.*

Digitized by Google

que arte ita digessit, ut totius Ecclesiasticæ disciplinæ veluti compendium exhibuerit, utile nobis, atque adeo necessarium in exquirendis originibus quorumdam canonum, qui in collectionibus *Burchardi* et aliorum supersunt.

Schol. I. Coævus Rheginoni fuit *Abbo* Monachus et Abbas Floriacensis. Scripsit præter alia *Collectionem Canonum*, quam edidit Mabillonius *in Analect. tom.* 2. Servat præterea bibliotheca Sorbonæ egregiam Collectionem manu scriptam jussu Hæmonii Episcopi Verodunensis *ann.* 1009. confectam et dicatam Anselmo cuidam Archiepiscopo, de qua Salmon *tract. de Stud. Concil. part.* 2. *cap.* 1.

Schol. II. Collectio Rheginonis ut plurimum duobus duntaxat libris distinguitur. Addidit quædam ex m. scripto Codice Universitatis Juliacensis Joachimus Hildebrandus, ediditque *Helmstadii ann.* 1659. Sed huic editioni multis de causis præferenda est Baluziana curata *Parisiis ann.* 1671. Vid. Heineccius *in Histor. Juris Civil. lib.* 2. §. 50. *not.* (*a*) Recusa est hæc *Viennæ ann.* 1769. cura Ill. de Riegger. Habet bibliotheca Cæsarea *MS. Cod.* hoc titulo: *Libellus de Disciplinis Ecclesiasticis et Religione Christiana*, ex quo Baluzianam editionem non nihil emendatiorem effici posse, audisse me memini ex Kollario viro eruditissimo. Extat etiam integer hic Codex *in Collect. Concil. Germ. tom.* 2.

§. LIII.

Collectio Burchardi.

Novam Germanis post *Rheginonem* (§. LII.) aut suæ potius diœcesi ipso undecimi sæculi initio collectionem dedit *Burchardus* Wormatiensis Episcopus, vir litteris, virtute Cæsarum amicitia clarus. Lobiensem Sancti Benedicti Monachum, antequam Episcopus crea-

retur, fuisse doctissimi viri scribunt (1). Ego idem adfirmare non audeo, de quo alterum silet vitæ ejus scriptor coævus. Scripsit *Collectarium* istud *Canonum* jam Episcopus factus, consiliis usus atque opera *Olberti* Monachi Lobiensis, et Gemblacensis deinde Abbatis. Quam causam, opinor, exstitisse *Strauchio* et *Baluzio*, ut huic mallent, quam Burchardo compositi operis laudem attribuere. Opus totum *in viginti libros* tribuit, quorum quilibet sua habet capita. Laudat *Burchardi* non mediocriter *Antonius Augustinus* et industriam in colligendis et prudentiam in discernendis dirigendisque rebus et in aptando non inutili ordine sagacitatem. Sed dicendum tamen quod res est ingenue, esse in collectione hac, nec illa pauca quidem, quæ ostendant non ambigue, virum fuisse *Burchardum* nec ingenio eximio, nec doctrina. Sæpe ipse lapsus est: causam labendi præbuit aliis sæpe, qui nullo rerum delectu adhibito fidem ejus sine judicio secuti sunt. Nempe fuit ætatis illius hoc vitium vulgare, ut homines ab omni pæne severiorum litterarum luce destituti certa omnia atque authentica arbitrarentur, quæ in canonum aliorumque monumentorum collectionibus reperiebant. Itaque multa ex fictis *Isidori* epistolis in suum Codicem *Burchardus* conjecit, quamplurima ex *Rheginone*: quo facto errata illius omnia sua fecit auxitque infelix alienæ sententiæ interpres. Auctoritas Codicis quanta fuerit, disputant.

Schol. Conf. Espen *in dissert. de Decreto Burchardi.* Blondellus *in pseudo-Isidoro cap.* 18. Sylburgus *ad Heinecc. lib.* 2. §. 50. *pag. m.* 791. Editum est decretum Burchardi cum præfatione Bertholdi Questenburch *Colon. ann.* 1548. *in fol.* Tum *Parisiis ann.* 1549. atque iterum *Colon. ann.* 1560. Nondum tamen exstare integrum contendit Pertsch *in Hist. Jur. Can. pag.* 197. Adde Joann. Doujat. *lib.* 3. *cap.* 23. et Henr. Canisium *Lection Antiq. tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 497.

(1) *Baluzius in præf. ad Ant. Augustinum* §. 18.

Digitized by Google

§. LIV.

Dictatus Gregorii VII.

Turbavit post hæc Imperii simul atque Ecclesiæ pacem ferale dissidium, quod *Gregorium VII.* et *Henricum IV. Imp.* commisit. In hac temporum calamitate, ut quisque parti alterutri favebat, ita ingenii ac doctrinæ vires pro ea propaganda intendebat. Qui Romanæ rei studebant, non rectius se propositum suum exsequi posse arbitrabantur, quam faciendis institutorum Ecclesiasticorum collectionibus, in quas, quidquid causæ, quam defendebant, profuturum opinati sunt, nullo rerum delectu adhibito, plena manu congesserunt. Sed præ aliis celebrati sunt *Dictatus*, quos in Romana Synodo *ann.* 1077. majestatis suæ stabiliendæ causa edidisse fertur *Gregorius VII.* Extant in epistola hujus Pontificis quinquagesima quinta libri secundi ad Laudunenses: inde apud *Baronium* (1), *Richerium* (2), *Labbeum* (3), et alibi. Capita sunt *viginti et septem:* quæ singula prolixis notis illustravit *Christianus Lupus*, et *Gregorio* tamquam vero eorumdem auctori tribuit (4), quod et *Baronius* facit, et ante utrumque *Onuphrius Panvinius.*

Schol. *Privilegia* vero *Apostolicæ Sedis* et *Romani Pontificis*, ut ea Baronius appellat, hæc sunt: 1. Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata. 2. Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis. 3. Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare. 4. Quod Legatus ejus, etiam inferioris gradus, omnibus Episcopis præsit in Concilio, et adversus

(1) *Ad annum* 1076. *num.* 31.
(2) *Tom.* 1. *Hist. Concil. Gener. pag.* 758.
(3) *Tom.* 10. *Concil. pag.* 110.
(4) *Part.* 5. *Oper. pag.* 164.

Digitized by Google

eos sententiam depositionis dare possit. 5. Quod absentes Papa possit deponere. 6. Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debeamus permanere. 7. Quod illi soli liceat pro temporis necessitate novas leges condere novas plebes congregare, de Canonia Abbatiam facere et è contra, divitem Episcopatum dividere, et inopes unire. 8. Quod solus uti possit imperialibus insigniis. 9. Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur. 10. Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur. 11. Quod unicum sit nomen in mundo, Papæ videlicet. 12. Quod illi liceat Imperatores deponere. 13. Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare. 14. Quod de omni Ecclesia, quoqumque voluerit, Clericum valeat ordinare. 15. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præsse possit, sed non militare, et quod ab illo Episcopo non debeat superiorem gradum accipere. 16. Quod nulla Synodus absque præcepto ejus debeat generalis vocari. 17. Quod nullum capitulum nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate. 18. Quod sententia illius à nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit. 19. Quod à nemine ipse judicari debeat. 20. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem. 21. Quod majores causæ cujuscumque Ecclesiæ ad eum referri debeant. 22. Quod Ecclesia Romana numquam erraverit, nec in perpetuum scriptura testante erratura sit. 23. Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficiatur sanctus, testante S. Eunodio Papiensi Episcopo, et multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis B. Symmachi Papæ continetur. 24. Quod illius præcepto et licentia subjectis liceat accusare. 25. Quod absque synodali conventu possit Episcopos deponere et reconciliare. 26. Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ. 27. Quod à fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere.

Digitized by Google

§. LV.

An ejus sint, ambigitur.

Video tamen viros in primis doctos vehementer dubitare, verine sint et genuini, an supposititii illi Dictatus.[1] *Joannes Launojus* in epistola ad *Antonium Fabrum* Theologum Parisinum multis argumentis contendit eos à *Gregorio* non esse: non quod in eis nulla sint, quæ indoli atque ingenio *Gregorii* magnopere conveniant, sed quod sint quamplurima, quæ ab illo absint quam longissime. Hæc eadem *Pagius*, *Fleurius*, *Dupinius* aliique plures è nostris diligentissime sunt executi, cum primis *Natalis Alexander* (1). Nec quæ contra *Rechenbergius* et *Spanhemius* disputant, tanti censeo ut dimoveri me sinam. Etsi enim ab ingenio viri istius non abhorruisse istiusmodi doctrinam haud ægre largiar, eane re confectum putabimus genuinum esse illius opus, cujus nec ipse alibi uspiam meminit, nec *Beno*, quo acerbiorem inimicum expertus est, *Gregorius* neminem, nec quisquam denique eorum, qui vel ipsis *Gregorii* temporibus, vel non diu post illa floruerunt?

Schol. Poteram, hæc cum ita sint, illa Baronio laudata Romanæ Sedis privilegia silentio premere. Sed quoniam in his Gregorii Dictatibus prima quasi lineamenta cernerem totius Juris Ecclesiastici publici, quale magno studio obtrudebant orbi catholico, qui decretales pontificias commentati sunt, non putabam novellæ hujus doctrinæ origines subtrahendas notitiæ juventutis.

(1) *In Histor. Eccles. Sæc. XI. dissert.* 3.

Digitized by Google

§. LVI.

Collectio Anselmi.

Anselmo Mantuano qui, *Alexandri II.* jussu *ann.* 1074. Lucensi Ecclesiæ præfectus est, familiarissime usus est *Gregorius VII.* Eam deinde Ecclesiam dimisit *Anselmus*, et in Cluniacensem solitudinem se recondidit, quod factum gravissime ferebat *Gregorius.* Noverat enim virum moribus ac doctrina egregium, et quod caput erat Pontificiæ majestatis acerrimum vindicem. Itaque precibus primum adgressus hominem, quum nihil proficeret, imperio coëgit, ut ad Ecclesiam suam rediret. Multa ejus scripta recenset *Baronius* in Annalibus (1) ex anonymo vitæ ejus scriptore. In his est canonum quædam collectio, cujus titulus in codice bibliothecæ Barberinæ hic est, *Authentica et compendiosa collectio regularum et sententiarum SS. Patrum et authorabilium Conciliorum.* Sunt tamen viri pererudi-ti, et in his *Antonius Augustinus*, *Natalis Alexander*, *Stephanus Baluzius*, qui *Anselmi* hanc collectionem non esse suspicati sunt; tum quod *Trithemius* et *Sigebertus* ex illa ætate scriptores, ipseque adeo vitæ scriptor perantiquus, quem *Seb. Tengnagelius* Augustæ quondam bibliothecæ præfectus edidit, nullam ejus collectionis memoriam reliquerint; tum quod sint in illa fragmenta quædam desumpta ex monumentis *Anselmo*, qui *anno* 1086. mortuus est, multo recentioribus. Nihil tamen mutandum censuit *Doujatius* (2), Certius est ejus opusculum alterum, quod *Apologeticum* inscripsit ex diversis Sanctorum Patrum voluminibus compilatum, ut *Gregorii VII.* sententiam in *Henricum IV.* et universa ejus facta atque præcepta canonicis defen-

(1) *Ad annum* 1068.
(2) *Lib.* 3. *cap.* 26.

Digitized by Google

deret rationibus, et approbaret orthodoxis auctoritatibus, ut ait ille, qui vitam *Anselmi* descripsit.

Schol. I. Eidem huic causæ in acceptis ferendæ sunt præter illam Anselmo tributam, duæ Hispanicæ collectiones, quarum alteram *Tarraconensem*, alteram *Cæsaraugustanam* nuncupavit Ant. Augustinus. Neque porro alia videtur colligendorum canonum fuisse causa Deusdedit Presbytero. Geminum ejus opus est: *Collectio* seu *Liber Canonum*, quem Victori III. obtulit circa *ann.* 1087. et *Libri quatuor de rebus Ecclesiasticis*, qui integri ad defendenda Ecclesiæ Romanæ privilegia pertinent. Utrumque adhuc MS. superesse in biblioteca Vaticana monent Corr. Rom. *ad canon.* 6. *dist.* 40. Meminit etiam utriusque Baronius *ad ann.* 1087. Conf. Doujat. *lib.* 3. *cap.* 24. *et* 26. et Zallwein *tom.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 5. §. 13.

Schol. II. Collectionem superiorem, quam Doujatius, ut ajebam, Anselmo adscripsit, ab Antonio Augustino editam memorat Schottus *in Bibliotheca Hispanica pag.* 313. Ita Buder *in Biblioth. Select. Jur. cap.* 15. *pag. m.* 488. At Salmonius *in tract. de stud. Conc. part.* 2. *cap.* 1. nihil aliud monuisse Schottum testatur, quam quod hæc collectio ex observationibus Anton. Augustini innotuerit, iis nimirum, quas habet *de emendatione Gratiani lib.* 1. *dial.* 1. Cogitaverat eam edere D' Acherius, sed pœnituit promissi.

§ LVII.

Collectio Ivonis.

Anselmum excipit *Ivo*, qui in numerum Canonicorum, quos vocant, regularium cooptatus præfuit Monasterio Bellovacensi sancti Quintini, deinde *Urbani II.* beneficentia Episcopus Carnotensis. Vir fuit vitæ integritate et litterarum gloria inclitus, inque tota de in-

Digitized by Google

vestituris concertatione mirifice varius. Opera canonica duo ejus nomine circumferuntur: *Decretum* et *Panormia* seu *Panomia*, ut alii scribunt. Atque decretum quidem ab omnibus, quod sciam, *Ivoni* adscriptum est. *Partibus* constat *septemdecim*, quarum singulæ in capita distinctæ diverso aliquantulum ordine respondent libris viginti *Burchardi* Wormatiensis. (§. LIII.) Et sunt vero acuti quidam viri, qui *Ivonem* omnia ex *Burchardi* decreto descripsisse contendunt, excepta parte secunda et sexta decima, in qua quæ sunt, propemodum omnia ex *Theodosii* et *Justiniani* Codice Regumque Francorum Capitularibus decerpta sunt, quodque *Burchardus* vitaverat, inquit *Doujatius*, quasi nullæ essent in rebus Ecclesiasticis Christianorum Principum partes. Sed *Panormiam*, quam *Guido Panzirollus* (1) *Hugoni* Cataulano tribuit, *Ivoni* posse recte adscribi negant post *Bellarminum* multi, quibus consentit, et *Contium* in alia omnia euntem reprehendit *Mastrichtius* (2). Causa his est præcipua, quod sub finem ejus scripti exstent nonnulla non *Callixti II.* tantum, sed etiam *Innocentii II.* decreta, qui diu post *Ivonis* mortem Ecclesiæ Romanæ præfuerint. Verum istud quidem litem hanc minime conficit. Monet enim *Ant. Augustinus* (3) ea decreta manu recentiori adjecta fuisse; cui conjecturæ momentum non leve inde accedit, quod duo operis istius scripta exempla à se visa testetur *Mabillonius*, in quibus et nomen *Ivonis* inscriptum fuerit, et decreta *Innocentii* abfuerint. Quam autem *Vincentius* Bellovacensis *summam decretorum Hugoni* adscripsit, eam esse opus à Panormia diversum ex eo colligit *Augustinus*, quod sint quam paucissima in quibus duo hi Codices conspirent, plurima in quibus distent. Quare nihil opus est *Bohmeri* conjectura existimantis, *Ivoni* Panormiam

(1) *De clar. leg. interpr. lib.* 3. *cap.* 1.
(2) *In Hist. Jur. Eccles. n.* 268.
(3) *Lib.* 2. *dial.* 5.

Digitized by Google

eam fortasse ob causam fuisse adjudicatam, quod ex ejus decreto deprompta esset, quemadmodum pro more ætatis Breviarium *Aniani*, quod ex *Theodosii* desumptum est Codice, ipsius Codicis nomine dici laudarique solet.

Schol. I. Decretum Ivonis una cum ejus epistolis prodiit Lovanii *ann.* 1561. curante Joanne Molinæo. Sed præstat editio Parisina cum aliis viri sancti scriptis *ann.* 1647. cura Joann. Frontonis cum Soucheti ac Jureti in epistolas notis. Panormia prodiit Basileæ *ann.* 1499. opera Seb. Brant. tum Lovanii *ann.* 1577.

Schol. II. Laudant Corr. Rom. Collectionem Polycarpi nomine scriptam, cujus auctor est non Polycarpus, quod videtur credidisse Franc. Florens, verum Gregorius Presbyter, Ecclesiæ Compostellanæ Cardinalis, qui collectionem ipsam, Polycarpum inscripsit. Concinnata est circa medium sæculi duodecimi: de qua, ut de ceteris ex eadem ætate Codicibus vide Joann. Doujat. *lib.* 3. *cap.* 29. *seqq.*

§. LVIII.

Quis et qualis fuerit Gratianus?

Jam ad *Gratianum* venio, cujus præ omnibus, qui ante ipsum canonibus colligendis operam navabant, fama deinceps maxime valuit. Natione Hetruscus fuit, Clusinus patria; nam omnino falluntur, qui Classensem faciunt. Adolescens regulam *S. Benedicti* professus Bononiæ in Monasterio *S. Felicis*, temporibus *Conradi III. Imp.* vixit, quo tempore *Alexander*, qui deinde summum Pontificatum adeptus est, Theologiam ibi publice profitebatur(1). Ingenium illi fuit acutum satis in Patrum sententiis, Conciliorumque ac Pontificum decretis pro suo modulo conciliandis; sed minus, quam oportebat,

(1) *Vid. Bohmer. diss. decr. Gratian.* §. 9. *Heinec. in Histor. Jur. lib.* 2. §. 61. (*not.* 1.).

Digitized by Google

excultum. Antiquæ disciplinæ memoria videtur fuisse pertenui, græcæ linguæ peritia prorsus nulla, nulla severioris doctrinæ notitia; unde recentiorum Collectorum auctoritati pro sæculi sui vitio adeo adhærebat tenaciter, ut quidquid in illis reperiret, sine ullo delectu et probaret ipse, et aliis imitandum proponeret. Ex qua quidem re perspicue apparet, virum fuisse *Gratianum* in veterum lectione parum versatum, ut mirum non sit, dum neglectis aut potius ignoratis fontibus è rivulis perpetuo hauriret, quandoque lutulentum defluere.

Schol. Permulta ex Kalendario Archi-gymnasii Bononiensis ad illustrandas res Gratiani pertinentia descripsit Alexander Machiavellus in notis ad Sigonii historiam Bononiensem *ad ann.* 1151. Ex eo Bohmerus in laudata dissertatione, et deinceps ceteri omnes. Eorum fidem negat posse in dubium revocari doctissimus Sylburgus apud Heineccium *lib.* 2. §. 6. (*not. p.*). Eadem tamen valde suspecta judicavit vir insignis Laur. Mosheim *Inst. Histor. Eccles. Sæc. XII. pag.* 395. (*not. e*).

§. LIX.

Occasio et scopus decreti.

In ea Monasterii solitudine elucubratum est opus, quod nunc forte per abusum *Decretum Gratiani* dicimus. Nempe civilis juris studia fervere, negligi contra ac prope contemni canonicum Bononiæ quum videret *Gratianus*, ea maxime de causa, quod justum disciplinæ hujus, et academicis aptum usibus systema nullum esset; seu sponte sua, seu quod ex *Manriquio* conjicit *Bohmerus*, *Bernardi* Abbatis Clarevallensis hortatu, ne doctrinæ sacræ progressibus commodi libelli defectus obesset, illius conficiendi in se curam recepit. Quo ut majorem à studiosa canonum juventute gratiam iniret, eam quam *Ivo* Carnotensis in præfatione decreti sui in-

Digitized by Google

dicaverat, secutus methodum, canones inter sese dissidentes in concordiam reducere tentavit, quam illi causam fuisse reor, ut *Concordiam Discordantium Canonum* opus ipse suum inscriberet. (1) Adgressus illud est, si temporis rationem recte iniit *Zieglerus ann.* 1127, perfecit *ann.* 1151. Perfectum Bononiensibus Academicis examinandum corrigendumque obtulit, à quibus collaudatum mirifice, *Eugenius P.* non modo publice in Academia prælegendum censuit; verum gradus etiam academicos jam tum in jure civili et artibus conferri solitos, juri etiam canonico non sine honoris quadam prærogativa contulit (2). Quæ res dici non potes, quantum ad propagandam tam decreti, quam juris ipsius auctoritatem valuerit.

Schol. Conf. Bohmer *cit. dissert.* §. 13. et Sylburgus ad Heineccium *Hist. jur. civ. lib.* 2. *p. m.* 859. *seqq.*

§. LX.

Ejusdem. nævi.

Etsi autem annos prope viginti et quatuor expoliendo huic operi *Gratianus* impenderit, (§. LIX.) exiguo tamen judicio, nec satis industriæ in eo versatus est. Ipsa primum totius operis partitio nihil habet valde commendandum (3). Ordinem porro, lepide *Molinæus* solebat dicere, in *Gratiano* quærere, idem sibi videri, ac si quis delphinos venetur in saltibus, in fluctibus apros (4). Neque etiam, quod debebat maxime, Concilia ipse vidit, quorum descripsit canones: nec Registra Pontificum, nec Patrum inspexit scripta. Quæcumque habet,

(1) *Bohmer. cit. dissert.* §. 10. 11. *Ill. de Riegger. dissert. de decret. Grat.* §. 11.
(2) *Bohmer. cit. dissert.* §. 12. (*not. g*).
(3) *Vid. Berardus tom.* 1. *in præfat. obs.* 9.
(4) *Ill. de Riegger cit. dissert.* §. 39. 52.

Digitized by Google

ferme aliena sunt, et ex collectionibus *Dionysii Exigui*, *Martini* Bracarensis, ceterorumque, qui deinde floruerunt, parum scite compilata (1). Quoniam vero ex his quoque pauci ea doctrina essent, ut genuina ac sincera à spuriis fictitiisque monumentis possent distinguere, atque ob id inania *Isidori*, aliaque ejus ætatis permulta commenta suas in collectiones transferrent, quod ex instituto probavit *Blondellus* (2); fieri sane non potuit, quin *Gratianus* horum sine delectu fidem secutus, iisdem fabulis decretum suum inquinaret. Et ut superiores illi multa perperam descripserunt, corruperunt alia, alia interpolarunt, suisque moribus attemperarunt, alterque alteri causam errandi multiplicem præbuerunt; ita omnium *Gratianus* errata sua faceret, novisque ipse liberalissime cumularet, adeo ut miretur *Espenius*, quomodo privati hominis opus, qualis *Gratianus* fuit, tanta confusione compactum, tot errorum congerie refertum ad eam auctoritatem et venerationem pervenire potuerit, tantoque Doctorum tam Theologorum, quam Jurisperitorum consensu et applausu suscipi et laudari meruerit.

Schol. Vid. *Tract. histor. canon. part.* 6. *cap.* 3. §. 2. Conf. Ant. August. *de emendat. Gratian. lib.* 1. *dial.* 1.

§. LXI.

Emendare quis primum tentarit?

Neque ego tamen propterea malam *Gratiani* fidem incusaverim. Vitia hæc ætatis magis reputo, quam hominis. Nam quis nescit *Gratiani* ævum quantopere ab iis fuerit destitutum subsidiis, quæ ad litterariam ejusmodi fraudem detegendam necessaria sunt? Sane *Gratiani* lapsus prope innumeros, qui emendaret, ante sæcu-

(1) *Vid. Gibert. tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 24. *cap.* 4. *Ant. August. lib.* 1. *dial.* 1. *pag.* 9.

(2) *Pseudo-Isidor. vapul. cap.* 18.

Digitized by Google

lum decimum sextum nemo uspiam repertus est. Hoc demum sæculo *Antonius Demochares* et *Antonius Contius*, Theologus ille, hic Jurisconsultus, nulli facile secundus, primi pene fuerunt, qui ut *Baluzius* ait, cuncta apud *Gratianum* tentaverunt reducere felicibus interdum conatibus. Quid *Demochares* suis emendationibus præstiterit aut præstare saltem conatus sit, ipse pluribus exposuit duabus epistolis (1). *Contii* vero in emendando *Gratiani* opere labores enarrat præfatiuncula editioni ejus præfixa, enarratura explicatius, nisi eam Antuerpiensis librorum censor ineptissime mutilasset. His Carolum *Molinæum* adjunxit *Douaïus*.

Scholion. *Notæ numericæ*, quibus hodie canones in decreto Gratiani sejunguntur, non sunt à Gratiani manu. Contius numeros primus canonibus inscripsit. Vid. Ant. Angustinum *lib.* 1. *dialog.* 18. Quod præstantissimi viri institutum haud dubie percommodum est; si tamen in distinctione capitum facienda majorem solertiam adhibuisset, ampliorem utique etiam gratiam inierit fuisset. Berardus *tom.* 1. *obs.* 10.

§. LXII.

Correctio Romana.

Sed vitiorum major vis huic operi inerat, quam ut duorum hominum sagacitate detegi omnia, vel superari industria potuerint. Nec tamen è dignitate Ecclesiæ esse videbatur librum tot infectum mævis in Academiis juventuti prælegi, inque causis judicandis usurpari. Ejus itaque emendandi curam ad se summi Pontifices revocarunt. Commendavit hanc ornandam provinciam *Pius IV.* pluribus à se delectis viris, quibus ob eam deinde *Correctorum Romanorum* nomen adhæsit. Continuavit cœp-

(1) *Vid. Ill. de Riegger. cit. dissert.* §. 93.

Digitized by Google

tum opus *Pius IV.* absolutum sub *Gregorio XIII.* (1), qui emendatum tanta cura decretum, et ceteris juris canonici partibus accensuit, et mandavit preterea, ut *quæ emendata ac reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita, ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.*

Schol. Quo tempore Romæ in expoliendo decreto summa industria atque ingenti subsidiorum apparatu, nec tamen optima methodo elaboratum est, Ant. Augustinos libros dialogorum duos de emendatione Gratiani scripsit, in quibus elegantiam orationis suavitatemque, an doctrinæ incredibilem varietatem plus admirer, incertum est. Edidit eos nitidissime Paris. ann. 1760. Joann. Garnier.

§. LXIII.

Menda non omnia sustulit.

Videri poterat nihil superesse mendorum post tam diuturnam tamque severam decreti castigationem. Et sane nullum est dubium, quin Correctorum Romanorum studiis multa capita olim vitiosa suis sint rite auctoribus restituta, inque ceteris decreti nævis emendandis præclare sint illi de his disciplinis meriti. Plura tamen non solum errata intacta reliquerunt, verum ipsum etiam decretum adjectis aliis detractisque ita immutarunt, ut *Gratianum* ipso in Gratiano requiras (2). Quæ quidem res plus habet, quam putatur, incommodi. Quamquam tolerabile illud tamen, si purgatiorem vitiis *Gratianum* præstitissent. At nunc errorum eadem genera prope omnia supersunt, de quibus olim questus est *Augustinus.* Falsa nomina: Inscriptiones falsæ: Conciliorum, Patrum, Scriptorum Ecclesiasticorum mira confu-

(1) *Böhmer cit. dissert.* §. 17.
(2) *Vid. Espen cit. tract. part.* 6. *cap.* 2. §. 2. 3. *Baluz. in præf. ad August.* §. 29.

Digitized by Google

sio. Etiam nunc epistolarum *Clementis*, *Anacleti*, ac ceterorum Pontificum, qui ad *Syricium* vixerunt, plena sunt omnia; neque his tantum, verum aliis quoque ex eadem ætate fictis documentis. Ut jam non memorem veterum canonum interpolationes interpretationesque, ævi gratianei moribus, quam antiquæ disciplinæ similiores, atque eam componendorum canonum rationem, qua *Gratianus* antiqua, etiam majora, et generalia Concilia, quibus Ecclesiarum jura libertatesque continentur, cedere coëgit et minoribus, et persæpe falsis. Hæc licet graviora, dum minutis distinentur, Correctores prætereunt.

Schol. Hæc quam vera sint, facto ipso ostendit Seb. Berardus in præstantissimo opere, cui hic titulus est: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti: corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti: difficiliores commoda interpretatione illustrati. Vol. 4. Taur. ann. 1752.* 4. Isidorianis refertissimun esse decretum nunc admodum monui. Fragmenta omnia Bohmerus in decreto ab se edito notavit diligenter. Sed quia illud in paucissimorum adolescentum manibus est, non inutile fuerit ea hoc loco indicare, ne bona fide capiamur.

EX DECRETI PARTE I.

can. 4. Dist. IV.
can. 3. Dist. XI.
can. 6. ibid.
can. 1. Dist. XII.
can. 2. Dist. XVI.
can. 12. ibid.
can. 1. Dist. XVII.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 5. ibid.
can. 2. Dist. XXI.
can. 2. Dist. XXII.
can. 4. Dist. XXIII.
can. 21. ibid.
can. 25. ibid.
can. 2. Dist. XXV.
can. 14. Dist. XXXVII.
can. 8. Dist. XXXVIII.
can. 16. ibid.
can. 2. Dist. XLIII.
can. 3. ibid.
can. 18. Dist. XLV.
can. 14. Dist. L.
can. 23. Dist. LXIII.

Digitized by Google

can. 2. Dist. LXIV.
can. 4. ibid.
can. 1. Dist. LXVI.
can. 2. ibid.
can. 1. Dist. LXVII.
can. 4. Dist. LXVIII.
can. 5. ibid.
can. 1. Dist. LXXV.
can. 3. ibid.
can. 1. Dist. LXXVI.
can. 1. Dist. LXXVII.
can. 11. Dist. LXXIX.
can. 1. Dist. LXXX.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 19. Dist. LXXXI.
can. 20. ibid.
can. 21. ibid.
can. 4. Dist. LXXXIII.
can. 6. ibid.
can. 6. Dist. LXXXIV.
can. 1. Dist. LXXXVII.
can. 7. Dist. LXXXIX.
can. 12. Dist. XC.
can. 1. Dist. XCIII.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.
can. 2. Dist. XCIV.
can. 16. Dist. XCVI.
can. 1. Dist. XCVIII.
can. 2. ibid.
can. 1. Dist. XCIX.
can. 2. ibid.
can. 4. ibid.

EX DECRETI PARTE II.

can. 85. I. quæst. 1.
can. 91. ibid.
can. 12. I. quæst. 3.
can. 25. I. quæst. 7.
can. 4. II. quæst. 1.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 13. ibid.
can. 20. ibid.
can. 1. II. quæst. 2.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 1. II. quæst. 3.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 5. ibid.
can. 1. II. quæst. 5.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 10. ibid.
can. 1. II. quæst. 6.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.

Digitized by Google

can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 18. ibid.
can. 20. ibid.
can. 21. ibid.
can. 1. II. quæst. 7.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 8. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 14. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 18. ibid.
can. 19. ibid.
can. 21. ibid.
can. 23. ibid.
can. 25. ibid.
can. 38. ibid.
can. 39. ibid.
can. 50. ibid.
can. 51. ibid.
can. 52. ibid.
can. 55. ibid.
can. 1. II. quæst. 8.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 1. III. quæst. 1.
can. 2. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 1. III. quæst. 2.
can. 2. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 1. III. quæst. 3.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 1. III. quæst. 4.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.
can. 1. III. quæst. 5.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.

Digitized by Google

can. 6. ibid.
can. 8. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 1. III. quæst. 6.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 9. ibid.
can. 11. ibid.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 18. ibid.
can. 1. III. quæst. 7.
can. 1. III. quæst. 8.
can. 1. III. quæst. 9.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 11. ibid.
can. 13. ibid.
can. 15. ibid.
can. 18. ibid.
can. 3. III. quæst. 10.
can. 1. III. quæst. 11.
can. 1. IV. quæst. 4.
can. 2. ibid.
can. 3. IV. quæst. 6.
can. 1. V. quæst. 2.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 1. V. quæst. 3.
can. 1. V. quæst. 4.
can. 2. ibid.
can. 4. V. quæst. 5.
can. 1. VI. quæst. 1.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 5. ibid.
can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 9. ibid.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 14. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 18. ibid.
can. 19. ibid.
can. 20. ibid.
can. 2. VI. quæst. 3.
can. 4. VI. quæst. 4.
can. 11. VII. quæst. 1.
can. 34. ibid.
can. 35. ibid.
can. 36. ibid.
can. 39. ibid.

Digitized by Google

can. 46. ibid.
can. 1. VIII. quæst. 1.
can. 2. ibid.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 1. VIII. quæst. 5.
can. 3. IX. quæst. 1.
can. 1. IX. quæst. 2.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. IX. quæst. 3.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 11. ibid.
can. 12. ibid.
can. 15. ibid.
can. 19. ibid.
can. 1 XI. quæst. 1.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 7. ibid.
can. 9. ibid.
can. 10. ibid.
can. 14. ibid.
can. 18. ibid.
can. 22. ibid.
can. 29. ibid.
can. 30. ibid.
can. 32. ibid.
can. 33. ibid.
can. 11. XI. quæst. 3.
can. 12. ibid.
can. 14. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 27. ibid.
can. 76. ibid.
can. 82. ibid.
can. 89. ibid.
can. 95. ibid.
can. 2. XII. quæst. 1.
can. 9. ibid.
can. 13. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 26. ibid.
can. 1. XII. quæst. 2.
can. 5. ibid.
can. 6. ibid.
can. 7. ibid.
can. 10. ibid.
can. un. XIII. quæst. 1.
can. 17. XIII. quæst. 2.
can. 5. XV. quæst. 3.
can. 1. XV. quæst. 6.
can. 41. XVI. quæst. 1.
can. 28. XVI. quæst. 7.
can. 5. XVII. quæst. 4.
can. 12. ibid.
can. 13. ibid.
can. 14. ibid.
can. 15. ibid.
can. 18. ibid.
can. 16. XXII. quæst. 4.
can. 8. XXIII. quæst. 3.
can. 9. ibid.
can. 30. XXIII. quæst. 4.
can. 9. XXIV. quæst. 1.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.

Digitized by Google

can. 13. ibid.
can. 15. ibid.
can. 32. ibid.
can. 41. ibid.
can. 14. XXIV. quæst. 3.
can. 5. XXV. quæst. 1.
can. 8. ibid.
can. 12. ibid.
can. 1. XXV. quæst. 2.
can. 11. ibid.
can. 22. ibid.
can. 1. XXX. quæst. 1.
can. 1. XXX. quæst. 5.
can. 10. ibid.
can. 11. ibid.
can. 16. XXXII. quæst. 7.
can. 24. Dist. I. de Pœnit.
can. 21. Dist. III. ibid.
can. 2. XXXV. quæst. 2.
can. 7. ibid.
can. 10. ibid.

EX DECRETI PARTE III.

can. 1. Dist. I.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 5. ibid.
can. 11. ibid.
can. 13. ibid.
can. 14. ibid.
can. 15. ibid.
can. 16. ibid.
can. 17. ibid.
can. 19. ibid.
can. 21. ibid.
can. 38. ibid.
can. 39. ibid.
can. 40. ibid.
can. 41. ibid.
can. 42. ibid.
can. 46. ibid.
can. 48. ibid.
can. 54. ibid.
can. 59. ibid.
can. 60. ibid.
can. 61. ibid.
can. 68. ibid.
can. 71. ibid.
can. 1. Dist. II.
can. 7. ibid.
can. 8. ibid.
can. 10. ibid.
can. 23. ibid.
can. 14. Dist. III.
can. 18. ibid.
can. 19. ibid.
can. 20. ibid.
can. 21. ibid.
can. 22. ibid.
can. 1. Dist. V.
can. 2. ibid.
can. 3. ibid.
can. 4. ibid.
can. 23. ibid.

Digitized by Google

§. LXIV.

Partes Decreti.

Tres sunt operis totius partes præcipuæ. Earum *Prima* distinctionibus constat centum et una. Prioribus viginti egit *Gratianus* de origine, auctoritate, variisque speciebus ac principiis juris Ecclesiastici, veluti canonibus conciliorum (1), decretis et epistolis Pontificum (2), sententiis sanctorum Patrum (3). In reliquis exposuit de Clericis eorumque statu vario, dignitate, ordinatione, honore, officiis. *Altera*, quæ est de judiciis ac negotiis fori Ecclesiastici, continet causas sex et triginta, suas rursus in quæstiones divisas, in quibus certam propositi facti circumstantiam discutit, adductisque auctoritatibus firmare nititur. Erat tum hæc scholæ methodus. Sed animadversum est, sæpe levicula occasione arrepta *Gratianum* relicto argumento ad alia transiliisse toto genere diversa, cujus rei exemplum est in causa tertia et tricesima, cui præter omnem lectoris exspectationem subjectus est *Tractatus de pœnitentia* alieno ille loco quidem, sed qui tamen ob eam rem abjudicari *Gratiano* minime debebat (4). *Tertia* pars est de rebus ac ritibus sacris, quam de consecratione inscripsit. Initium facit à consecratione, ac subinde per distinctiones quinque explicat ea, quæ ad publicum *Dei* cultum spectant. Singulas demum tam distinctiones, quam quæstiones partitus est in canones seu mavis capitula, quorum numerus facile tria millia superat.

Schol. Allegari solet Gratianus ita, ut indicato vel numero, vel primo canonis vocabulo, vel utroque, in

(1) *Dist.* 15. 19.
(2) *Dist.* 19.
(3) *Dist.* 20.
(4) *Vid. Ill. Riegger cit. dissert.* §. 59. *seqq.*

Digitized by Google

prima quidem parte distinctio adjiciatur, veluti *can.* Miramur, *5. distinct.* 61. In altera vero addatur numerus causæ et quæstionis: ut *can.* Non licet, 14. *causa* 3. *quæst.* 6. Causæ tricesimæ tertiæ quæstio tertia, à Recentiore nescio quo, *in septem distinctiones* divisa est. Unde loca quæstionis istius citantur aut expresso numero, aut initiali voce canonis et numero distinctionis cum hac adjectione: *de Pœnitentia.* ex. g. *can.* Lacrymæ, *dist.* 1. *de Pœnitentia.* Tertiæ demum partis eadem est, quæ primæ, ratio: Nam et hæc distinctiones habet, sed ut canones utrique apte discernantur, locis ex tertia hac parte citatis addi solet: *de Consecratione.* Vid. Zech. *præcognita jur. can.* §. 284. *seqq.*

§. LXV.

Quid Paleæ.

His capitulis interjecta sunt nonnulla, quibus obscurum *Paleæ* nomen inscriptum est. Ea *Gratiani* non esse, Baronius ex eo vult apertum esse, quod in Codice Vaticano satis dilucide appareat, aliena et recentiori manu adjecta fuisse (1). Quæ conjectura firmari ex eo potest, quod *Diomedes Brava* à duobus vetustissimis Codicibus, qui sibi ad manus fuerint, omnia propemodum illa additamenta abfuisse testatus sit (2). Idem de duobus regiis Codicibus *Bohmerus*, de Cæsareis *Rieggerus* memorant. Quis adscripserit, aut cur hoc illis, et unde nomen sit inditum, non vacat inquirere (3).

Schol. Conf. Heineccius *in Hist. jur. civ. lib.* 2. §. 61. *not.* (*e*). Nec hac Gratianus fortuna caruit, ut decretum ejus illustraretur glossis, quarum ætas illa amans ferme ad nauseam fuit. Vid. Buder *in Bibl. jur. select.*

(1) *In Annal. ad ann.* 1151. *n.* 6.
(2) *In. Disquis. crit. de interpol. Grat.*
(3) *Vid. Masttrich. in Hist. jur. Eccles. n.* 314.

Digitized by Google

cap. 15. §. 12. Eminet præ ceteris Joannes Semeca vir aliis etiam de causis memorabilis: de quo vid. Sylburgum *ad Heineccium lib.* 2. §. 63. *not.* (β).

§. LXVI.

Antiquæ decretalium collectiones.

Decretalibus Pontificum colligendis ævo etiam superiore sacri juris studiosi operam impendebant. In principio quidem sollicite illas à canonibus Conciliorum sejungebant, eo quod nondum viderentur parem cum istis auctoritatem obtinere. Primus è Latinis *Rhegino* fuit, qui nullo discrimine canones, decreta Pontificum, Patrum Principumque placita in unum quoddam veluti systema compegit, quem morem retinuisse *Gratianum* ex dictis liquet. Post hunc vero, qui compilandis Ecclesiæ legibus vacabant, nulla fere conciliorum habita ratione decretales solas ad curam suam revocabant. Conciliorum Provincialium et Nationalium occisa multum falsis decretalibus auctoritas (§. XLII.) in dies magis concidebat: decretalium contra ac rescriptorum Pontificiorum, et numerus, et dignitas, nova semper incrementa capiebat. Cujus rei causæ quum sint quamplurimæ; tum vero permultum conferebat frequens ad Sedem Romanam decisionum petendarum causa recursus fori pœnitentialis atque externi separatio: distinctio ordinationis à provisione: novorum ordinum religiosorum institutio, horumque exemptiones ac privilegia. Accesserunt his causarum majorum matrimonialiumque reservationes, aliaque his similia complura. Quæ omnia si quis adcurate expendat, ait *de Marca*, intelliget facile, non tantum veteris juris à novo discrimen, verum illud etiam in tanta negotiorum prioribus sæculis inaudita varietate fieri vix potuisse, quin novæ idemtidem constitutiones, illæque non paucæ ab invitis etiam Pontificibus extorquerentur.

Digitized by Google

Schol. Conf. omnino Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 6. §. 14. et Just. Henn. Bohmer *in dissert. de decret. Roman. Pont.* §. 11. *seq.*

§. LXVII.

Quæ sint?

Quæ à tempore confecti Gratianei decreti usque ad *Gregorii IX.* compilationem editæ sunt collectiones decretalium, *Antiquæ* dicuntur. Harum vulgo quinque numerant: inter quas *Prima* habetur illa, quæ *Bernardo Circæ* Præposito Papiensi et deinde Episcopo Faventino debetur, et præcipue *Alexandri III. Lucii III.* aliorumque Pontificum decretales usque ad *Cœlestinum II.* continet (1). Verum duas, illam, collectiones antiquiores præcessisse docuit Bohmer (2), quarum una ab ipso primum ex pervetusto Bibliothecæ Hasso-Casselanæ scripto Codice edita est (3), altera vero sub titulo appendicis ad Concilium Lateranense *à Joanne Harduino* refertur (4). Ex his multa in suas collectiones *Bernardum* et *Raymundum* retulisse, *Bohmerus* contendit. *Altera*, quæ annis duodecim post Bernardi collectionem prodiit, est *Gallensis* seu *Vallensis*, qui nonnullas *Alexandri III.* plures vero *Lucii III. Urbani III. Clementis III.* et *Cœlestini II.* eadem methodo, qua is usus est, congessit (5). *Tertia Innocentii III.* decretales complectitur opera *Petri* Beneventani, jussu ejus, rejecta *Bernardi* Compostellani compilatione *ann.* 1210. edita (6). Huic

(1) *Vid. Lud. Bohmer de clement. pag.* 5. *Joann. Chrysost. Koch. opusc. jur. can. pag.* 3. *seqq.*
(2) *Dissert. de Collect. decret.* §. 13. *not.* 85. *et* 87.
(3) *Corp. jur. can. tom.* 2. *n.* 1.
(4) *Tom.* 6. *Concil. part.* 2. *pag.* 1694.
(5) *Espen in dissert. de veter. decret. collect.* §. 2. *Bohmer not. ad cap.* 40. *de sent. excomm.*
(6) *Espen loc. cit. cap.* 2. §. 1. *Georg. Bohmer. loc. cit.*

Digitized by Google

quinquennio post *Quarta* successit ex ejusdem *Innocentii III.* rescriptis, et Concilii Lateranensis IV. ejus tempore habiti decretis conflata (1). Atque has quatuor decretalium compilationes uno volumine edidit *Antonius Augustinus* Ilerdæ *ann.* 1576. *Quinta* denique auctoritate *Honori III.* cujus solius decretales continet, promulgata est *ann.* 1227. (2). Hanc in Bibliotheca Albiensi repertam primum edidit *Innocentius Cironius* Tolosæ *ann.* 1645. et notis bonæ frugis plenissimis illustravit.

Schol. Auctoritas quidem veterum istarum collectionum in judiciis nulla est: usus tamen non contemnendus in decretalibus Greg. IX. interpretandis. Vid. Franc. Florens *in oratione de recta juris canonici discendi ratione*: et Van Espen *in Tract. Histor. canon. part.* 8. *cap.* 1. §. 4. *et* 5.

§. LXVIII.

Causa Collect. Gregorii IX.

Erant igitur decretalium epistolarum collectiones quinque nimirum, quæ post *Honorii III.* summum Pontificatum scholas, tribunalia, eruditorum privatim manus fatigabant. Quamquam enim demptis tribus postremis, reliquæ duæ incertæ essent fidei nec publicæ auctoritatis, allegari tamen præter *Gratiani* decretum (3), non in scholis tantum, sed in foro frequenter solebant (4). At eadem illæ collectiones, ut solet usuvenire in rebus dubiis et controversis, sæpe in suspicionem sublestæ fidei vocatæ incertum efficiebant jus fori: Juris autem incertitudo lites pariebat, ex litibus et jurgia immortalia, quibus nihil privatæ rei, nihil pu-

(1) *Espen loc. cit.* §. 2. *Selchov. in Hist. jur.* §. 139.
(2) *Ill. de Riegger in Excurs. histor. de collect. Honorii.*
(3) *Sylburgus ad Hein. lib.* 2. *pag.* 915.
(4) *Bohmer cit. dissert.* §. 15. *not.* 95.

Digitized by Google

blicæ exitiosius esse potest. Qua de re plena exstat querelarum *Stephani* Tornacensis ad *Cœlestinum II.* epistola (1), circa annum 1192. scripta. Itaque *Gregorius IX.* vir Canonicæ rei ac forensis peritissimus (2), ut huic scholarum judiciorumque calamitati idoneam adhiberet medicinam, consilium iniit, unum exemplo *Justiniani Imperatoris* ex omnibus prioribus Codicibus decretalibusque à se adhuc promulgatis conflandi volumen, cui, abrogata superioribus vi obligandi, *soli authenticam* impertiretur *auctoritatem*, ratus, id quod res erat, fore, ut hoc pacto conticescerent deinceps ambiguæ, de fide, juris disceptationes; judicibus, perinde ac Patronis causarum, molestissimæ.

§. LXIX.

Quando confecta?

Conficiendæ collectionis provinciam *Raymundo de Pennafort* è familia Prædicatorum sodali (3) ita mandavit, ut etiam potestatem fecerit *resecandi*, si qua *superflua* illi, aut *inutilia* visa fuerint. Adjici quoque suas constitutiones jussit, quarum ille permultas præter morem usumque majorum de rebus omnino profanis eo fortasse consilio publicavit, ut minueret necessitatem recurrendi ad jus civile Romanorum, cujus auctoritatem magis indies, magisque invalescere invitus intuebatur (4). Absolvit opus citius exspectatione *Raymundus* ingenti quidem, at non infelici labore, ut *Clemens VIII.* fidem facit in Bulla, qua illum Sanctorum numero adscripsit. Absolutum *Gregorius* pro more jam tum Romanis Episcopis satis usitato ad Parisiensem primum, deinde Bononien-

(1) 251. *edit. Paris. ann.* 1679.
(2) *Böhmer. cit. loc. num.* 97.
(3) *Vid. Heinecc. Histor. jur. lib.* 2. §. 69.
(4) *Sylburg. ad Heinecc. loc. cit.*

Digitized by Google

seu academiam ea lege transmisit, ut praeter hanc, alia decretalium collectione in posterum seu in judiciis, seu in scholis pro authentica ne uterentur. Annus confectae compilationis idem est, qui publicatae, tricesimus quartus supra millesimum ducentesimum; unde manifestum est, nullam isto anno posteriorem *Gregorii IX.* decretalem huic Codici potuisse inseri, quod in notis annorum inscribendis videtur diligentissimus ceteroquin *Bohmerus* interdum non animadvertisse.

Schol. Sed hoc ipsum deinde Bohmerus aperte confessus est *in cit. dissert.* §. 15. *not.* 100. Non omittam hic, quod idem observavit vir lectissimus Henr. Bohmeus, Gregorii, quae de civilibus rebus sunt, decisiones plerasque ex Glossatorum interpretationibus non raro ineptis depromptas esse. Quod qui non observant, mirum quantum se in iis explicandis torqueant. Hujus certe observationis ope, Bohmerus bene multa decretalium fragmenta obscura aliis atque involuta, expedivit felicissime.

§. LXX.

Quam recte Raymundus eo labore sit defunctus?

Permulta sunt in hac collectione, in quibus periti homines *Raymundi* seu fidem, seu sobertiam, et acumen desiderant. Jam hoc dictum est nuper, non id *Gregorio* fuisse propositum, ut omnes vel integras praedecessorum decretales colligeret *Raymundus*, quemadmodum à superioribus factum est, sed *resectis*, ut ille ait, superfluis atque *omissis inutilibus*, quale etiam *Justiniani* fuisse datum *Triboniano* mandatum accepimus. Atqui hoc quidem nemo est, qui in vitio ponat. Verum facta sibi à Pontifice resecandi potestate quod haud moderatius *Tribonianus* usus sit *Raymundus*, id vero permulti ferunt iniquius, longiusque illum progressum quam mandatum esset, forte non sine ratione querun-

Digitized by Google

tur. Resecare superflua, diffusa coarctare, succidire luxuriantia, emendare parum congrua, et nulli usui futura silentio premere, hæc erant, quæ in mandatis habuit. Num vero hos intra limites se continuit Compilator? Mihi quidem non videtur. Video enim epistolas mutilas, vitiatas inscriptiones, adulterata locorum personarumque nomina; video unam eamdemque epistolam multas in partes discerptam, variosque per titulos misere disjectam; video sæpe factum decisionemque, momenta non video: interdum facti ipsius narrationem recisam reperio, et quod gravius est, constitutionem adeo interpolatam, ut ab origine sua penitus abeat. Quid autem? an truncatas, mutilas, interpolatas *Gregorius* Prædecessorum suorum decretales epistolas obtrudi voluit Ecclesiæ?

Schol. Exempla davit Espenius, et sunt illa passim obvia. Conf. Joann. Christ. Will. Stekii *dissert. de interpol. Raym. de Pennafort* §. 5. *seqq.* Strauch. *amœnit. jur. can. Eccl. I. cap.* 19. Bohmer *cit. dissert.* §. 15. Christ. Henr. Eckard. *in Hermeneu. Jur. cap.* 8. §. 325. *seqq.*

§. LXXI.

Emendatio collectionis.

Primo interpolandi hanc licentiam notavit *Antonius Contius* in præfatione, quam corpori juris canonici à se edito præfixit. Atque ego dabo hoc non illibenter *Chifletio*, abfuisse à *Raymundo* malam fidem, adversus quam, spectata viri provitas, idonea est cautio. At idem *Chifletius*, quid est, quod *ineptum* dicit ac *puerile Contii* judicium, quando interdum et utilia ab illo resecta fuisse scripsit? Quippene vero utilia, sine quibus hodie, quæ insit fragmento sententia, vix divinantes adsequimur? Certe dum *Contius* in sua decretalium Antuerpina edi-

Digitized by Google

tione, à *Raymundo* resecta, ipsi textui sed diversis typis insereret, ut capitula sæpe ob paucarum vocum detractionem perobscura pleniorem in lucem restitueret, *Antonius Augustinus* mirifice ingenium viri collaudavit, etsi audacter factum censuerit, remque esse plenam periculi, si quod publica auctoritate accepimus, liceat nobis privata voluntate interpolare. Quod *Contius* inchoavit, præstitit adcuratius *Franciscus Pegna*. Male, scio, *Pegna* ob hanc ipsam causam *Augustino* audiit. Verum ejus ut acutam, ita paullo stomachosiorem censuram molestius tulit eruditus vir *Stephanus Baluzius* (1). Sed nec impedire illa potuit, quo minus *Gonzalezius* decretales, quantum à se quidem effici potuit, integritati pristinæ restitueret. In eo vellem doctus ille vir imitatus fuisset modestiam *Contii*, ut adjecta à se editis decretalibus alia typi forma distingueret, qua cautione servata utrumque adsecutus est *Bohmerus*, et ut commodis legentium consuluerit, et vitarit delicatulorum reprehensionem. *Bohmer cit. diss.* §. 15. n. 98.

§. LXXII.

Quid habeat commodi?

Legentium inquam commodis hoc instituto consultum ivisse prudentissimos viros extra omnem controversiam positum est. Nam si à scholasticis sæpissime fingentibus, quæ nuspiam sunt, discesseris, quis est amabo te, peritiorum interpretum, qui non persæpe de obscuritate queratur ex hac ipsa secandi intemperantia nata? Aut cui non probatum est illud, quod *Antonius Augustinus*, *Franc. Florens*, *Jan. à Costa* et monuerunt aliquoties, et re ipsa factisque ostenderunt, nullam esse decretalium *Gregorii IX.* sinceram interpretationem nisi et ex fontibus ipsis, è quibus *Raymundus*

(1) *In not. ad Ant. Augustin. Dial. 2. lib. prior. in fine.*

frustillatim hausit? Quid quod sæpe ne istud quidem ad intelligendum sufficiat, nisi antiquiorem etiam collectionum fontes adeas?

Schol. Conf. Ever Otto *ad Bockelmannum pag. m.* 174. Thomasinus *de vet. et nov. Eccles. discip. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 47. §. 8. Espen *part.* 8. *cap.* 1. §. 6.

§. LXXIII.

Respondetur objectioni.

Ajunt nihil tam anxia veterum Codicum pervestigatione nobis opus esse, dum satis constet nihil in hac emendanda collectione prætermissum à Romanis Collectoribus, quod aptum esset constituendæ sententiæ. Itane vero? nihil uspiam eruditissimorum illorum hominum fugit diligentiam? Qui *Florentis*, *Jani à Costa*, *Cironii* et aliorum his similium hilarioris famæ interpretum scripta numquam legit, is forte induci poterit, ut hoc credat: ego verbis non capior: nec mihi tam dulce otium est, ut illud velim vel errando redimere. Quod autem dicitur interdum, *Gregorium* idonea utique ad id auctoritate præditum, omnibus in hoc Codice descriptis etsi origini suæ minime congruentibus, vim potestatemque legis ita esse impertitum, ut antiquioribus simul omnem detraxerit, id quo pertineat, etsi non sum tam hebes ut non intelligam, infirmius tamen est, quam ut persuadere possit, perridicule facere, qui antiquiorum utilitatem juventuti commendat: nisi quis existimet, nihil interesse, nuper disciplina quædam in Ecclesiam introducta sit, an à Sanctis Patribus sapienter instituta multis sæculis viguerit; utrum melioribus rei Christianæ temporibus totius Ecclesiæ consensione probata, an vero declinantibus jam sæculis tolerata magis ab Ecclesia, quam probata fuerit; fictitia et imaginaria, an sincera puraque ex origine deflexerit. Harum rerum discre-

Digitized by Google

tione si nihil opus est in judicanda sacræ disciplinæ auctoritate, recte faciunt, qui indulgent sibi. At hoc ipsum cui tandem, cui sana mens est, persuasuros se putant?

§. LXXIV.

Materia et forma Collectionis.

Materiam Collectioni præbuerunt sacra scriptura, canones Apostolorum, et Conciliorum prope triginta et septem, sententiæ Sanctorum Patrum, Juris civilis et Glossatorum placita. Sed hæc omnia exiguum valde numerum conficiunt, si cum iis comparentur capitulis, quæ ex decretalibus Pontificum epistolis inde à *Gregorio M.* usque ad *Gregorium IX.* deprompta sunt. Divisa est tota collectio in libros quinque. Libri rursus in titulos, et hi rursus in capitula paragraphis nonnumquam distincta. Sed et ordo rerum, et materiarum connexio adeo sæpe distorta est, ut etiam moderatiores offendat.

Schol. Singulorum librorum argumentum indicat versiculus:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Citatio fit hoc modo: In principio ponitur signum capituli cum numero, aut verbis initialibus, aut utroque simul: numerus paragraphi, si quis adest, cum signo decretalium X. id est, *extra*, addita rubrica tituli, e. g. *cap.* cum Apostolus 6. §. sane, *extra. de censibus.*

§. LXXV.

Collectio Innocentii IV. et Gregorii X.

Septuaginta fere anni effluxere, inquit *Ignatius Mulzerus*, quibus jus canonicum universum duobus voluminibus comprehendebatur, *decreto* scilicet et *decretalibus* (1).

(1) (*In Histor. leg. Eccles.* §. 80.

Digitized by Google

Quod ipsum à superioribus historiæ juris scriptoribus traditum reperio. *Mastrichtius* hoc inde evenisse conjiciebat, quod à *Gregorii IX.* temporibus in occidente prohibitæ essent privatorum collectiones. Ac privata quidem collectio ab eo inde tempore, quantum constat, nulla prodiit. Verum his duobus voluminibus jus canonicum universum toto hoc annorum septuaginta intervallo constitisse, adversum est Codicibus scriptis. Apertum enim ex iis est, duos intra hos annos confectos esse Codices: alterum quidem *Innocentii IV.* ex canonibus Concilii Lugdunensis I., *Gregorii X.* alterum in ipso Concilio Lugdunensi II. compositum. Uterque ad methodum decretalium *Gregorii IX.* digestus est, (§. LXXIV.) et pro more ad Bononienses missus eo cum mandato est, ut in judiciis pariter ac scholis vim suam obtineret: Capitula suis quæque locis sub titulis Gregorianæ collectionis insererentur. Quod etsi factum esse non liqueat, id tamen fide scriptorum Codicum adfirmari potest, junctas illo ævo has collectiones exstitisse, glossisque pariter fuisse illustratas, quo indicio facile adducor, ut credam, harum in scholis non minorem, quam ejus, quæ à *Gregorio* nomen habet, fuisse auctoritatem.

Schol. Priorem Bohmerus ex Codice Berolinensi descriptam primus exhibuit *in corp. jur. canon. append.* 3. *pag.* 349. Innocentii IV. decretales collectas etiam reperies apud Harduin. *tom.* 7. *concil. pag.* 386. Apud eumdem quoque est collectio Gregorii X. *loc. cit. pag.* 705. Variantes lectiones dabit Bohmer *loc. cit. append.* 4. Junctas prodiisse has duas collectiones docet Gregor. Ludov. Bohmer *cit. observ.* §. 4. *in not.*

§. LXXVI.

Liber sextus decretalium.

Debebant quidem, ut præmonui (§. LXXV.) Lug-

Digitized by Google

dunensium Conciliorum canones, suis singulis titulis Gregorianæ collectionis adnecti. Sed hoc quum factum non esset, atque interim decretales editæ fuissent eo numero, ut ad justam libri molem excrescerent, *Bonifacius VIII.* anno Pontificatus sui tertio, doctissimis ætatis suæ viris *Guil. de Mandagato* Ebredunensi Archiepiscopo, *Berengario Fredello* Episcopo Biterensi, tum *Richardo de Senis* S. R. E. Vicecancellario in mandatis dedit, ut novam ex suo nomine collectionem conficerent. Migrarunt in eam præter decretales Pontificum post *Gregorii IX.* compilationem editas ut et *Bonifacii VIII.* propias, *Innocentii IV.* et *Gregorii X.* Lugdunenses constitutiones (1). Dicitur hæc collectio *Liber Sextus Decretalium*. Eum in pleno consistorio diligenter relectum, examinatum, adprobatum, et ann. 1298. publicatum, in judiciis æque ac scholis valere jussit *Bonifacius*. In Gallia tamen receptum fuisse negat Glossa, idque præter *Cujacium* tradidit etiam *Duarenus*, ceterique Galliæ scriptores plerique.

Schol. Conf. Heineccius *in Histor. jur. civil. lib.* 2. §. 69. *not.* (ξ). Inter Pontifices, quorum decretales in hoc libro referuntur, male recenseri à Gundlingio in prælectionibus ad Corvinum, Nicolaum I., ex chronologia patere observat Ant. Schmidt *Inst. jur. Eccles. tom.* II. §. 54. Recte quidem, si modo persuadere sibi vir acutus potuit, Gundlingii hunc, non librarii errorem esse. Quid enim? Si Gundlingius non Nicolaum I. sed tertium scripsit? Ceterum partitio libri eadem est, quæ collectionis superioris. Eadem etiam citandi ratio, adjecto in fine signo libri sexti ex. gr. *cap.* ut quis, 25. *de elect. in* 6. Conf. Koch *in opusc. jur. can. pag.* 45.

(1) *Bohmer cit. dissert.* §. 16. *num.* 103.

Digitized by Google

§. LXXVII.

Clementinæ.

Demum *Clementinæ* prodierunt. Earum auctor *Clemens V.* est, Pontifex ex illo ævo non incelebris. Virum fuisse juris calentissimum *Bulæus* scribit, quippe qui juri tam civili, quam canonico in Parisina et Aurelianensi celeberrimis tum Academiis sedulo juvenis operam dederit. Constitutiones ejus ac decretales permultæ sunt, pleræque in Concilio Viennensi perlatæ, quas ad modum *Gregorii IX.* in libros quinque, certosque in titulos digestas, dum apud Carpentoratum versaretur, in publico Cardinalium Consistorio die XII. Kal. Apr. ann. 1313. promulgandas curavit. Vixit ab hinc Clemens anno fere integro varia valetudine. Quum aliis de causis, tum morte, quæ ann. 1314. eum abstulit, impeditum, collectionem suam, ut superiores Pontifices fecerant, ad generalia studia non misisse traditum est à plerisque. Successit post biennium *Joannes XXII.* Is Clementinas adhuc velut in medio relictas, solemni edicto confirmatas ad Bononiensem Academiam aliasque ann. 1317. direxit, retento Clementinarum nomine. Quæ quoniam post sextum decretalium librum editæ sunt, interdum *Libri Septimi Decretalium* nomine veniunt. Tituli per libros quinque dispersi, sunt quinquaginta et duo.

Schol. Citatio eadem est, quæ in prioribus, additis in duobus voculis *in Clem.* ex. gr. *Clem. un. de renunt.* vel *cap. un. de renunt. in Clem.* Ad Aurelianensem Academiam, quam præ ceteris fovebat Clemens, eodem adhuc vivo missam fuisse Clementinarum collectionem Bohmerus probavit *cit. observ.* §. 10. *pag.* 20. Conf. Heineccius *lib.* 2. §. 69.

Digitized by Google

§. LXXVIII.

Extravagantes.

Quæ his collectionibus minime continebantur Pontificum constitutiones, *Extravagantium* nomen acceperunt, ut olim omnes eo nomine veniebant, quæ Decreto, ac decretalibus *Gregorii IX.* non inerant. Harum extravagantium constitutionum duæ postea collectiones, utraque privato studio, prodierunt. Altera quæ à *Joanne XXII.* nomen habet, circa annum fortasse 1324. Altera *Communium*, viginti quinque scilicet Pontificum ab *Urbano IV.* usque ad *Sixtum IV.* decretales complexa sub finem sæculi decimi quinti. Etsi vero neutra publica auctoritate confecta sit, usu tamen quum scholis ac foro utcumque se probarent, corpori juris canonici adjectæ sunt, ejusque hodie partem postremam constituunt.

Schol. Extravagantes Joannis XXII. divisæ sunt non in libros sed titulos, eodemque modo citantur: ex gr. *Extrav.* ad Conditorem 3. *Joann. XXII. de Verb. signif.* Communes quinque libris constant, quarto vacuo. Allegatio hæc est: *Extrav.* Ambitiosæ, *inter commun. de reb. Eccles. non alien.*

§. LXXIX.

Forma corporis Juris Canonici.

Atque ita sensim corpus juris canonici, quo utimur, in hanc excrevit molem, qua nunc est. Forma ejus corpori juris civilis persimilis est, adeo, ut eam ipsi Romani Pontifices imitando exprimere voluisse videantur. Neque enim inepte fecerit, si quis Decretum Pandectis: Codici decretales *Gregorii IX.*: Sextum autem librum, Clementinas, Extravagantes, *Novellis Imperatorum con-*

Digitized by Google

stitutionibus comparaverit. Cui formæ nequid non esset apprime consentaneum, *Joannes Paulus Lancellotus* Jurisconsultus Perusinus *Tribonianum* æmulaturus *Institutiones Juris Canonici* laudabili consilio eleganter concinnavit; hoc infelicior, quod neque à *Paulo IV.* qui auctor illi suscipiendi laboris exstitit, neque à *Pio V.* cui illas dedicavit, ut auctoritatem eis suam impertirentur, potuerit impetrare. Edidit tandem pertæsus moræ ann. 1563. Hoc inest, quod merito doleas, vitii pulcherrimo libello: antiqui juris in illo nullum prope ne vestigium quidem.

§. LXXX.

Auctoritas et usus decreti.

Restat ut de auctoritate corporis juris canonici usuque, pauca subjiciam. At *Gratiani* quidem decretum fuerunt, qui ab *Innocentio P. II.* jam anno sæculi duodecimi nono et tricesimo, in Concilio generali Romæ habito vehementer Patribus, irrito licet conatu, commendatum fuisse adfirment. Colligere hoc sibi posse ex *Orderico Vitali* visus est doctissimus *Seldenus.* Verum hanc opinationem refellit *Sylburgus* (1), ut ea repeti à *Febronio* nihil fuerit necesse. Alii ex mandato *Eugenii III.* editum contendunt, aut saltem Apostolica auctoritate confirmatum à *Gregorio XIII.* Sed omnino verius est, opus esse etiamnum privati hominis. *Eugenii* enim, quod appellant, mandatum qui produxerit, nemo adhuc nec veterum fuit, nec recentium scriptorum. Nam Kalendarii Bononiensis, ne quis hanc opponat, incertam esse fidem ajo: (§. LVIII. Schol.) *Gregorii* vero Apostolicum rescriptum ad emendatiorem ejus editionem, non etiam ad confirmationem pertinuit. Itaque origo quidem decreti nulla canonibus in eo descriptis auctoritatem conciliat.

(1) *Ad Heinecc. lib.* 2. §. 62.

Digitized by Google

Quam habent vim in disciplina Ecclesiastica, eam ex suis fontibus habeant necesse est. Sed de usu quid dicemus? Sane hunc dum expendo, prope abest, ut rectius mihi sentire videantur, qui amplius aliquid *Gratiano* tribuendum judicant. Enim vero hujusmodi auctoritatem, quæ ex origine ac fontibus æstimatur, operi cujusque non omni fide destituti scriptoris tribuere possis. Illud tamen hoc loco non omittam, usum hunc, qualiscumque is fuisse probetur, non ita laxe interpretandum esse, ut omnia tametsi parum genuina in eo decreto contenta vim habere legis ex usu credamus, quod miror *Schmidtio* potuisse probari.

Schol. *Instit. juris Eccles. tom.* 1. §. 45. Sed *profecto*, inquit, *usu forensi tristissimus est* Canon *sat* famosus, Redintegranda, Caus. III. Quæst. I. *Atqui tamen is, si fontem inspicias, genuinus non est, sed inter spurios, ablegandus.* Quid tum? Si hunc canonem licet spurium usus admisit, an inde recte confeceris, alios quoque haud magis sinceros admissos fuisse? Si exemplis absurditatem consequutionis probatum ivero, vereor, ne virum Germanum verecundia tangat imprudentis adserti. Sed abstineo. Forte enim mentem viri non satis adsequor.

§. LXXXI.

Auctoritas decretalium.

Videamus de auctoritate decretalium. De *Gregorii IX. Bonifacii VIII.* et *Clementis V.* collectionibus nihil ambigunt earumdem interpretes, quin tam ex potestate, quam voluntate Pontificum eas promulgantium auctoritatem juris adeptæ sint illico ad totam Christianorum societatem pertinentem, eamque adhuc nihil diminutam ubique gentium obtinere debeant. Sed ego historiæ fidem sequutus magis, quam opinionum præjudicia, hæc tam adseverate pronuntiata quam vera sint, nescio.

Digitized by Google

Certe *Gregorius* decretalium collectionem ex suo nomine concinnatam, ad instar legis orbi Christiano obtrudere numquam in animum suum induxit, contentus Bononiensibus Academicis ejus usum præscripsisse. Eamdem ingressos viam *Bonifacium* et *Clementem* historia perspicue memoriæ prodidit. Atque ut, quod sentio, aperte dicam, caute ac prudenter factum arbitror, ut Pontifices abstinerent ab eo, quod sperare non poterant se impetraturos, ut populi pro auctoritate obtrudi sibi libros sinerent, in quibus tot essent novæ, juribusque suis adversæ constitutiones. Lenior haud dubie ac planior fuit per Academias conciliandæ gratiæ via: quippe quæ, ut tum erant tempora, à Pontificum nutu fere pendebant et suaviter insinuare in animos adolescentum poterant doctrinam, quam reduces in suam quisque patriam quam latissime propagarent.

§. LXXXII.

Ex usu et observantia.

Probavit eventus consilium. Codices enim hi decretalium tamquam pars juris canonici non postrema docebantur in Academiis: ad eos in foro, in conciliis provocabatur. Unde planum fuit, ut in omnibus prope Europæ Regnis ac Provinciis pro juris novi quasi quodam depositario reputarentur. Itaque dubitandum non est quin hi libri inter fontes juris novi Ecclesiastici connumerari debeant, *eamque adhuc vim habeant, quam usus illis, ac Regnorum vetus observantia conciliare potuit.*

Cor. I. Verum usus hic, seu magis receptio non tam late interpretanda est, ut nihil penitus exceptum putemus. In primis enim decretalia Pontificum instituta, quæ de publicis Regnorum negotiis disponunt, emolumenta tantum pecuniaria concernunt, libertatibus Ecclesiarum adversantur, subditos in angustias sine necessita-

Digitized by Google

te cum reipublicæ detrimento conjiciunt, ejusmodi inquam decretalia instituta Nationes Christianæ nec receperunt umquam, nec recipiunt.

Cor. II. Porro decretalium jure tum demum utimur, quando proprio jure seu antiquiore, seu recentiore destituimur. Quis enim tam inops sanæ mentis est, ut credat, recepto Codice decretalium toti juri, quo usa prius sunt Ecclesiæ, renuntiatum esse? aut abdicasse à se potestatem alias prioribus deges subrogandi, si quæ necessitas nova jura deposcat?

Cor. III. Hinc autem perspicuum est, quam à vero distet vulgatum illud: *Jus canonicum præferendum esse juri civili in foro ecclesiastico, si quid huic illud adversetur, aut aliud in causa etiam profana disponat.* Nam si de patriæ legibus hoc dictum est, nemo non videt, quam sit dictum turpiter. Causæ profanæ solis Patriæ legibus, non canonibus judicandæ sunt, tametsi Regni jure ad Episcoporum cognitionem reductæ sint. Et quamquam Ministri Ecclesiæ in causis personalibus fori privilegio gaudeant, quis eos exemit ab obligatione parendi legibus?

Cor. IV. Postremo applicatio juris novi ita caute instituenda est, ut analogiæ juris, quo novissimis his temporibus utimur, nihil præjudicetur. Status publicus tam Regnorum quam Ecclesiæ, vicissitudinem aliquam subiit. Commenta medii ævi nobis hodie apertissima sunt. De restituenda vetere disciplina actum est sæpe, nec infeliciter: explodunturque figmenta glossæ: opiniones scholarum patronos diu jam nullos habent, ut alia omittam sexcenta, quibus eveniebat sensim, ut alia analogiæ juris forma inducta sit, quam qui non observant canonum Doctores, dici vix potest, quam sæpe ridendos se exhibeant hominibus intelligentibus.

Digitized by Google

§. LXXXIII.

Auctoritas Extravagantium.

Extravagantes partem juris canonici corporis non efficiunt. Sunt enim collectiones privatæ incertis auctoribus confectæ (§. LXXVIII.). Nec receptio per *aversionem*, quam vocant, probari potest. Ex quo fit, ut qui ad eas in judiciis provocat, *fundatam* ut ajunt, *intentionem* non habeat, nisi specificam constitutionis, qua nititur, receptionem ostendere possit.

Schol. Conf. clar. Horix. *in dissert. de font. jur. canon. Germ.* §. 9. à quo non dissentit Ignat. Mulzer. *in Histor. leg. Eccles.* §. 82. *seq.*

§. LXXXIV.

Quid Rubricæ, Glossæ, Summaria?

Restant *Rubricæ*, *Glossæ*, *Summaria*, de quibus copiose præcipiunt interpretes. *Rubricæ* sunt inscriptiones titulorum. Vim legis habere dicuntur, quando sententiam exprimunt completam, cujusmodi illa est; *ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur. Summaria* sunt compendium breve canonibus præfixum privata doctorum industria: ab iisdem profectæ sunt *Glossæ* margini adscriptæ, quæ proinde vim juris non habent.

Schol. Plura de utili hoc argumento tradiderunt Van Espen *cit. tract. part.* 8. *cap.* 2. Heineccius *in Histor. jur. lib.* 2. §. 60. *seqq.* Ill. de Riegger *in præfat. ad Cironium*: et ex protestantibus Siegler, Strauch, Bohmer, Floërck, alii.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE ORIGINE AC PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI NOVISSIMI.

§. LXXXV.

Isidorianum Systema.

Originem juris Ecclesiastici novissimi ad initia sæculi decimi quinti refero. Causam instituti alio loco reddidi, quam hic repetere nihil est necesse. Ab *Isidori* insulsis commentis quantum res christiana detrimenti acceperit, etsi est dictum à multis graviter et copiose, luculentius tamen apparebit, si quis statum Ecclesiæ, qualis inde à sæculo decimo esse incœpit, expendere diligentius et contendere volet cum disciplina, quam primis octo sæculis Ecclesia omnis mira constantia retinuit. Equidem aperta satis obscuri illius hominis industria, falsi præ se, ac novitatis ferebant indicia, ut detegi non difficulter fraudulenta consilia potuissent; vicit ille tamen, atque ita vicit, ut confictum ab illo publici juris systema Romani Pontifices avide arripuerint, proque auctoritate sua tuiti sint. Neque minus sedulos se in illo expoliendo præstarint, ornarint mirifice, novisque eidem tidem decretis, rescriptis, bullis auxerint adeo, ut abolita penitus veteris disciplinæ memoria, conculcata à Patribus sapienter ordinata in sacris politia, contemptaque imperii civilis Majestate, rerum omnium potestatem nullis circumscriptam limitibus palam sibi aperteque vindicaverint.

§. LXXXVI.

Sacerdotium et Imperium inter se commisit.

Ita de Pontificii Imperii majestate sentiebat *Gregorius VII.* quando *Henricum Imp.* adgressus, Sacerdotium et Imperium pernitiosissimo inter se dissidio commisit. Apparuit tum primum *blandiens et subdola adulatio*, utor verbis *Gersonis* (1), *et ad aures Ecclesiasticorum, præcipue summi Pontificis insusurrans: O quanta est, quanta sublimitas Ecclesiasticæ potestatis tuæ! O Sacer Clere, quam nihil est sæcularis auctoritas tuæ comparata! Quoniam sicut* Christo *collata est omnis potestas in cœlo et in terra, sic eam* Christus *omnem* Petro *suisque successoribus dereliquit. Unde et nec* Constantinus *quidquam* Sylvestro *Papæ contulit quod non esset prius suum, sed reddidit injuste detentum. Porro sicut non est potestas nisi à* Deo, *sic nec aliqua temporalis vel Ecclesiastica, Imperialis vel regalis nisi à Papa, in cujus femore scripsit Christus:* Rex Regum, et Dominus Dominantium. *De cujus potestate disceptare instar sacrilegii est; cui neque quisquam dicere potest, cur ita facis? Si etiam temporalia omnia, si Ecclesiastica bona, atque dominia mutaverit, diripuerit, distraxerit.* Nihil ex ingenio dixit *Gerson.* Veritatem dictorum res gestæ factaque comprobant.

§. LXXXVII.

Pactum Leonis VIII. cum Ottone I.

Pontificum Romanorum electio cleri primum ac populi sola suffragatione perficiebatur. Sed jam inde à sæculo quarto auctoritatem suam interponebant christiani

(1) *De potest. Eccles. consider.* 12.

Digitized by Google

Imperatores; inque legem abiit deinceps, dum Gothi in Italia dominarentur, ut electiones Pontificum inconsultis Regibus ne fierent. Hanc legem, recepta à Gothis Italia, *Justinianus Imperator* eo temperamento repetiit, ut electio quidem à clero et populo, ejusdem vero approbatio petenda esset atque exspectanda ab Imperatore. Atque hoc jure usi Romani sunt, donec prævalentibus undique Longobardis, Exarchorum per Italiam penitus eviluisset auctoritas (1). *Hadrianus P. I.* restituto, Francorum virtute, Occidentis Imperio, jus quoque pristinum fertur restituisse, collata in *Carolum M.* potestate eligendi Romani Pontificis, sedemque Apostolicam ordinandi (2). Quo jure tametsi *Carolus*, ejusque filius *Ludovicus* uti noluerint, electi tamen à clero et populo Romani Pontificis approbationem confirmationemque sibi conservabant, neque consecratio ejus, nisi præsentibus legatis Cæsareis, quos *Missos* vocabant, peragi poterat (3). Et quamquam tam hoc, quam cetera Imperii in Romanos jura sub *Arnulpho*, *Conrado I.*, *Henrico* Aucupe, paullulum negligentius colerentur, revixit tamen cum ceteris, ex quo occupata Italia, Imperium Regno germanico *Otto I.* innexuit, hac præter alias conventionis lege, ut electiones Pontificum deinceps *Canonice* ac juste fierent, et *ut ille, qui ad hoc Sanctum atque Apostolicum Regimen eligetur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorum, vel filii nostri... promissionem faciat pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem et venerandus spiritualis Pater* Leo *sponte fecisse dignoscitur* (4). Acta hæc sunt cum

(1) *Vid. Grebner de stat. Eccles. sub. Carol. part. 3. obs. 6. pag.* 133.

(2) *Dist. 63. can. 22.*

(3) *Vid. Mabillon. comm. in ord. Rom. tom. 2. mus. Ital. pag.* 113.

(4) *Baronius ad ann. 962. n. 8.*

Digitized by Google

Joanne XII. ann. 962. quo Pontificia dignitate exuto, *Leo* quem *octavum* numerant, in ejus locum suffectus, eandem *Ottoni* ejusque successoribus potestatem ita in perpetuum una cum jure investiendi Episcopos contulit, ut sub anathematis comminatione vetaret, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ eligi, vel Episcopum quemquam absque Imperatoris adsensu ordinari. Exstat hoc *Leonis* decretum apud *Gratianum dist.* 63. *can.* 23.

Schol. I. Quod de Hadriano P. commemoravi, id ex Sigeberto Gemblacensi post multos alios descripsit Gratianus. Vid. Mansi *in Supplem. concil. tom.* 2. *pag.* 721. Iniquissime hanc Sigeberti narrationem tamquam pontificiæ majestati injuriosam tulit Baronius *ad ann.* 774. *n.* 3. idque adeo egit perquam studiose, ut eam synodum Hadriani commentitiam, Sigebertum vero mendacii atque impostura reum ostenderet. Pagius impostura crimen à Sigeberto removet quidem *in crit. ad cit. ann. n.* 13. Synodum tamen, ut et decretum ipsum synodi rejicit. Ait quidem Bohmerus *in not. ad can.* 22. *dist.* 63. rationibus Baronii à Petro de Marca plane satisfactum esse *lib.* 8. *cap.* 12. verum id aliis non videtur. Vid. Natalis Alexander *in Histor. Eccles. Sæc VIII. cap.* 1. *art.* 9. *et Sæc. IX. et X. cap.* 1. *art.* 21. Hahn. *imperii Historia part.* 2. *cap.* 3. §. 13. quibus etiam novissime Grebner *loc. cit.* Schmidt. *Institut. jur. Eccles. tom.* 1. §. 59. Ill. de Riegger. *in Elem. jur. Eccles. German. part.* 1. §. 554. *seqq.* adsensi sunt: et præ ceteris Petrus Gallade *in diss. ad cap.* Hadrianus 22. *dist.* 63. quæ exstat in Schmidtii *Thesaur. jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 252. Et Gallade quidem nihil dubitat, quin à se lis ista confecta sit penitus. Mihi contra semel atque iterum lecta diligenter dissertatio adeo nondum satisfacit, ut plura videar in ea me vidisse, quæ refelli nullo negotio possint. Cur enim Petro de Marca, quem suum esse falso jactat? Cur Conringio? Baluzio? Cur aliis non respondit? Cur Correctores Romanos non

Digitized by Google

arguit, quod ex Decreto Gratiani adeo perniciosam, ut ipse ait, constitutionem non ejecerint? Sed nolim ego de his multum litigare. Sit dubia Synodus Hadriani, sit falsum decretum à Gratiano descriptum, an jus Imperatoris in eligendis Pontificibus? an investiendorum Episcoporum potestas Regum revocari ob id in dubium poterit? Gallade putat, mihi non videtur.

Schol. II. Similiter et Synodum Leonis VIII. et Decretum rejicit Card. Baronius *ad ann.* 964. *n.* 22. tum quod Leonis VIII., ut qui depulso per vim Joanne Pontifice sedem Apostolicam iniquissime invaserit, nulla esse potuerit in decernendo auctoritas; tum præcipue, quod satis appareat, fictum esse ejusmodi diploma perinde, ut illud Hadriani I. de quo nuper dictum est. Ac de Leonis VIII. summo Pontificatu nihil ego hoc loco commemorabo. Egit eam causam pererudite nostris temporibus vir doctissimus Christ. Nellerus præcipue *in Apologia pro Romano Synodo* .... Sed decretum ipsum Leonis VIII. quid est, quod tanta vi impugnent cum Baronio? Quid enim illa habet concessio, quod non dudum ante ab Eugenio II. Leone IV. Stephano VI. disertissime constitutum est? Quid per id decretum Ottoni indulsit Leo, quod illi ex pacto cum Joanne XII. et Synodo Romana inito non competebat? Auferant, per me licet, Imperatori Leoninam constitutionem; nihil enim vel dempta illa huic decessurum, vel data accessurum commodi quidquam pulchre video. Sed Baronius quidem caveat, ne fictas has tabulas contendat, quibus ipse alibi velut sinceris et certæ fidei in rem suam insigniter abusus est. Vid. *Annal. ad ann.* 996. *n.* 41. *et* 50. Conf. Ever. Otto *in diss. de jure Imperatoris circa electionem Pontificis Romani.* Estor. *in Comment. de jure exclusivæ.* Ulr. de Crambr. *diss. de conjunctione imperii Romani cum regno Germanico.* Jo. Jac. Mascov. *de orig. jur. publici* §. 13. Franc. Walch. de *Ottone M. Rege Italiæ* §. 12. Concordata *nationis German. tom.* 3. *pag.* 53. *seqq.*

Digitized by Google

Schol. III. Non multo his posterior est Bulla Sylvestri P. II. per quam S. Stephano Hungariæ Regi ann. 1000. nomen Regium, diadema, Pontificiæ legationis jura, horumque insigne Apostolicum crucis prælationem, indulta esse tradunt, idque ob insignia piissimi Regis in Christianam Religionem, Romanamque Ecclesiam merita: inter quæ in litteris Pontificis mirifice collaudata est sanctissimi Principis munificentia, qua se, Regnumque, ac gentem suam S. Petro obtulisse dicitur. Primus omnium hanc Bullam typis excudendam curavit Inhofferus Annalium Ecclesiasticorum Regni Hungariæ scriptor *tom.* 1. *pag.* 256. qui ann. 1654. Romæ in lucem editus est. Sæpius deinde post Inhofferum recusa est. Primus, quod sciam, celebrem hanc Sylvestri Bullam impugnare adgressus est Goth. Schwarzius *in diss. de initiis Religionis Christianæ inter Hungaros Hal. ann.* 1740. magnoque conatu operam dedit, ut illam non esse genuinam ostenderet. Sed responderunt ejus viri argumentis præter Stiltingum *in act. SS. ad diem* 2. *mens. Septemb. in vita S. Stephani pag.* 507. *et seq.* vir summus Franc. Adam. Kollarius *in Histor. diplom. jur. patron. Reg. Hungar. lib.* 1. *cap.* 1. Georgius Pray *in annal. vet. Hunn. part.* 3. *lib.* 2. *pag.* 395. aliique, idque, ut arbitror, permultis iisque certis effectum est testimoniis, ut nonnihil pontificiæ largitati per eam tempestatem non inusitatæ referre Hungari in acceptis possimus. Sed hanc, quam vulgavit Inhofferus, Bullam authenticam esse, sinceram, nuspiam saltem interpolatam, ut credam, diligentius scriptam apologiam requiro, quam ea sit, quam dedit Car. Palma. Certe formulæ quædam ejus Bullæ Sylvestri temporibus vix congruunt. Congruunt autem epistolis Gregorii VII. ad quarum exemplar non inscite efficta videtur.

Digitized by Google

§. LXXXVIII.

Investituræ Episcopalis origo.

Utut vero hæ res sint, jus quidem ipsum tam investiendi Episcopos, quam electionem Pontificiam approbandi, penes Imperatores usque ad *Gregorii VII.* tempora integrum perstitisse expeditum est. Nam et ipsum *Gregorium VII.* consensum Imperatoris efflagitasse ab antiquis proditum est memoriæ. Verum *Gregorii* ista modestia simulata fuit. Apparuit hoc ex illa, quæ ipsi haud ita multo post cum Imperatore nata est, de investitura Episcoporum, perniciosa et gravi concertatione. Investitura Episcoporum et Abbatum, si res ipsa magis quam ritus spectetur, procul dubio perantiqua est, et jam ab eo tempore usu inducta, quo Imperatores, Reges, aliique summi Nationum Principes, prædia illis, castella, aliaque hujus generis bona, clientelari jure possidenda fruendaque dederunt. Semper enim hoc jure cautum erat, quod etiam nunc ubique obtinet, ut qui beneficio Principum ejusmodi bona tenerent, pro legitimis possessoribus non ante haberentur, quam se jurisjurandi religione ad fidem obligassent, et concessi juris judicium aliquod è manu Principis accepissent. Quod ipsum *vestire* est, vel *investire* in antiquis legibus. At ritus investiendi Episcopos per annulum et baculum multo videtur esse recentior, atque illa demum ætate invectus, qua Imperatores ac Reges neglecta penitus cleri ac plebis electione, ipsi sibi potestatem sumebant Episcopatus et Abbatias pro lubitu suo non conferendi tantum, sed etiam vendendi (1). Hac labe infectam *Ludovici Pii* aulam fuisse, nemo veterum tradidit. Quapropter suspicatur non inepte *Moshemius*, *Adamum* Bremensem de rebus superiorum temporum more suæ ætatis loquutum fuisse,

(1) *Mosheim Inst. Hist. Eccl. Sæc. XI. part. 2. cap. 2. pag.* 356.

Digitized by Google

quando *Ludovicum Pium* scribit, Episcopis baculo seu pedo tradito jus fruendi bonis Ecclesiarum concessisse (1). Humbertus Cardinalis *Ottonis M.* Imperio hanc consuetudinem invaluisse tradidit. Et, puto, non multum abest à vero, etsi varias doctorum hominum de origine investituræ sententias non ignorem.

Schol. De origine hujus consuetudinis ejusque legitimo usu, ex instituto commentati sunt Lud. Thomasinus *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 38. *et* 47. *seqq.* Natalis Alexander *in Histor. Eccles. Sæc. XI. dissert.* 4. Card. Noris *Istoria delle investiture delle dignità Ecclesiastiche*, quæ post doctissimi viri obitum Mantuæ ann. 1741. edita est. Christ. Lupus *in dissert. de regia Antistitum nominatione, et de laica Antistitum investitura tom.* 4. *oper.* et Henr. Meibom. *de jure investituræ Episcopalis*, quæ commendatio exstat. *tom.* 3. *script. rer. Germ.*

§. LXXXIX.

Quis eam primus impugnavit?

Episcoporum ista atque Abbatum per annuli et baculi traditionem inauguratio, duabus maxime de causis offendebat plerosque. Primum, quod per eam antiquo jure eligendi penitus supresso, potestas Episcopos et Abbates constituendi ad solos Imperatores revocaretur: deinde, quod sacræ potestatis insignia, baculus nimirum et annulus, laicis è manibus reciperentur. Quod quidem ex opinione ætatis sacrilegio proximum habebatur. Sic enim baculus et annulus pastoralis muneris esse insignia putabantur, ut qui hæc conferret, is munus ipsum conferre haud dubie existimaretur. Accedebant ad hæc, simoniacæ beneficiorum nundinationes, qua præcipue infamia laborare *Henrici Imp.* aula credebatur. Ac ceteri

(1) *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *et* 39. *F. Papebroch. in Act. SS. tom.* 1. *Febr. pag.* 557.

Digitized by Google

tamen qui ante *Gregorium* fuerunt Pontifices, simoniam damnasse contenti, investituram intactam reliquerunt. *Gregorius* vero rem validius agendam ratus in Concilio Romano ann. 1075. primum quidem familiares quosdam Cæsaris, quorum in vendendis sacerdotiis potissimum uti consiliis dicebatur, nonnullos præterea Germaniæ atque Italiæ Episcopos à communione sacrorum removit; tum lege perpetua edixit: *Ut quicumque Episcopatum vel Abbatiam conferret, vel de manu alicujus laicæ personæ investituram reciperet, anathemate plecteretur.*

Schol. Conf. Pagius *in Critica ad ann.* 1075. Card. Noris *cit. oper. pag.* 39.

§. XC.

Quo eventu?

Sentiebat *Henricus*, se potissimum hoc telo peti. Et is quidem in venumdandis Episcopatibus ab se peccatum esse non negabat. Spondebat etiam, fore, ut hoc vitium ex aula sua exesse juberetur: sed potestatem conferendi prælaturas, et junctam huic potestati investituram à Majoribus ad se transmissam ut dimitteret, nullo se modo induci passus est. *Gregorius*, qui non ignorabat permultos esse Germaniæ Principes, cum primis Saxones, Henrico parum faventes, percommodam hinc oblatam sibi putans occasionem augendæ Pontificiæ auctoritatis, Imperatorem novo ausu, per legatos, Romam ad certum diem evocat, ut in concilio de criminibus, quorum reus ageretur, causam diceret. Quo mandato *Henricus*, ut erat Princeps perfervidæ indolis, vehementer commotus, coacto Wormatiæ Episcoporum Germaniæ conventu *Gregorium* de multis delictis accusatum Pontificio munere indignum pronuntiavit. *Gregorius* vicissim, quid de se actum sit in Germania, per nuntios factus certior, Regem regno simul ac sacris interdixit, jurisque jurandi

Digitized by Google

religione populos absolvit. Quæ sententia per Occidentem promulgata, et ortum ex illa populorum dissidium quantarum deinde calamitatum causa exstiterit, non est cur ego hoc loco commemorem.

SCHOL. Multi et veteres et recentiores de funesto hoc investituræ bello scripserunt. Veteres, qui pro Gregorio steterant, plerosque Gretserus collegit *in apologia pro Gregorio VII.* quæ iterum operum ejus tomo sexto illata est. Qui Henrico fabevant, Goldastus edidit *in Replicat. contra Gretserum pro Henrico IV. Han. ann.* 1611. 4. E recentioribus Schilterus, Thomasius, Dithmarus, Norisius, Mascovius, consuli possunt.

§. XCI.

Pactum cum Paschali II.

EDictum hoc de abolendis investituris *Victor III.* qui *Gregorio* in Pontificatu successit, paullo ante obitum in Concilio Beneventi ann. 1087. habito renovat. Graviora utroque ausus est *Urbanus II.* Nam quum *Gregorius VII.* non investituram in universum, sed illud tantus genus investituræ, quod baculi et annuli traditione peragebatur, improbaret; nec impediret ille, quo minus Episcopi et Abbates jurejurando fidem Principibus suis promitterent, eorumque se vassallos ac clientes profiterentur, ut à *Card. Norisio* demonstratum est (1), hic in Concilio, quod Claromonti ann. 1095. celebravit, non investituram tantum recipere, sed jurare etiam in verba Regum prohibuit (2). Qua re controversiam per se jam satis arduam multo reddidit implicatiorem. Eadem *Paschalis II.* sensa fuerunt, donec *Henricus V.* valido cum exercitu Italiam ingressus, jam ipsi metuendus urbi immineret. Tum enim vero omni se destitutum præsidio

(1) *Cit. oper. cap.* 10.
(2) *Canon.* 15.

Digitized by Google

cernens, pacem his legibus offerebat, ut Rex investituræ per baculum et annulum renuntiaret: Episcopi vero et Abbates beneficia regalia Imperatori restituerent. Quæ ut erat non iniqua conditio, facile ab *Henrico* admissa est(1). Verum displicuit Episcopis tam Germaniæ quam Italiæ tot splendidorum Regalium jactura, nec ut consentirent pactioni, ullo modo à Pontifice induci potuerunt. Non magis altera valuit, quam ann. 1111. cogente magis necessitate, quam arbitratu suo iniit, conventio (2). Pacem enim vi armisque expressam, ac res Romæ contra Pontificem, proditæ, ut ajebant, majestatis Ecclesiæ reum, motus exceperunt, quos ut componeret, Concilium ann. 1112. in æde Lateranensi indixit, in quo culpam à se admissam palam professus, rem totam arbitrio Concilii dirimendam commisit. Atque Concilium quidem pactum ipsum rescidit, etsi *Paschalis* se id facturum numquam eo ipso in Concilio contestatus fuerit.

Schol. Vid. Baronius *in annal. ad ann.* 1112. Sententiam Concilii multis de causis memorabilem hic adscribo: *Privilegium illud, quod non est privilegium (neque vero debet dici privilegium sed pravilegium) pro liberatione captivorum et Ecclesiæ à Domino* Papa Paschali *per violentiam* Henrici Regis *extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati, canonica censura, et ecclesiastica auctoritate judicio Sancti Spiritus damnamus, et irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, et ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideo damnatum est, quod in eo privilegio continebatur, quod electus canonice à clero et populo à nemine consecretur, nisi prius à Rege investiatur, quod est contra Spiritum Sanctum, et canonicam institutionem.*

(1) *Vid. Baron. ad ann.* 1110. *n.* 2. *seqq.*
(2) *Vid. Muratorius Script. Ital. tom.* 4.

Digitized by Google

§. XCII.

Transactio Callixtina.

Post hæc multis in conciliis tam Germaniæ, quam Italiæ, sacrorum communione *Henrico* interdictum est, et quod gravius, plenumque illa ætate periculi fuit, palam inter hæreticos connumerabatur (1). Quare bono haud dubie Imperii pariter atque Ecclesiæ fato, *Callixtus* sacris Christianorum præfectus est, vir loco natus quidem non mediocri, animique excelsi, idem tamen à moderatis consiliis minime alienus, et ob id ad conciliandam pacem ceteris aptior, quæ haud ægre ann. 1122. in Comitiis Wormatiensibus his legibus coaluit, ut in posterum Episcopi et Abbates libere quidem ab his, ad quos id jus pertineret, eligerentur, præsente tamen vel Imperatore ipso, vel ejus legato (2). Ut si eligentes inter se dissiderent, penes Imperatorem esset, adscitis in consilium Episcopis litem dirimere (3). Ut electus fidem Imperatori jurejurando promitteret. Regalia quæ vocant, illius ex manu reciperet, officiaque omnia eorum nomine debita præstaret: Imperator autem in iis conferendis non annulo et baculo, quæ sacratioris muneris insignia essent, sed sceptro uteretur. Hæc *transactio*, quæ vulgo *Callixtina* dicitur, quo majus esset illius robur, proximo ann. 1123. in Concilio trecentorum Episcoporum Romæ in Basilica Lateranensi celebrato Auctore ipso ac Præside *Callixto* summo Pontifice, ingenti omnium Episcoporum cum applausu excepta est, confirmataque. *Natalis Alexander Sæc. XII. diss.* 4. *art.* 18.

(1) *Vid. Jac. Gerbeistl diss. Sur l' heresie des investitures.*

(2) *Vid. Winckler in diss. de Commiss. Imp. in Elect. Præsul. Germ.*

(3) *Vid. Moser, Decisio de jure judicandi in discordibus electionibus Ecclesiasticorum Imperii Electorum; cui junge Franc. Anton. Durr diss. de judic. controvers. in causis election. Episc. Germ.*

Digitized by Google

Schol. I. Formula transactionis à multis edita est. Vid. Brower *Annal. Trev. tom.* 2. *pag.* 18. Scatten *Annal. Paderb. tom.* 1. *pag.* 698. Baron. *in Annal. ad ann.* 1122. Cherubin *in Bullario tom.* 1. *pag.* 17. Leibnitium *cod. jur. gent. diplom. tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 1107. Schilter *de libert. Eccles. German. lib.* 4. *cap.* 5. Concord. Nation. German. *tom.* 1. *pag.* 15.

Schol. II. Totam hanc pacificationem tamquam injustam et vi extortam abjicit Ern. Schubertus *comment. Hist. Theol. de jurisdict. Pontif. Roman. pag.* 357. Sed hoc vix cuiquam probaverit. Diploma pacificationis, ut editum est, falsitatis arguit Joan. Guil. Hoffman. *in diss. ad Concordatum Henr. V. et Callixti II. de investit. Episc. et Abbat.* Temporariam, et ad Callixti duntaxat personam adstrictam esse contendit Eston. *Germanicæ Ecclesiæ libertas* §. 283. *seq.* Imperatoriæ Majestati vehementer noxiam, Friderici *de libertate Ecclesiæ Germanicæ tract.* 3. §. 28. ut hæc autem inanis querela est, ita prioribus illis prolixe atque accurate respondit Franc. Ant. Durr *cit. diss. cap.* 2. §. 4. *not.* (*x*), *et* §. 5. *not.* (*f*) apud Schmidt *in Thes. jur. Eccles. tom.* 2. *pag.* 381. *et* 385. Conf. Christ. Budet *diss. de feudis sceptri, et Auctor observ. historico-jurid. in Concord. nation. Germ. obs.* 3. *seqq.*

§. XCIII.

Jus regaliæ abdicat Otto IV.

Controversia de investituris Episcoporum et Abbatum in hunc modum composita, supererat alia mitior tamen, cui præter alia dissidiorum capita, jus quod *regaliæ* vocant, occasionem præbuit. Id vero jus erat hujusmodi. Episcopatuum vacantium reditus ac fructus, ad quos beneficiorum etiam collationem referebant, eousque sibi vindicabant Imperatores ceteriique Reges, donec novus

Digitized by Google

Episcopus, præstito fidelitatis juramento, Episcopatus possessionem legitime adeptus, ac ceteris ad *claudendam regaliam* necessariis defunctus esset (1). Causam juri ipsa dedit natura feudorum. Ut enim ceterorum bonorum, quæ nexu feudali Principibus subjecta essent, quum ea nondum successionis jure ad hæredes transmitterentur, defuncto vassallo plana ac naturali ratione ad Dominum administratio redibat, eaque hujusmodi, cui juncta esset percipiendorum interim omnium fructuum potestas; ita non inique facturos se principes arbitrati sunt, si vacantium Episcopatuum, et administrationem, et fructus sibi addicerent: idque hoc magis, quod, etsi alia Imperii feuda sensim hæreditaria effecta essent, in feudis tamen concessis Ecclesiæ, secundum canones hæreditariæ successioni nullus esse locus potuerit. Accedebat ad hoc, quod more non absimili, quem *jus deportus* nuncupabant, Episcopi quoque et Archiepiscopi in iis beneficiis uterentur, quorum conferendorum potestas ad ipsos pertinebat (2). Porro, quoniam ita tam Episcopi, quam Principes suo modo sibi quasi succedere viderentur, eam illi successionem tam laxe interpretati sunt, ut ad bona etiam mobilia defuncti vassalli *jure spolii* protenderent (3). Utroque hoc jure abdicarunt se posthac Imperatores *Otto IV. ann.* 1209. (4). *Fridericus II. ann.* 1213. (5) *Rudolphus Hapspurgicus* (6). Quam abdicationem ipsi etiam ordines Imperii ratam habuerunt, ut ex litteris Electorum à *Lunigio* descriptis apertum est.

Schol. Conf. Walchii *dissert. de litteris Electorum consonis testibus.* Maibom. *tom.* 3. *Script. rer. German. pag.* 185. Buder *de testament. Episcoporum Germaniæ* §. 13. *seq. et in dissert. de jure manus mortuæ, in opusc.*

(1) *Vid. de Marca lib.* 8. *cap.* 22. *seqq.*
(2) *Vid. Thomasin. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 37.
(3) *Vid. Thomasin. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 51.
(4) *Raynald. in Annal. ad ann.* 1209. *n.* 10.
(5) *Lunig Archiv. Imp. Spicil. Eccles. cont.* 1. *pag.* 166. *n.* 9.
(6) *Lunig. loc. cit. pag.* 172 *n.* 16.

Digitized by Google

pag. 695. Moser *in jure Germanico tom.* 12. *pag.* 139. *seq.* Diploma Ottonis IV. suspectum Pfeffingero *ad Vitriarium tom.* 1. *pag.* 599. vindicat Clar. Durr *cit. dissert. cap.* 2. §. 6. *not.* (1). *pag.* 391. In Gallia Reges Regaliarum jure in omnibus pene Ecclesiis utuntur. Espen *part.* 2. *tit.* 25. *cap.* 8. *n.* 28. *seqq.* Et utuntur etiam multo liberius Hungariæ Reges, quod alibi doceo. Causam Regaliæ erudite, ut solet, et copiose egit Natalis Alexander *in Histor. Eccles. Sæc. XIII. dissert.* 8. Contra eam scripsit Card. Sfondrati *in Gallia vindicata dissert.* 1. Verum hoc quidem vindice non eguit Gallia.

§. XCIV.

An valde consultum Ecclesiarum libertati?

Utinam vero qua constantia Pontifices Romani Ecclesiarum libertatem adversus Imperatorum, quod præseferebant, iniquas usurpationes tuiti sunt, ea ipsa religione illam conservassent. Namque multorum ex illa ætate virorum luculentæ et graves querelæ satis indicant, quam parum indulgentia summorum Principum illis profuerit, ruente in deterius disciplina: quamque tristis et calamitosa fuerit christianæ civitatis isto ævo facies. Beneficiorum violata jura, non postrema gravaminum causa exstiterunt. Erupit violentior hic abusus, quo tempore Avenione curia consedit. Nam quum Pontifices bi suis ex Italia reditibus destituti alia quærere subsidia cogerentur, quibus se suosque pro dignitate alerent; eo delapsi sunt, ut omnia toto orbe Ecclesiarum beneficia sua in manu esse sibi persuaderent, eorumque administrationem ordinariam atque immediatam liberamque dispositionem ad se pertinere decernerent: Reservationes et gratias exspectativas, Episcoporum primum conniventia toleratas, prævention em, cursum, per modum juris perpetui sibi vindicarent. Quo instituto id sunt consequuti,

Digitized by Google

ut electionum provisionumque libertas tot sanguinolentis certaminibus restituta Ecclesiis, alia sed planiore via penitus interciperetur. Hinc autem gradus ad pecuniarias exactiones perfacilis fuit, quasi dominii directi jure debitas; hinc communium servitiorum, minutorum, quindenniorum, decimarum Papalium, Annatarum, subventionum inaudita melioribus sæculis nomina, quibus exigendis, quam gravis Avenionensis Curia Ecclesiis fuerit, potissimum Germaniæ, docet exemplum illustre *Petri* Archiepiscopi Moguntini, de quo insigne documentum est nuper à *Wurdtveinio* editum (1), et cleri Moguntini unio, quam in Codice diplomatico exhibuit *Gudenus tom. 3. pag. 507.*

Schol. Luctuosam Ecclesiæ Christianæ imaginem, qualis illa ante Concilii Constantiensis tempora fuit, descripsit, Joannes Gerson vir doctus juxta, ac pius multis locis. Vid. ejus *tract. de modis uniendi et reformandi Ecclesiam in Concil. univers. cap.* 23. *et* 24. Petri de Alliaco *tract. 2. de reform. Eccles. in Concil. Constant. tom. 2. op. pag.* 906. *ex edit. Du-Pin, et alibi sæpius.*

§. XCV.

Concilium Pisanum.

Aluit hæc mala pertinax schisma, quod ineunte sæculo decimo quinto in duos Pontifices orbem christianum distraxit: Alterum *Bonifacium IX.* Romæ, alterum *Benedictum XIII.* Avenione residentem. *Bonifacio* è vivis sublato Cardinales partibus ejus addicti ann. 1404. *Cosmatum de Meliorati* sub *Innocentii VII.* nomine eligunt, cui post biennium demortuo *Angelum Corarium Gregorii XII.* nomine insignem subrogant. Uterque fidem jurejurando obstrinxerat, cessurum se Pontificatui illico, si pax Ecclesiæ ac salus deposceret: fidem fefel-

(1) *Tom. 1. Subsid. dipl. pag.* 403.

Digitized by Google

lit atque exspectationem uterque; nullus enim vel minis apud eos, vel precibus consilioque locus erat: adeo scilicet præ communi Ecclesiæ pace potior fuit suprema in sacris dignitas. Cardinales spe pacis delusi, quum inanes prospicerent esse omnes tam suos, quam nationum conatus, ac sperni temere saluberrima monita, ipsamque adeo Sacramenti non violabilem religionem; de indicendo Ecclesiæ universæ concilio consilia ineunt, cujus auctoritate, diuturno isti ac pernicioso schismati, justisque populorum querelis finis tandem imponeretur.

§. XCVI.

Quid? et quo eventu actum?

Itaque Concilium Pisas in diem 25. Martii ann. 1406 à Cardinalibus utriusque obedientiæ legitime indictum est (1), à loco Pisanum dictum. Episcoporum ac Prælatorum numerus insignis adfuit; quibus Cardinalis Pictaviensis utriusque Cardinalium Collegii decanus præsidebat. Patres haud immemores cujus rei causa convenissent, quidve ab his nominis christiani comitiis orbis exspectaret; abdicatis duobus, qui de summo Pontificatu contendebant, non ante ad novi Pontificis electionem procedendum arbitrabantur, quam lecta esset publice Cardinalium schedula, in qua pro se quisque *Deo*, *Sanctæ Ecclesiæ*, et *sanctæ huic Synodo* religiose promittebat, si quem ex se eligi Pontificem contigeret, non dissoluturum ante Concilium, quam *sufficiens reformatio universalis Ecclesiæ et status ejus, tam in capite, quam in membris facta esset* (2). Nec defuturus pulcherrimæ Patrum exspectationi videbatur *Alexander V.* magna omnium consensione electus Pontifex, nisi inchoatæ, edi-

(1) *Vid. Natalis Alexander Sæc. XV. diss.* 2. §. 1. *et* 8.
(2) *Natalis Alexander loc. cit.* §. 12. *Harduinus tom.* 8. *pag.* 87.

tis aliquot approbante Concilio decretis (1), reformationi obstitisset Regis potissimum Germaniæ auctoritas. Nam hic, quum favere *Gregorio XII.* pergeret, cœptum præclare negotium intempestive interrumptum est.

Schol. Vid. Harduin *tom.* 8, *pag.* 1. *seqq.* Mansi *in supplem tom.* 3. *pag.* 841. *seqq.* Adde Natalem Alexandrum *cit. dissert.* §. 14. *seqq.* Bossuet *in def. declar. Cleri Gallicani lib.* 5. *cap.* 10. *seqq.* et alios laudatos Walchio.

§. XCVII.

Concilium Constantiense.

Spernebant Concilii istius auctoritatem *Benedictus* et *Gregorius*, munereque suo defungi pergebant. Ita jam tres inter summos Pontifices scissa erat Ecclesia. Moritur quidem *Alexander V.* ann. 1410. Bononiæ. Verum præsentes in urbe Cardinales sexdecim, confestim illi substituunt *Balthasarem Cossa* Neapolitanum, qui *Joannis XXIII.* nomen obtinuit. In hoc tam pertinaci trium Pontificum dissidio fieri sane vix potuit, quin excresceret in dies malorum intestinorum numerus, quæ Ecclesiam juxta, Regnaque mirifice vexabant. Quamobrem nulli Principes labori, nullis parcebant sumptibus, quo pace restituta uni denuo capiti Ecclesiam subjicerent. Sed quum nulla ratione à Pontificibus impetrari posset ut honori suo pacem Ecclesiæ præferrent, *Joannes XXIII. Sigismundi* Imperatoris victus precibus, *Concilium generale* ann. 1414. Constantiam indixit; cujus anni nonis Novembris celebrari cœptum, *sessionibus quinque et quadraginta* absolutum est anno 1418. Interfuerunt Patres fere mille. In his Patriarchæ quatuor, et Episcopi trecenti. Adfuit etiam *Sigismundus Imp.* Præsidium penes varios fuit. Non segniter Patres, ob quas res conventum est, agere instituunt. Princeps eorum, ac potior cura

(1) *Natalis Alexander cit. loc. Van. de Hardt. tom.* 2. *pag.* 151. 156.

Digitized by Google

ad extinguendum schisma Pontificium pertinuit. Et hac quidem cura satis feliciter defuncti sunt. Nam postquam duobus solemnibus decretis *sessione quarta et quinta*, Conciliorum auctoritatem diligentissime munierant, et hac inferiorem esse papalem declaraverant, *Joannem XXIII.* qui neglecta fide quam dederat, Concilio se fuga subduxit, ann. 1415. *sessione duodecima* Pontificatu removerunt post annos quinque et dies tredecim, quam illi mandatus esset. *Gregorius XII.* eodem anno die quarta Julii *sessione decima quarta* ipse à se dignitatem Ecclesiæ noxiam abdicavit. Quod ipsum quoniam *Benedictus* jussus adesse atque ex ordine citatus facere recusabat, *sessione tricesima septima* ann. 1417. et usurpata dignitate, et communione Christianorum privatus est. At is tamen Pontifex usque ad mortem haberi voluit. Nec eo ann. 1424. vita functo schisma prorsus desiit. Duo enim Cardinales, qui soli morienti aderant, *Clementem VIII.* suffecerunt. Sed hic abjecta dignitate, inani dissidio finem dedit. His ita, ut ajebam, confectis *Otto de Columna*, magna omnium cum lætitia, die undecima Novembris ann. 1417. *sessione* Patrum *quadragesima prima* (1) Pontifex electus, adsumpto *Martini V.* nomine solus deinceps Ecclesiæ christianæ præfuit.

Schol. Vexatissima sunt duo illa, quorum memini, Concilii istius decreta sessionis quartæ et quintæ. Vir Clar. Ant. Schmidt. *tom.* 1. *Inst. jur. Eccles. cap.* 1. *sect.* 2. §. 36. paucissimis lineis omnia complexus est, quæ adversus illa excipere solent Curiæ Romanæ addicti scriptores, eaque ait singula solidissime probata ab anonymo Auctore dissertationis, cujus hic est titulus: Pythagoras novus excusus (*in Thesaur. jur. Eccles. tom.* 2. *pag* 137.) et post hunc ab Auctore *Anti Febronii vindicati*, *vid. ibid. pag.* 281. *seqq.* Legi et hunc et illum semel, atque iterum. Sed, fatebor enim, nondum sum multo certior quam ante. Conf. Natalis Alex.

(1) *Vid. Labbeum tom.* 12. *pag.* 244.

Digitized by Google

Sæc. XV. diss. 4. Jac. Benig. Bossuet *in defens. declar. Cleri Gallic. lib. 5. et 7. cap.* 1. *et seqq.* Du-Pin *de antiq. Eccles. discipl. dissert.* 6. et qui hos sequuti sunt Clar. de Riegger, Febronius, Nellerus, Rautenstrauch.

§. XCVIII.

Capita reformationis.

Exstincto Pontificum dissidio, de reformatione Ecclesiæ in capite et membris ex instituto agendum fuit. Urgebant illam ingenti studio tum Patres, tum Nationum Deputati, præ ceteris *Joannes Gersonus*, *Petrus de Alliaco*, et *Nicolaus de Clemangis*, qui apta abusibus tollendis remedia, sanctione Concilii ut firmarentur, enixe deposcebant (1). Inter alias, etiam sua, quæ dudum ægerrime ferebat, gravamina exhibuit Natio Germanica, decem et octo articulis comprehensa (2). Nec dissimulant collecti Patres, se magni hujus negotii causa potissimum coisse. Verum etsi Germani disputassent acriter ex adverso, protestationemque solemnem et acerbam interposuissent (3), vicit tamen Italorum sententia, qua vehementer suadebatur, tantæ molis negotium commode atque utiliter, nisi electo novo Pontifice, confici non posse. Verum illico apparuit, callido id magis, quam sincero consilio actum esse. Editis enim paucis haud magni momenti decretis (4), Concilium re prope infecta dissolutum, omniumque votis expetita reformatio in futurum Concilium post annos quinque cogendum dilata est.

Schol. I. Præ ceteris Nationibus acerbius quæsta est Germanica. Cum illa ad quinquennium inita sunt concordata relata à Leibnitio *in cod. jur. gent. dipl.*

(1) *Vid. Van. der Hardt. tom.* 1. *part.* 2. 3. *seq.*
(2) *Vid. Clar. Endres. in diss. de libert. Eccles. Germ.* §. 7. *pag.* 23.
(3) *Harduin. tom.* 8. *pag.* 852.
(4) *Vid. Natalis Alex. cit. diss.* 3. §. 41. 45. 46.

Digitized by Google

tom. 1. *pag.* 384. Harduin *tom.* 8. *pag.* 888. Van der Hardt. *tom.* 1. *pag.* 1055. Estor. *Ecclesiæ Germanicæ Libertas pag.* 728. Præcipua eorumdem capita exhibuit Barthel *dissert. prælimin. ad concord. cap.* 2. *sect.* 6.

Schol. II. Acta celeberrimi hujus conventus Het. van der Hardt sex voluminibus edidit *Francof. ann.* 1700. *in fol.* quibus additum volumen septimum *ann.* 1742. opus laboriosum, nec tamen perfectum. *Acta Constantiensis Concilii* vulgavit etiam Schestrate *Antv. ann.* 1683. à Rocaberto relata *in Bibl. Pontif. tom.* 11. *pag.* 101. Vid. Walch. *in Hist. Concil. pag.* 827. *not.* 1. Historici Recentiores præcipui sunt Edm. Richer *lib.* 2. *cap.* 3. Schestrate *in compend. chronolog. rer. ad decret. Constant. spectant.* quod præmisit Tractatui *de sensu et auctoritate decretor. Concil. Constant. Rom. ann.* 1686. Natalis Alexander *Sæc. XV. diss.* 3. Lenfant. *Histoire du Concile de Constance. Amst. ann.* 1714. Supplementa huic dedit, sed mediocri judicio ut Moshemius ait, Bourgeois du Castenet Advocatus Parisinus *dans la Nouvelle Histoire du Concile de Constance ann.* 1718.

Schol. III. Privilegium de non evocando ad Curiam Romanam, quo Hungaria mea gaudet, in hoc ipso Concilio agnitum fuisse, constat non modo ex Tripartito juris Hungarici *part.* 1. *tit.* 11. et Em. Præsulis Petri Pazmani Archiepiscopi Strigoniensis commentatione erudita *ap.* Peterffium *Conc. Hung. tom.* 1. *pag.* 75. verum etiam ex epistola D. Leopoldi ad Cardinalem de Goes Episcopum Gurcensem Nationis Germanicæ apud sedem Apostolicam Con-Protectorem *de ann.* 1695. Agnitum dixi, idque deliberate, ne quis putet tum demun eo jure Hungariam uti cœpisse; quod ex eadem ipsa epistola probabo alias liquidissime. Privilegium autem nuncupavi cum Cæsare ex stilo Curiæ Romanæ. Notum est illud Ill. Senckenbergii. *Sancta Sedes cuncta etiam vi juris regii debita, veteri stilo privilegia vocat. de meth. jur. pag.* 179. *not.* 17.

Digitized by Google

§. XCIX.

Concilium Basileense.

Quum prope abesset, et elaberetur quinquennium de quo nuper dictum est (§. XCVIII.), Concilium *Papiæ* interdicitur, mox *Senas* translatum, in quo cœptum Constantiæ reformandæ disciplinæ negotium perficiendum erat. Verum multa intercedebant, quæ Senensis Concilii præpediebant consilia (1). Postremo *Basilea* placuit, quo monitus post longiorem moram *Martinus V.* conventum Patrum indixit. Enimvero in ipso prope ejus apparatu moritur *Martinus V. ann.* 1321. die prima et vicesima mensis Martii. Successit *Eugenius IV.* qui, quæ *à Martino* de Concilio Basileensi decreta sunt: omnia rata habuit. Unde *ann.* 1431. die vigesima tertia Julii initium ejus, obtinente Pontificis locum *Cardinale Juliano*, factum est (2). At mox in principio orta inter *Eugenium* et Patres contentione dissolvere illud tentavit Pontifex, cui consilio, quum insigni constantia restitissent Patres, auctoritatemque Concilii tuerentur, nec æquis animis à summis Europæ Principibus acciperetur, cessit *Eugenius*, et datis Romæ Decembri mense *ann.* 1433. litteris, quæ ad id usque tempus gesta sunt à Patribus, rata esse jussit.

§. C.

Initio ruptum illico restitutum est.

Lectæ Pontificis litteræ, ac communi Patrum consensione probatæ sunt consessui *decimo sexto.* Ab eo tempore Legati Pontificis præsidere in Concilio iterum cœ-

(1) *Vid. Raynald. ad ann.* 1424. *n.* 5.
(2) *Raynald. ad ann.* 1431. *n.* 5. 17. *et* 20.

Digitized by Google

perunt. Nec tamen admissi sunt ante, quam sacramento interposito polliciti essent, se decretis Concilii, et nominatim etiam Constantiensis legibus parituros. *Ut mentis nostræ integritas*, inquit in litteris *Eugenius*, *ac devotio, quam ad universalem Ecclesiam et sacrum Concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter; duas nostras litteras pridem in Palatio Apostolico promulgatas, nam tertias, quæ dicuntur incipere* Deus novit, *quum à nobis aut de scitu nostro numquam emanaverint, licet superfluum videatur, quod non exstat, revocare, quia petitum est, et ad cautelam, si ullo umquam tempore apparerent, et alias quascumque, et quidquid per nos aut nostro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti sacri Concilii Basilaensis, seu contra ejus auctoritatem factum et attentatum, seu adsertum est, cassamus, revocamus, irritamus, et annullamus, nullas et irritas fuisse declaramus.* Ac ne quis cavilletur, hanc *Eugenii* declarationem ad eas dumtaxat sessiones pertinuisse, quæ deinceps habendæ essent, juverit addere ex iisdem litteris, quæ paullo ante scripta sunt: *decernimus et declaramus præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse et esse, prosequutionemque semper habuisse, continuari, ac prosequutionem habere, debere ad prædicta et pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset.*

Schol. Hæc prætermitti à Clar. Schmidtio non debebant in ea, quam *Instit. Jur. Eccl. tom.* 1. §. 68. *in sch.* concinnavit, hujus Concilii historica synopsi; si omnino id voluit, quod præ se fert, ut ex illa, quanta singulis consessibus insit auctoritas, facile pateat principiis Theologiæ vel parum tincto. Sed fortasse non tanti hæc visa sunt eruditissimo viro, ut iis referendis scrupulum adolescentibus moveat. Eximere hunc tentavit Clar. Auctor *Anti-Febronii vindicati part.* 2. *diss.* 4. *pag.* 289. *seqq.* Sed ita eximit, ut etiam augeat. Novit vir

Digitized by Google

dicta omnia dudum ante Bossuetus, et Natalis Alexander; ea quam sint dicta inania, perspicue ostenderunt. Cur his vir ceteroquin disertus non duxit respondendum? Verum Natalem quidem Alexandrum depexuit Stiltingus *in Act. Sanct. tom. 5. Sept. pag. 452.* inquit Schmidtius *tom. 1. Inst. jur. Eccles. cap. 1. sect. 2. §. 19.* Tu vero cave credas. Alia inter eos res agitur; in qua procul dubio Stiltingus Natali inferior est.

§ CI.

Præcipua Concilii decreta.

Magna tum ante, tum etiam post, animorum contentione, præparatos jam in Constantiensi Concilio reformationis articulos effectui dare satagebant Patres. Digna memoratu ea sunt præcipue, quæ publicum Ecclesiæ statum, Nationumque gravamina propius concernunt. 1. *Sess. secunda* declaratum est, *ipsam Synodum generalem potestatem immediate à Christo habere, cui quilibet, cujuscumque status et conditionis etiam papalis obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem et exstirpationem schismatis, et ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite et membris*, conformiter iis, quæ decreta fuerant in Concilio Constantiensi. 2. Eadem ista ejusdem Concilii decreta repetita sunt *sessione tertia*, eorumque vi monitus *Eugenius*, ut factam inconsulte Concilii dissolutionem revocet. 3. *Sess. duodecima* libera capitulis electio vindicatur: Reservationes omnes (demptis illis in corpore juris clausis) abolentur, summoque Pontifici interdicitur, ne quid adversus libertatem electionum decernat, *nisi magna, rationabilis, ac evidens causa in litteris Apostolicis nominatim exprimenda* aliud fortasse postulaverit. Confirmandi porro, et consecrandi jus ex veteri disciplina Metropolitanis adjudicatur, quo etiam 4. pertinet decretum *sessionis decimæ tertiæ, licet du-*

Digitized by Google

dum, in quo adjecta superiori decreto clausula ita restricta est, ut necessitatem imponat summo Pontifici negotium remittendi, ut nova ab ipso capitulo electio fieri possit. 5. Præcipitur *sessione decima quinta* annua Synodorum Diœcesanarum celebratio: Conciliorum vero Provincialium singulis saltem trienniis. 6. Renovata sunt iterum *sessione decima octava*, quæ Concilium Constantiense de Concilii superiore Pontificibus auctoritate decreverat. 7. *Sess. vigesima* sancitum est, ut appellationes à sententia definitiva tantum, vel difinitivæ vim habente, nec tamen immediate ad sedem Romanam, sed servato medio admittantur. Quoad exemptos vero Episcopos, sicut in casu ultimæ appellationis quoad ceteros, Commissiones seu Delegationes in partibus decernantur. 8. *Sess. vigesima prima* abrogatæ sunt, pugnantibus ex adverso ne quidquam Pontificis legatis, Annatæ omnes. 9. *Sess. vigesima tertia* omnes Reservationes, sive per extravagantes *ad Regimen*, et *execrabilis*, sive per Regulas Cancellariæ, et alias constitutiones Apostolicas, exceptis solis, quæ juris sunt communis, sublatæ sunt. Quumque ita felicissime negotium usque ad sessionem vigesimam quartam procederet, novæ iterum contentiones non tantum Pontificem à Patribus, sed ipsos etiam inter se Patres dissociaverunt. Ex quo quidem tempore Basileense Concilium, quod adhuc indubitate legitimum fuit, in conciliabulum degeneravit.

Schol. Conf. Raynaldum *in annal. ad ann.* 1437. *n.* 7. 9. Natalem Alexandrum *cit. dissert.* 8. *Sæc. XV. art.* 4. *et* 5. Thomasinum *de veter. et nov. Eccles. discipl. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 59. Basileense Concilium usque ad sessionem vigesimam quartam legitimum esse Concilium dixi, quod quidem scio, paucis non Patriæ meæ eruditis viris probaturus sum. Vix enim vel nomen hujus Concilii æquis auribus excipiunt; tanta vis est opinionum in scholis præjudicatarum. At non ita sentiebant Majores nostri. Exstant apud Carol. Peterffejum in Con-

:

Digitized by Google

ciliis Regni Hungariæ *part.* 1. *pag.* 189. canones Synodi Scepusiensis à Joanne Stock præposito Ecclesiæ Scepusiensis celebratæ ann. 1460. Ex his complures à canone trigesimo tertio ex Concilii Basileensis decretis *Sess. XXI.* nulla mutata vocula descripti sunt, idque ejus ipsius Concilii auctoritate: *Prout* (verba sunt can. 33.) *in decreto sacri Basileensis Concilii lucidissime est expressum, cujus tenor sequitur in hac forma: Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans ad perpetuam rei memoriam.* Et quum in præfatione Synodi Ecclesiæ Strigoniensis, statuta synodalia anno scilicet 1449. à Dionysio de Zeech Cardinali et Archiepiscopo edita instaurare se professus sit, conjectura fortasse non inani adfirmari potest, eadem Basileensis Synodi decreta ab Em. Cardinale recepta fuisse, probataque. Id autem si recipimus, non obscurum est, Basileensis Synodi auctoritatem ea tempestate apud nos non modicam fuisse. Edidit hos canones etiam Stephanus Kaprinai *in Hungaria diplomatica part.* 2. *pag.* 458.

§. CII.

Novum schisma.

Sed pergebant nihilominus, qui Basileæ restiterant, conventus suos habere, variaque non ingrata Nationibus decreta promulgare. Interim *Eugenius* dissoluto Basileensi, Concilium, quod Ferrariam indixerat, ann. 1438. die 10. Januarii inchoavit, pestis causa sub initium anni sequentis Florentiam translatum. Quibus rebus offensi Basileenses, exauctorato *Eugenio*, ducem Sabaudiæ *Amadeum*, tum Ripaliæ ad lacum Lemanum vitam solitariam agentem, *Felicis V.* nomine subrogarunt. Duas hinc iterum in partes scissa est Ecclesia, quæ tantis laboribus Constantiæ vix coaluit. *Galli*, etsi factum Basileensium

Digitized by Google

minime probaverint, decreta tamen non illibenter receperunt, ex quibus habito Biturigæ conventu ann. 1438. conflata est *Sanctio pragmatica*, quæ varia subinde fata experta, non sine magna gentis totius indignatione per concordata inter *Leonem X.* et *Franciscum I.* Regem sublata est (1). Germaniæ electores dum mortuo Sigismundo ann. 1438. Francofurti convenissent Imperatorem alium electuri, nec *Eugenii*, nec *Felicis* partes sequendas decernunt; idque decretum subinde repetitum pluribus annis obtinuit (2). Reformationis tamen decreta interim à Basileensibus promulgata, quod ea ad Ecclesiarum suarum salutem promovendam apta existimarent, minime censuerunt negligenda. Frequenti enim ordinum conventu ann. 1439. Moguntiæ indicto, temperamento quodam adhibito recepta sunt, iis dumtaxat exceptis, quæ ad sententiam adversus *Eugenium* pronuntiatam spectabant.

Schol. Conf. Clar. Horix *in concord. Nation. Germ. integr. tom.* 1. §. 16. ubi ipsum etiam acceptationis instrumentum exhibuit sub *num.* 2. et Georg. Christ. Neller *in dissert. de certis Concilii Basileensis decretis maxime hierarchis*, quæ exstat in Schmidtii *Thesaur. jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 270. Consulto monui, ea dumtaxat in acceptationis instrumento excepta fuisse, quæ ad Eugenii suspensionem, exauctorationemque pertinebant; non quæ in universum *ad judicium contra Papam quoquo modo spectarent*, ut interpretatur Ant. Schmidt. *Instit. jur. Eccles. tom.* 1. §. 69.

§. CIII.

Concilium Florentinum.

Inter hæc *Eugenius* Florentiæ Græcorum et Latinorum controversiis dirimendis adsidue vacabat. Commis-

(1) *Vid. Histoire de l'Eglise Gallic. tom.* 16. *pag.* 381.
(2) *Guden. in cod. diplom. tom.* 4. *pag.* 232, 235., 249.

Digitized by Google

sum est arduum istud negotium delectis ab utraque parte viris. Græcorum præcipuus *Bessarion* fuit, vir doctrina excellenti, qui postea inter Ecclesiæ Romanæ Purpuratos locum obtinuit. Coaluit denique optata diu concordia, etsi haud diu perstitura, quæ quoniam una fuit, certe præcipua Concilii habendi causa, finem huic imposuit. Conf. *Natalis Alexander in Histor. Eccles. Sæc. XV. dissert.* 10.

Schol. Exstat Eugenii in hoc Concilio editum decretum, in quo declaratum est, Romano Pontifici *in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur.* Exultant hoc decreto scriptores Romani; neque enim ambiguum illis est, quin cum Constantiensis Concilii illa definitione nuper memorata componi Pontificia jura non possint. Qua in re falluntur quidem certo. Ceterum meminerint, velim, Concilii Florentini auctoritatem non ita esse firmam, ut ipsi jactant. Nam si et legitimum hoc, et fuit Œcumenicum Concilium; si præterea superioritas Pontificis in sensu Romanæ curiæ definita est in Florentino Concilio, quomodo salva Œcumenici Concilii auctoritate in Tridentina synodo resistere Galli potuerunt, dum de repetenda Florentina definitione ageretur? Aut quomodo sedes Apostolica consentire, ut ab ea formula Tridentinis decretis inserenda omnino abstineretur? Quantum vero Tridentini Concilii tempore ad ea Romanorum sententia Galli abfuerint, intelligi potest ex epistola Cardinalis Lotharingi ad Bretonum *ann.* 1559. scripta: *Superest modo titulorum ultimus*, ait, *quem adscribi nostro sanctissimo Patri volunt, è Florentina synodo depromptus. Ego vero negare non possum, me et Gallum, et Parisiensis Academiæ alumnum esse, in qua Concilii supra Romanum Pontificem auctoritas defenditur... Galliam Constantiense Concilium quoad omnes*

Digitized by Google

partes suas Œcumenicum habere, et Basileense sequi: Florentinum vero nec pro legitimo, nec pro generali ducere. Quamobrem Galli de vita potius, quam de sententia decedent.

§. CIV.

Postulatis Germanorum.

Adhuc Germani duos inter Pontifices medii fuerunt. Ea constantia irritatus *Eugenius*, Archiepiscopos Trevirensem et Coloniensem, quos Basileensibus favere præ ceteris impensius nuntiatum est, ann. 1445. dignitate exuit. Quam injuriam Principes Electores suam esse rati ann. 1446. nisi *Eugenius* decreta Conciliorum Constantiensis et Basileensis de synodorum Œcumenicarum auctoritate peculiari diplomate probaret: deinde Concilium in Germania mox convocandum promitteret: Porro decreta Basileensis Concilii Moguntiæ ann. 1439. acceptata (§. CII.) rata esse juberet: demum innovationibus durante neutralitate factis, Nationisque Germanicæ gravaminibus mature consultum iret. *Felicis V.* partes se amplexuros constituunt, eamque suam voluntatem decreta legatione *Eugenio* denuntiant (1). Non accessit quidem ad hanc Electorum unionem *Fridericus Imp.* Legatum tamen et ipse misit *Æneam Sylvium*, cui hoc præcipue in mandatis dedit, persuaderet Pontifici, majorem esse Principum Electorum in populo Germanico auctoritatem, quam ut contemni possit: Archiepiscopis sede sua motis dignitatem pristinam illico restitueret: ea enim moderatione effici posse, ut Germani ad obsequium redeant; contra si accidat, periculum esse, ne sententiæ insolens rigor æternæ divisionis causam infelicem præbeat. Annuit moderatis Cæsaris consiliis *Eugenius*. Oratores Principum accepit perhonorifice, missuramque

(1) *Vid. Ill. ab Hontheim. in hist. dipl. Trev. tom. 2. pag. 396. et 406.*

se nuntios spopondit ad diætam Francofurti proxime cogendam, qui de pace cum Principibus deliberarent, quodque optimum factum judicatum esset, suo nomine constituerent.

Schol. Conf. Muller *in Theatr. Comit. part.* 1. *pag.* 340. Gobellinus *lib.* 1. *comment. de reb. Pii II.* Endres *cit. diss.*

§. CV.

Annuit Eugenius.

Frequentissimus hic Principum conventus erat (1). Videbatur sub initium causa Pontificis parum prospere cessura, sed adjuvit eam *Æneæ Sylvii* exercita diu aulicis studiis eloquentia, mitigatisque Principum animis æquiora Nationi postulata eblanditus est (2). Capita fuerunt omnino quatuor. 1. Ut generale Concilium tempore locoque designando convocetur. 2. Ut professio potestatis, auctoritatis, et præeminentiæ generalium Conciliorum catholicam militantem Ecclesiam repræsentantium, per Oratores *Eugenii* facta, litteris ejus approbetur. 3. Ut Nationi Germanicæ super suis gravaminibus opportune provideretur. 4. Ut, quæ in præjudicium duorum Principum Electorum Trevirensis et Coloniensis acta sunt, revocentur. In has itaque leges tum prævie conventum est. Decreta ad se Germanorum legationem audivit benigne *Eugenius*; postulatis Principum, posteaquam illi de compensatione quadam obtinenda spes facta esset, annuit; legatisque filialem reverentiam atque obedientiam spondentibus, quatuor bullas propria manu tradidit, quibus inchoata Francofurti concordata, Romæ non sine ingenti populi Romani lætitia consummavit.

Schol. Conf. Raynald. *in annal. ad ann.* 1446.

(1) *Vid. Cochlæus in Hist. Huss. lib.* 9.
(2) *Anonymus obs.* 15. *ad Conc. Nat. Germ.*

Digitized by Google

n. 5. et seqq. Exstant Bullæ *in concord. nation. Germ. tom. 1. pag.* 134.

§. CVI.

Inde concordata Principum.

Atque hæ ipsæ quatuor *Eugenii* bullæ (§. CV.) una cum instrumento acceptationis decretorum Basileensium Moguntiæ confecto (§. CII.) *Concordata Principum* conficiunt, è quibus propria et singularia Ecclesiæ suæ jura derivanda esse Jurisconsulti Germaniæ recentiores cum *Zallweinio* docent (1), ut ea non immerito à plerisque neglecta fuisse questus sit *vir Clar. Christ. Nellerus* (2). Equidem non ignoro, bullam, quam *salvatoriam* vocant, eadem die ab *Eugenio* editam (3) metu præjudicii ne quid imprudens admisisset, ut qui adversa fractus valetudine non ea judicii consilique maturitate, quam rerum ipsa gravitas ac magnitudo deposcebat, examinare cuncta, atque expendere potuerit. Verum nihil ea Pontificis contestatione opus fuit. Falluntur enim valde, qui per eam concordatis Principum quidquam detractum esse autumant. Nam quid in his erat concordatis, quod *vel doctrinæ Sanctorum Patrum, vel sedis Apostolicæ privilegiis, et auctoritati* divina institutione innixæ derogaret (4)? Accedit, quod *Nicolaus V.* *Eugenii* in Pontificatu successor concordata Principum mox ab inita dignitate rata esse jusserit (5) atque iterum ann. 1449. confirmaverit (6). Qua quidem re, etsi aliquod dubium superesset, id omne luculenter sublatum fuisse apertum est. *Conc. nat. Germ. tom. 1. pag. 20. 27. seqq.*

(1) *Tom. 2. princ. jur. Eccles. pag.* 310.
(2) *Cit. diss.*
(3) *Muller cit. loc. pag.* 352.
(4) *Neller cit. diss. cap. 1. §.* 19.
(5) *Raynald. ad ann.* 1447. *n.* 17.
(6) *Raynald. ad ann.* 1448. *n.* 3.

Digitized by Google

SCHOL. Ex his judicare unusquisque, qui veri studio tenetur, perspicue potest, quam sint futilia, quæ adversus sinceram hanc historiæ fidem disputavit Auctor *Anti-Febronii vindicati part. 2. diss. 4. §. 8.*

§. CVII.

Concordatum Aschaffenburgense.

Ita sibi Germania utcumque in iis rerum angustiis adversus curiæ abusus consuluit. Restabat promissa Romanis compensatio (1). Ob eam rem indicta est Aschaffenburgum diæta, in qua cum legato sedis Romanæ varium diu et anceps de Basileensibus decretis abolendis retinendisve certamen fuit (2). Postremo, ut ut major, ut videtur, pars statuum repugnaret, *Ænea Sylvio* potissimum adnitente concordia ita coaluit, ut victoria maxima parte penes Romanos esset (3). Nempe in multis capitibus derogatum est decretis Basileensibus (4). Neque tamen ita est derogatum, ut omnino sublata dici recte queant. Apertum enim est ex ipso *Nicolai V.* diplomate, ea decreta, quatenus auctoritati illorum, nec per concordiam Aschaffenburgensem, nec per aliquod posterius Concilium adsentiente natione decerptum est, vim suam integram etiamnum obtinere oportere, parumque ex dignitate Ecclesiæ suæ facere arbitror Jurisconsultos Germaniæ illos, qui obliti commodorum patriæ et avitæ libertatis, ea audent aperta fronte contemnere.

SCHOL. Conf. Neller *cit. loc.* §. 15. In aliis autem, inquit Nicolaus P. *quæ per felicis recordationis* Eugenium P. IV. *pro dicta Natione usque ad tempus futuri Concilii permissa, concessa, indulta, et decreta, ac per*

(1) *Vid. Neller cit. dissert. cap. 1. §. 8.*
(2) *Neller cit. loc. §. 10.*
(3) *Anonymus obs. 19. ad Conc. Nat. Germ.*
(4) *Vid. Georg. Schloer dissert. ad concord. Nat. Germ. cap. 1. §. 6.*

Digitized by Google

nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil volumus immutatum.

§. CVIII.

Concordata Nationis Germanicæ.

Ex his omnibus jam demum intelligitur, inquit *Clar. Horix*, *Concordata Principum* ann. 1446. prima Septembris Francofurti inita, et Romæ quinta Februarii ann. 1447. approbata continere illa, quæ summa sedes in favorem Germaniæ concessit ac promissit, et eatenus constare quatuor bullis una cum relato instrumento acceptationis sub *Alberto Rege*: (§. CVI.) *Concordata Aschaffenburgensia* vero complecti illam recompensationem, quam *Eugenius* sibi ante reservaverat, quamque ideo Imperator *Nicolao V.* in favorem sanctissimæ sedis ann. 1448. vicissim concessit ac conservare promisit. (§. CVII.) Ulterius patet, concordata Principum et Aschaffenburgensia simul sumpta, efficere per excellentiam ita dicta *Concordata Nationis Germanicæ cum sede Apostolica* (1). Quare magnam, ac nescio, an præcipuam concordatis partem detrahunt, qui contra rerum gestarum fidem ad solam Aschaffenburgensem transactionem illa restringuunt, quod miror placuisse *Rautenstrauchio* (2), et nuper *Ill. de Riegger in Elem. jur. canon. publ. Germ. part.* 1. §. 584.

Schol. Non possum hoc loco, quin adscribam consectaria, quæ hinc scite admodum duxit Clar. Endres *cit. dissert.* §. 14. *Hinc patet*, inquit, *decreta Basileensia Nationi adsecurata tamquam pro regula communi: Jura è contra Romanæ Curiæ vicissim à Natione remissa, pro exceptione ab hac regula debere considerari; ita ut stabilita in his decretis contra omnes reservationes*

(1) *Tom.* 1. *Concord. pag.* 24.
(2) *Proleg. jur. Eccles.* §. 51.

Digitized by Google

papales sacrarum electionum libertas, collatio beneficiorum, abrogatio Annatarum et exactionum, cet. communem regulam efficiant, atque fundatam pro se intentionem habeant: Reservationes vero in favorem Curiæ Romanæ ad tempus dumtaxat indultæ, Annatæ, cet. exceptionem faciant, strictissimæque sint interpretationis; et ultra claram litteram Concordatorum nullatenus extendi possint, quin potius eamdem ipsa menti paciscentium, qui modificationem intenderent, accommodari oporteat. Cui junge Schloër *citat. dissert. cap.* 4.

§. CIX.

Sunt verum pactum.

Itaque Concordata rationem habent non *privilegii*, sed *pacti* obligantis non magis Nationem Germanicam, quam Apostolicam sedem: pacti inquam non temporarii ac *personalis*, verum *realis* ac perpetui. Atque hoc liquet tam ex confessione Pontificum *Nicolai V.* (1), *Julii III.* (2), *Clementis VIII.* (3), quam Germaniæ, quæ adeo semper ab ea opinione abfuit, ut Concordata privilegium esse Pontificium crederet, ut contra ea violari à Curia semper ferret gravissime (4), jurisque jurandi religione Imperatores obstringeret, darent operam, ne quid detrimenti patiatur Ecclesiæ Germanicæ libertas (5). Quibus autem præcipue innituntur rationibus adscripti curiæ scriptores, eæ sunt admodum leves. Sane vix ope-

(1) *Const. ad sacram.* §. 1.
(2) *Const. die* 14. *Sept. ann.* 1554. *edita.* §. 2.
(3) *Const. d. die* 15. *Jan. ann.* 1603.
(4) *Vid. Concord. German. tom.* 1. *pag.* 27. *et tom.* 3. *pag.* 177. 190. 195. 216.
(5) *Vid. Endres citat. dissert.* §. 17. *seqq. Schmidt diatrib. de Imp. Conc. Protect.*

Digitized by Google

ræ pretium fecerit, si quis eas refellere diligentius conetur.

Schol. Conf. Endres *cit. dissert.* §. 20. Barthel *in dissert. gener. ad Concord. cap.* 1. *sect.* 1. §. 2. 3. 4. 12. 13. Schloër *cit. dissert. cap.* 1. §. 1. 2. *cap.* 2. §. 1. 4. Anonymus *obs.* 20. *ad Concord. nat.* 59. *Germ.* Ant. Schmidt *Inst. jur. Eccles. tom.* 1. §. 73. Schram. *Inst. jur. Ecclesiast.*

§. CX.

Et lex Imperii Germanici.

Enim vero non *pacti* tantum, sed etiam *legis* vim habent Concordata. Nam quod status Imperii singulos, singulasque Germaniæ Ecclesias concernit, Concordatis tamquam Imperii communi ac publica lege obligari verius est. Nec obest, etsi fatear, perpaucos Imperii status Aschaffenburgensi concordiæ præter Cæsarem consensum suum accommodasse. Probet enim hoc quidem, si liquido demonstrari possit, vacillasse in principio concordiæ istius auctoritatem. Sed nunc ejus rei vix haberi ratio potest, ex quo Concordata ab universo Imperio saltem generatim acceptata fuisse satis constat. Quid enim sibi volunt aliud tot *capitulationes* Cæsarum, in quibus hi se adstringunt, curaturos se omni modo, ne quid in iis adversum fiat? Quid tot Imperii *Recessus*? Quid ordinatio judicii aulici, dum inter ea, quæ augusti illius dicasterii adsessores in judicandis causis controversis pro norma habere jubentur, etiam concordata recensuit (1)? Obligant vero Concordata omnes Germaniæ Ecclesias, quæ clientelari nexu Imperio adhærent, nisi si quæ sunt, in quibus, eo quod jam tum jure gauderent meliore quam præstare Concordatum poterat, illud in usum numquam est deductum, velut de Bambergensi et

(1) *Schmidt Inst. jur. Eccles. tom.* 1. §. 74.

Digitized by Google

Wirceburgensi *Barthelius*, de aliis alii testati sunt. *Auctor princ. jur. publ. Eccles. cap.* 12. §. 10.

SCHOL. Conf. Barthel *cit. diss. cap.* 2. *sect.* 1. Itaque duo desiderant, ut Concordata obligent: nempe in Germania sitam esse Ecclesiam oportet, et nexum habere clientelarem cum Imperio. Unde Ecclesiæ in Belgio sitæ ex defectu nexus feudalis, et nonnullæ in Italia ab Imperio pendentes, quod non sint in Germania, Concordatis non stringuntur. Ceterum sunt tamen, in quibus obtinent per *extensionem*, ut ajunt, de quibus Schloër *cit. dissert. cap.* 1. §. 7. 9. Augustanæ confessioni addicti status, ut et Reformati à Concordatorum obligatione immunes declarati sunt *in Instr. Pac. art.* 5. §. 15. *et art.* 17. §. 3. junctis *art.* 5. §. 20. *et* 26. Conf. Auctor *princ. jur. publ. Eccles. cap.* 12. §. 11. *et* 12. Barthel *dissert. spec. de Concord. sect.* 3. *cap.* 2. §. *ult.* et Gallade *dissert. de usu Concordatorum apud Catholicos et Protestantes in Imperio.*

§. CXI.

Proinde non potest iis Papa derogare.

Quoniam Concordata Germaniæ etiam Pontificem per modum pacti seu transactionis obligant, (§. CIX.) ficta est et à ratione aliena *derogandi* potestas, quam summæ sedi tribuunt scriptores Romani ex plenitudine nescio qua Apostolicæ auctoritatis. Quam enim tu mihi fingis potestatis plenitudinem, quæ intra æqui ac justi limites se constringi non patitur? Aut non est fundamentum justitiæ fides, id est, dictorum conventorumque constantia et veritas? *Clemens VIII. Nos attendentes*, inquit, *Concordata prædicta vim pacti inter partes habere, et quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse, neque debere.* Ut quid igitur A-

Digitized by Google

postòlicæ sedi potestatem obtrudimus, quam ipsa à se solemni declaratione abdicavit?

Schol. Vid. Georg. Schloër *cit. diss. cap.* 2. Anonymus *observ.* 20. *ad Concord. Nat. Germ.* Ant. Schmidt *tom.* 1. *Inst. jur. Eccles.* §. 72. *seqq.* quamquam Schmidtius *arbitrarium* quidem in Concordata potestatem adimat Pontifici, non etiam illam, quæ exercetur *ex necessitate evidentissima, quæ legem non habet, loc. cit.* §. 75. Vide autem, ne hac exceptione admissa cuncta iterum ad Pontificis arbitrium reducantur; quem enim alium necessitatis hujus judicem constituit Schmidtius? Quid si vero Natio Germanica eam, quæ obtenditur, necessitatem non videat? quid si eam evidentissimam abneget? Conf. Schloër *cit. loc.* §. 2.

§. CXII.

Nec authentice interpretari.

Quod de abrogatione concordatorum dictum est, idem etiam de *interpretatione authentica* valet. Habent enim diverso respectu concordata vim pacti simul, legisque. (§. CIX. seq.) Utro modo spectentur, authentica interpretatio ad solum Romanæ sedis Antistitem nequit pertinere; quum utique expediti juris sit, pacti legisve anbiguum sensum definire eorum esse, qui conventionem iniverunt vel legem tulerunt. Tam itaque à vero absunt, qui Romano Pontifici, quam qui Imperatori Imperioque eam potestatem attribuunt. Communis est utrisque, et communi consensione exercenda. Quidquid præter hunc modum fit, adversum est fidei conventionis, repudiarique non injuria potest.

Schol. Hoc jure Germani repudiant Bullam Gregorii XIII. *ann.* 1576. editam, qua, se inconsultis, ambiguam conventionis istius legem pro auctoritate sua interpretatus est. Atque etiam nescio, an probari omnino

Digitized by Google

possint, quæ Clar. Schmidtius *loc. cit.* §. 76. *de interpretatione judiciali*, quam Romanæ Rotæ adjudicat, post alios plures disputat. Existimarem ego, causas Germanorum non Romanis ex legibus, sed Germanicis definiri æquius esse: nec ex sensu Germanicarum legum, quem his Rota tribuit, sed quem Germani sincerum verumque agnoscunt, decisionem peti oportere. Et cur Imperator, ad quem Concordatorum protectio jure pertinet, sententiæ à mente paciscentium alienæ executionem impedire non possit? Vid. *Moderna status Cancellaria tom.* 2. *pag.* 491.

§. CXIII.

An sit locus præscriptioni?

Jura pacto quæsita amitti posse non usu et alterius præscriptione certum est. Nihil video, cur eidem præscriptioni adversus concordata quoque locus esse nequeat. Nam si per privilegium Apostolicum obtineri jura possunt, quæ ceteroquin ex concordatis Pontifici competunt, quidni et præscriptione? quum præsertim omnia ad legitimam præscriptionem requisita, tempus, possessio, bona fides confluere possint. Sane præscriptionis jure nititur *Serenissima Domus Bavarica* in præsentandis ad dignitates et beneficia idoneis clericis, eodemque jure multis aliis locis beneficia curata in mensibus etiam Papalibus ab aliis, quam à sede Romana conferuntur. Quæ etsi concordata perpetua esse voluerit *Nicolaus V.* nisi in futuro Concilio de consensu Nationis aliter ordinatum fuerit; *Clemens* autem *VII.* collationes concordatis adversas nullum beneficia possidendi titulum præbere declaraverit, inaniaque esse statuta omnia declaraverit *Innocentius X.* quæ cum iis pugnarent; horum tamen omnium minime ea vis est, ut consuetudinem quamtumvis longam, præscriptionemque saltem immemorialem pos-

Digitized by Google

sint impedire; soli hoc divino juri proprium est, cui hoc loco vim nullam inferri manifestius est, quam ut probari debeat. Conf. *Schloër cit. diss. cap.* 3.

Schol. I. Probat, tametsi subtimide, hanc á Germanis adoptatam præscriptionem Clar. Schmidtius *loc. cit.* §. 77. eandem autem etiam Curiæ Romanæ negari non posse contendit *in not. ad cit. diss.* Clar. Schloër *tom.* 1. *Thesaur. jur. Eccles. pag.* 390. Nihil enim quidquam adferri potest, ait, cur illa titulo præscriptionis pro se allegando excludatur, quin illud retorqueri possit adversus præscriptionem à Germanis admissam. Quod mihi profecto non videtur. Nam quæ per Concordatum Aschaffenburgense Romano Pontifici cessa sunt jura, ea profecto sedi illius nec divino jure, nec Concilii generalis canone adscripta sunt: sola, ni fallor, conventione cum Germanis inita nituntur; adversus quam præscriptioni locum esse, expediti juris est, nec vir doctus diffitetur. Jura contra Episcoporum in conferendis beneficiis, canonibus generalium etiam Conciliorum sæpe stabilita sunt, ipsique insunt muneri pastorali. Possitne autem Pontifex sibi adversus statuta canonum præscribendo immunitatem quærere, munusque pastorale Episcoporum præter ullam necessitatem coarctare, vehementer ambigo; de necessitate quippe ne quid possit excipere eruditissimus scriptor, vetat id, quod est ab ipso in institutionibus perspicue traditum, necessitatem lege concordatorum nequaquam circumscribi. Porro eo jam in Germania concordata sunt, ut conniventia Imperatoris Electorumque, auctoritati eorumdem nihil noceat. Consensus Imperatoris collegiique Electoralis expressus requiritur, ut detrahi quidquam de concordatis legitime possit; quod igitur conniventia Prælati unius Romanæ Curiæ profutura est? Ejus, inquam, Prælati, qui expresso etiam consensu suo si velit maxime indulgere Romanis, nihil potest, quod concordatis, quæ jam dudum in legem publicam abierunt, adversum esset?

Digitized by Google

Schol. II. Canones pro genuino concordatorum sensu eruendo adfert Barthel *diss.* 3. *de concord. in præfat.* cui junge Georg. Schloër *cit. diss. cap.* 4. et Clar. Endres *cit. diss.* §. 14. Quum autem nondum gravamina desint Germanis ob violata à Romanis Concordatorum jura, sæpe deliberatum est de remediis justæ certæque defensionis. Non contemnenda sunt, quæ Barthel *cit. diss.* subjecit. Efficacissimum procul dubio remedium est Recursus ad Imperatorem. De quo adcurate exposuit Clar. Schmidtius *diatr. de Imper. concord. protect.* Conf. Endres *cit. diss.* §. 35. *pag.* 135. *seqq.*

§. CXIV.

Concilium Pisanum.

Jam ad sæculum decimum sextum venio, cujus initia satis reddidit turbulenta *Julii P. II.* belli, quam pacis cupidior indoles. Hic enim primum *Venetis*, fœdere cum *Maximiliano Imp.* et *Ludovico XII.* Galliarum Rege inito, bellum intulit; posthæc *Ferrariensibus*; postremo Regem Galliæ ipsum, Venetis, Hispanis, Helvetis in societatem belli adscitis adgressus, mire omnem, dum vivebat, Occidentem turbavit. *Ludovicus* injuriam á Pontifice acceptam ulturus, ne quid præter jus fasque in re ancipiti decerneret, cleri primum sui comitia habuit, seque ab eo de propositis ad deliberandum articulis quid sentiret, edoceri jussit (1); à quo, quum ex animi sui sententia responsum esset, ad retundendos Pontificis imperiosos conatus animum advertit. Et erant quidam Aulæ Romanæ purpurati à violentis *Julii P.* consiliis alieni, qui *Ludovici* Regis et *Maximiliani* Imperatoris auctoritate freti, Pisis ann. 1511. Concilium cogebant, quo et Pontificis hostiles conatus cohiberent, et de emendandis disciplinæ tam publicæ, quam privatæ

(1) *Vid. Natalis Alex. Sæcul. XXI. diss.* 11. *artic.* 3.

Digitized by Google

vitiis deliberarent. Indixit Episcopus Gurcensis *Matthæus Langus* Cæsaris in Italia Vicarius. Convenerant Cardinales quatuor, quorumdam aliorum Procuratores, et complures præsertim Galliarum Episcopi, Oratoresque *Ludovici* Regis. Post tres Pisis habitas sesiones Mediolanum translatum est, ubi *Julius* causam jussus dicere, quod se Concilio inobedientem exhibuisset, ann. 1512. die vigesima prima Aprilis solemni sententia gradu suo excidisse declaratus est, extra Galliam vix cuiquam probata. Mediolano Lugdunum transiit, infectaque re dissolutum est.

Schol. Acta Concilii edita sunt Parisiis *ann.* 1612. in 4. omissa deinde in collectionibus Conciliorum. Pauca habet Colleti: nec multo plura Mansius *in Supplem. tom. 5. pag.* 347. Historiam dedit Richer *lib. 4. cap. 2.* Auctoritas ejus, quam aliquot editis commendationibus defendebat Philippus Decius Jurisconsultus Mediolanensis non indoctus, quanta sit, docuit Natalis Alexander *cit. diss. artic. 3. in fin. et artic. 4.*

§. XCV.

Concilium Lateranense.

Parum moveri Pisano hoc conventiculo visus est *Julius P.* suis amicorumque viribus præfidens. Ut ne tamen, quod ad intercipienda ejus consilia pertineret, temere negligeret, aliud in Lateranensi Basilica Concilium ann. 1512. indixit, quod inter Lateranensia quintum numerant. Absolutum est ann. 1517. duodecim sessionibus. Interfuerunt Episcopi sessioni quidem primæ non adeo multi, iique maximam partem Itali. Crevit deinde et Episcoporum et Cardinalium numerus adeo, ut centum et quatuordecim fuisse memorentur. Adfuerunt etiam omnium fere Principum Christianorum Oratores, ipsiusque adeo *Ludovici XII.* Galliarum Regis, qui Cæsaris se-

Digitized by Google

quutus exemplum, Pisano illi, de quo dixi, conventui favere desierat. Præfuit *Julius* usque ad sessionem sextam. In his primum damnata sunt acta Concilii Pisani. Proxime Gallorum pragmaticam sanctionem adortus est. Neque vero dubium est, quin dira admodum in *Ludovicum* decreta ejusque socios edita fuissent, nisi Pontificem vindictæ paullulum cupidiorem in ipso prope rerum decernendarum apparatu mors non intempestiva abstulisset. Mitior indole consiliisque *Leo X.* in locum ejus ann. 1413. suffectus inchoatum jam Concilium continuabat, editis non multis præsentem in rem decretis, verum ad desideratam optimo cuique disciplinæ reformationem minime suffecturis.

Schol. I. Acta et decreta hujus Concilii nomine edita, Romæ primum *ann.* 1520. typis excusa sunt hoc titulo: *S. Lateranense Concilium novissimum sub Julio II. et Leone X. celebratum.* Exstant adcuratius apud Harduin. *tom.* 9. *pag.* 1573. cui adde Edm. Richer et Natalem Alexandrum *cit. dissert. art.* 4. *seqq.* Legitimum esse hoc Concilium fatentur omnes. Œcumenicum plerique negant. Bellarminus et Duvallius fluctuant. Decreta quidem certe in hac synodo edita, quæ feruntur in libro septimo decretalium, Leonis sunt, non Concilii decreta.

Schol. II. In hoc Concilio pragmatica Gallorum sanctio per Concordata intercidit. Dum de illa revocanda ageretur, constitutionem promulgavit Leo Pontifex, in qua, posteaquam omnia, quæ in Concilio ab Eugenio dissoluto acta sunt, nulla esse atque irrita declarasse, hæc subdit: *Quum præsertim solum Romanum Pontificem, tamquam auctoritatem supra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus et potestatem habere nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, et aliorum Romanorum pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed ex pro-*

Digitized by Google

pria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet. Insignem in hoc decreto vim posuit Auctor vindicati *Anti-Febronii*, ut ostenderet nihil inesse momenti decretis Conciliorum Constantiensis ac Basileensis, quæ de Conciliorum supremæ auctoritate sunt edita; miraturque vehementer Ant. Vaira *de Œcumen. Papæ potest. cap.* 10. *pag.* 169. Maimburgum, qui post tam perspicuam Concilii definitionem ausus est controversum S. Augustini locum ita interpretari, ut favere S. Doctor videatur Gallorum sententiæ, quam is eleganter, si placet superis, *furoris* et *erroris* scelus appellare dignatus est. Sed criticæ sacræ notitia pertenui cultus alias Scriptor Vaira fuit, ut ex toto scripto satis elucet. Ea causa fuit, ut non animadverteret, quam sint infida traditionis monumenta, quibus eam, quam adfirmavit hoc decreto, Pontificiæ sedis auctoritatem fulciri bona fide opinabatur Leo Pontifex. Conf. Auctor. *tract. de potest. Eccles. et temporali pag.* 145. *Venet.*

§. CXVI.

Exspectationi Germanorum non satis fecit.

Dum de indicenda Synodo spem fecisset *Julius P.*, *Bertholdus*, qui tum Ecclesiæ Moguntinæ præfuit, abusus, quos notaverat, in chartam conjecit, Concilii futuri auctoritate emendandos. Satis ex iis apparet, quam exigua Concordatorum in Romana curia ratio habita fuerit (1). Ægre, ut erat, eam injurium ferebant Germaniæ Principes, reque studiose deliberata ann. 1510. auctores Imperatori fuerunt, ut ad exemplum Gallorum sanctionem quamdam pragmaticam pro Germania conficiendam curaret; rati, hoc modo arceri posse vulnera, quæ Ecclesiarum Germanicarum libertati idemtidem infligeren-

(1) *Vid. Conc. Nat. Germ. tom.* 3. *pag.* 190.

Digitized by Google

tur (1). Ab eo consilio adeo *Maximilianus* non abhorrebat, ut etiam valde probaret. Sed metus novi in Ecclesia schismatis mitiora persuasit. Accedebat spes abolendorum gravaminum in Concilio Lateranensi ostentata. Verum illa quidem adeo vana fuit, ut Synodo vix dissoluta in comitiis Augustanis ann. 1517. non sine magna bonorum omnium offensione decem gravamina etiam typis vulgarentur. *Ex his omnibus apparet*, verba sunt *Clar. Endres*, *nequaquam postea difficile fuisse Lutheroo, et aliis Germanorum animis jam alias exacerbatis tantos addere stimulos, ut deserta religione antiqua nova placita amplecterentur, quibus non tantum universa Germania, sed et ipsius Ecclesiæ faciès misere fuit dilacerata, et ad hodiernum usque diem misere ingemiscit.*

Schol. *Cit. dissert.* §. 17. *pag.* 53. Adde Concord. Nationis German. integra *tom.* 3. *pag.* 216. *seq.*

§. CXVII.

Concilium Tridentinum.

In hæc enim tempora incidunt motus intestini Germaniæ, usurpatæ à *Luthero* reformationis causa excitati, qui opinione citius magnam florentissimi regni partem occupaverant. Jam *Clemens VII.* cum *Carolo V.* Imperatore aliisque catholicis Principibus agitare cœpit consilia de celebrando generali Concilio, quod unum tantis malis tollendis idoneum remedium, post damnatos à *Leone* errores *Lutheri*, reliquum esse ipse significabat Pontifex in litteris ad Henricum Angliæ Regem (2). Clemente anno proximo è vivis sublato, *Paulus III.* in ejus locum suffectus, curam quoque illius de convocanda Synodo suscepit, indixitque primum quidem *Mantuæ*, post

(1) *Concord. loc. cit. pag.* 195.
(2) *Ap. Raynald. ad ann.* 1533. *n.* 3.

Digitized by Google

Vicentiæ habendum; novis demum objectis impedimentis sæpius prorogatum, tandem *Tridentum* optatam Germanis urbem, ceterisque Nationibus peropportunam transiit XI. Kal. Jun. ann. 1542. (1). Initium factum est sub *Paulo III.* die 13. Decemb. ann. 1545. Celebratæ sub eodem sessiones undecim: octo quidem *Tridenti*, reliquæ *Bononiæ*, quo contagionis metu anno 1547. Concilium translatum est. Quæ res quoniàm nec Cæsari placeret, nec Hispanis, Oratoresque *Caroli V.* adversus Bononiensem, ut ajebant, conventum *protestarentur*, suspensum est, evocatis Romam Patribus tam Tridentinis, quam Bononiensibus. Contigit hoc ann. 1549. quo anno diem suum obiit *Paulus III.* successorem nactus *Julium III.* Is novo diplomate VIII. Kal. Maii anno 1550. Synodum reduxit Tridentum (2), inchoatumque iterum ipsis Kal. Maii anni sequentis usque ad sessionem decimam sextam produxit, in qua suspensio Concilii decreta die 28. Aprili ann. 1552. in annos duos, toto decennio perduravit. Tandem *Pius IV.* edito diplomate ann. 1560. restitutum aperuit ann. 1562. sub quo novem reliquæ sessiones habitæ sunt. Quæ adversus Protestantes declarata dogmata, quæ item circa morum ac disciplinæ reformationem edita sint decreta, recensere nihil est necesse. Omnium enim in manibus versatur Synodus, à qua cuique pronum est illa, si volet, perspicere.

Scholl. Editio Synodi Tridentinæ illa, quam Paulus Manutius curavit Romæ *ann.* 1564. in fol., authentica habetur. Ceterum differt illa tamen in quibusdam ab editionibus *Lovaniana* et *Chiffletiana*, in pluribus vero à scriptis, qui supersunt, Codicibus. De actis et scriptis ad hoc Concilium pertinentibus vid. Salmon. *de stud. Concil. part.* 2. *cap.* 3. *in fine.* et Walch. *Sæc. XVI.* §. 10. *pag.* 884. *seqq.*

(1) *Raynald. ad ann. cit. n.* 13.
(2) *Raynald. ad hunc ann. n.* 21.

Digitized by Google

§. CXVIII.

Ejus auctoritas.

Œcumenicam Tridentinæ Synodi auctoritatem adversus ea, quæ à Protestantibus objecta sunt, tuiti sunt egregie *Natalis Alexander* (1), et post hunc *Gasp. Barthel.* Atque dogmata quidem fidei in illo lucidius exposita catholicorum nemo est, qui non toto animo amplectatur. Sed decretorum de reformatione non eadem ubique fata fuerunt. Etsi enim *Pius IV.* edita in eam rem peculiari constitutione (2) omnibus Ecclesiarum Prælatis impense commendasset, darent operam, ut decreta Patrum et statuta diligenter observentur, et in altera ejusdem anni Bulla declarasset: *Decreta omnia Concilii Tridentini ad reformationem jusque positivum dumtaxat spectantia à Kalendis Maii proxime præteriti anni omnes obligare cœpisse: neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam*; non tamen ubique tam obsequentes huic mandato reperit, quam quidem Veneti fuerunt (3) et Poloni, qui decreta Concilii suas et Ecclesiæ, et Regni leges fecerunt, ut est in vita *Card. Commendonis* (4). Galliarum Reges, etsi clerus sæpiuscule urgeret, induci nondum poterant, ut promulgari ea sinerent. Hispania diu restitit: cessit tandem precibus, et adjectis aliis detractisque in usum ire passa est (5). Lusitania circumventa fraude non adversabatur. In Germania Prælati Principesque Catholici receperunt illa quidem, sed salvis Provinciarum et Imperii Germanici juribus, salvisque concordatis (6). Nec alia

(1) *Sæc. XVI. dissert.* 12. *art.* 16.
(2) *Bulla* Benedictus Deus, *dict. die* 26. *Jun. ann.* 1564.
(3) *Raynald. ad ann.* 1564. *n.* 50.
(4) *Lib.* 2. *cap.* 11.
(5) *Espen dissert. in jus noviss.* §. 6.
(6) *Horix tract. de font. jur. can. Germ.* §. 42. *seq.*

Digitized by Google

horum in Hungaria fuisse fata certissimum existimo.

Schol. Conf. Reverendissimi ac doctissimi viri Adam. Kerchelighii *cor. 2. ad Synod.* | *Diœcesan. Eccles. Zagrab. ann.* 1574. *edita Zagrab. ann.* 1771.

§. CXIX.

Pax Religiosa.

Dum hæc Tridenti aguntur, in Germania interim varia cum Protestantibus fortuna certatum est. Post victoriam prope Mülburgum ad Albim ann. 1547. actum videbatur de rebus Protestantium, et triumphare causa Catholicorum. Sed intercepit spem *Mauritius Saxo*, cujus adhuc virtute Cæsar in debellando fœderatorum exercitu maxime usus est. Hic enim mutato præter exspectationem consilio, coactoque valido exercitu tanta celeritate rem agebat, ut incautum nihilque tale exspectantem *Carolum* ann. 1552. ad Œnipontum prope opprimeret, quæ inopinata procella adeo commovit Imperatorem, ut jam quibusvis conditionibus pacem mallet, quam bellum, nec ita multo post Passavii non tantum securitatem Protestantibus concederet, verum etiam comitia intra sextum mensem promitteret, in quibus diuturna hæc de religione dissensio funditus tolleretur. Comitia tamen in Passaviensi transactione promissa, ante ann. 1555. propter turbas in Germania natas haberi non potuerunt. Hoc autem anno Augustæ Vindelicorum, præsente *Ferdinando* fratre Cæsaris cui id commendatum negotium est, memorabilis ille conventus celebratus est: qui Germaniæ post tot tamque graves ærumnas et clades *pacem religiosam* peperit, in diversis deinde Imperii comitiis pluribus capitulationibus Cæsaris diserte confirmatam.

Schol. Conf. Franc. Ignat. Widekind *Synops. Histor. Pacif. religios. concern.* in Schmidtii *Thesaur. jur.*

Digitized by Google

Eccles. tom. 1. *pag.* 397. Jo. David. Koehleri *diss. de prima pace religiosa Norimbergensi Altorf. ann.* 1732. Jo. Strauch. *diss. de transact. Passavii.* Lechmam *acta publica et originalia de pace religiosa* de quibus Moser *in Bibl. jur. publ. pag.* 160. *seqq.*

§. CXX.

Pax Westphalica.

Compositis in hunc modum de religione dissidiis, omnis funestæ contentionis materia de medio sublata videbatur. Verum apparuit illico, armis quidem, non etiam animorum dissensioni impositum finem. Alia ex aliis utrinque jacta gravamina jam ne modum quidem tenuerunt (1). Ex his mutuis partium inter se querelis orta primum diffidentia unioni civili numquam non inimica: inde *unio Protestantium* Halæ Suevorum ann. 1610. duce *Friderico V.* Electore Palatino inita, et huic opposita Herbipoli auspiciis *Maximiliani* Bavari *liga sacra.* Postremo ferale bellum, quod ann. 1618. occasione motuum Bohemicorum cœptum, annis triginta immanem per universam Germaniam vastitatem circumferebat præcipue, ex quo *Gustavus Adolphus* Suecorum Rex fœdere Gallorum illectus, in eas regiones ingressus est. Tandem civilibus fessi discordiis, imperante *Ferdinando III.* pacem omnes deposcêre. Convocata ob eam causam Ratisbonæ ann. 1641. comitia, in quibus seria de ineunda illa cum statibus consilia Cæsar iniit. Conventum est haud ægre de loco tractandæ concordiæ, *Monasterio* et *Osnubruga*: ubi post anxiam quinquennii disceptationem ann. 1628. duplex *pacis instrumentum* signatum est, *Monasteriense* scilicet alterum cum Gallo, alterum cum Suecis *Osnabrugense*, quod utrumque communi *pacis Westphalicæ* nomine à scriptoribus laudari solet.

(1) *Widchind cit. diss. pag.* 460. *seqq.*

Digitized by Google

Schol. Acta et historiam hujus pacificationis multi exposuerunt. Præcipue habentur Tob. Pfannerus *in Hist. pacis Germano-Gallo-Suecicæ.* Adam Adami *in Relat. Histor. de pacis Osnabrugo-Monaster.* Christ. Forstner *in epist. negot. pacis Osnab-monast. concern.* alii, de quibus Hoffmann. *in bibl. jur. publ. pag.* 274. 427. et *Moser de Germania summatim pag.* 385. *seqq.*

§. CXXI.

Capita pacis Religiosæ.

Pacis religiosæ capita hæc sunt, præcipua (1). Omnibus Germaniæ civibus concessa libertas est, utrum è duabus religionem sequi malint: ne pars altera alteram contumeliis proscindat, necve alia, quam amica controversiæ de religione natæ compositio locum habeat, severe cautum est, §. 15. 2. Hæc exercendæ Religionis facultas catholicis dumtaxat et A. C. addictis conceditur, exclusis omnibus alterius communionis hominibus. §. 17. 3. Quod si quis forte Archiepiscopus, Episcopus, aut alia è clero persona, abjecta Majorum suorum religione, Augustanæ se confessioni addiceret, id ei quidem liceret integra existimatione; beneficio tamen, si quod ab Ecclesia obtineret, dignitateque excideret, §. 18. 4. Jurisdictio Ecclesia Pontificis atque Episcoporum in cives A. C. adhærentes usque ad compositionem dissidii suspensa est, §. 20. 5. Bona Ecclesiastica à Protestantibus usque ad tempus initæ pacis occupata, eis relicta sunt §. 19. 21. 22. 6. Ne status alter alterius subditos vi arteve ad suam capessendam religionem pelliciat, necve contra proprium Magistratum defendat, sancitum est. §. 23. 24. 7. Subditis diversæ à Domino religionis facultas emigrandi concessa est. §. 24. Salutis denique 8. publicæ hostes indicati, qui religionis nomine bellum aut injuriam aliis inferre auderent.

Digitized by Google

Schol. Aliquando uberius ea percensuit Wedek ind *cit. diss. pag.* 424. *et* 438. in Schmidtii *Thesaur. jur. Eccles.* Protestantes cumprimis diu concoquere non poterant Reservatum Ecclesiasticum pacificationi religiosæ insertum §. 18. Negabant se huic articulo consensum præbuisse, neque cum jure à Ferdinando ceteris adjici potuisse, ut qui non tamquam arbiter controversiæ, sed ex paciscentibus unus fuisse. Non vacat hæc Protestantium momenta diligentius expendere. Hoc moneo, æquiores ex ipsis viros haud multum ex his rationibus detulisse. Vid. Struve *in corp. jur. publ. cap.* 6. §. 58. Borner *in Illustratione Germanicæ Nationis Status* 1. *Th. pag.* 60. *seq.* Conf. Ant. Schmidt. *Inst. jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 100. *et in Thes. jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 492. *seq.*

§. CXXII.

Capita Pacis Westphalica.

Pacis Westphalicæ leges causam Religionis concernentes propemodo omnes *Art. V.* instrumenti Osnabrugensis comprehenduntur. In eo 1. Liberum Protestantibus religionis suæ exercitium concessum est. 2. Bona Ecclesiastica iis relicta, qui ea possedissent die 1. Januarii ann. 1624. qui inde *annus decretorius* dictus est. 3. Reservatum Ecclesiasticum ad Protestantes extensum 4. Jura Pontificis ratione annatarum, pallii, confirmationum, mensium papalium in A. C. capitulis suspensa. 5. Jus patronus, visitationis Ecclesiasticæ, *cetera* juxta annum decretorium confirmatum. 6. Subditis jus emigrandi certis limitibus circumscriptum, concessum. 7. Principibus tributum jus reformandi exercitium religionis, quod jus ad nobiles etiam ac civitates immediatas extensum est. 8. Jus diœcesanum et jurisdictio Episcopalis in terris Protestantium suspensa. 9. Modestia in concionando, disputando, scribendo, contra dissentientes in

Digitized by Google

religione præcepta. His tum atque aliis pluribus legibus pax coaluit, quæ in proximis comitiis recepta, et in omnibus inde à *Leopoldo* Cæsare capitulationibus confirmata est tamquam lex Imperii fundamentalis, et perpetua in judiciis norma inviolabiliter observanda, donec extincto dissidio religionis, in unam eandemque sacrorum communionem gens florentissima coaluerit.

§. CXXIII.

Licitene inita?

Et vero in tanto tamque præsenti Ecclesiæ non minus quam Imperii discrimine, inquit apposite *Ill. de Riegger*, nihil ad salutem utriusque magis necessarium, nihil utilius pace fuit: cujus proinde honestatem validitatemque ipsa per se non aliter vitanda necessitas satis tuetur, quum præsertim nihil ei insit, quod sit à divino jure alienum. Admissum religionis publicum ac liberum exercitium, quod admitti necessitas coegit: cessa bona Ecclesiarum, sed iis, qui restituturi non erant: suspensa Episcoporum jurisdictio, sed in eos, qui eam dudum excusserant. Ecquid autem, amabo te, seu Principis officio, seu prudentis Ecclesiarum Patroni consentaneum magis fuit, quam in omnium rerum amittendarum imminente periculo id ferre pacis securitatisque causa, quod præpedire in potestate armis hostium prævalentibus non fuit? Non disputo de vi atque efficacia protestationis, quam Romana Curia adversus pacificationem tam religiosam quam Osnabrugensem interposuit: valeat illa ad conservanda Apostolicæ sedis jura; id certum est, nihil in ea inesse momenti ad earum in Germania infringendam auctoritatem.

Schol. Conf. Ant. Schmidt. *Instit. jur. Eccles. tom.* 1. §. 90. *seq.* Franc. Ignat. Wedekind. *in* Schmidtii *Thesaur. jur. Eccles. tom.* 1. *pag.* 481. Illust. de Ickstadt

Digitized by Google

dissert. de justa et efficaci summi Pontificis protestatione adversus pacem religios. et Westphal. tom. 2. opusc. 6. Barthel. *opusc. 1. Histor. gener. pacific. 26. et dissert. de eo, quod justum est circa libertatem in negotio religionis.* Struben *Horæ Subcessivæ, part. 2. tract. 7.* Ant. Schimidt. *vindiciæ pro sententia L. B.* de Ickstadt. *in Thes. jur. Eccles. tom. 1. pag. 511.* Straus. *in dissert. de possessore catholico non obligato ad bona sæcularisata pristinis usibus Ecclesiasticis restituenda. Mogunt. 1740. et huic apposita discussio: an bona Ecclesiastica per P. W. Protestantibus cessa restitui debeant Ecclesiis, postquam ad manus catholicas fuerint reversa. Anno 1758. Subsidia interpretandæ utriusque pacis exponit* Baniza *in disssert. de subsidiis interpretationis doctrinalis utriusque pacis religiosæ et Westphalicæ.* Extat *in Thes. jur. Eccles. tom. 1. p. 494.*

§. CXXIV.

Declarationes Cardinalium.

Quum Synodus Tridentina *sessione vigesima quinta*, quæ est, de observandis ac recipiendis Concilii decretis, si qua in eorumdem receptione difficultas emergeret, eam ad summæ sedis arbitrium referendam declarasset; *Pius IV.* in Bulla confirmationis omnem penitus Concilii interpretationem aliis vetitam, uni sibi reservatam voluit. Ea causa non ita multo post congregationem instituit Cardinalium, quibus retenta sibi potestate interpretandi omnem, quæ ad executionem et observantiam Concilii promovendam pertineret, curam commendavit. At *Sixtus V.* quo expeditior esset congregationis in exsequendo auctoritas, interpretandi quoque ac declarandi facultatem addidit, ea tamen lege, ut in decretis disciplinæ tantum versaretur, nec inconsulto Pontifice ullæ declaratio-

Digitized by Google

nes ederentur (1). Adjecit huic aliam *Gregorius XIII.* legem, qua cautum est, repudiandas esse cunctas congregationis ejusdem declarationes, quæ verborum proprietatem prætergrediuntur, atque dispensationis imaginem præseferunt. Postrema est congregationis ipsius speciali jussu *Urbani VIII.* ann. 1661. sancita, ut declarationes tum demum tam in *judicio*, quam *extra illud* plena gaudere fide censeantur: *Si in authentica forma solito sigilo, et subscriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint.*

§. CXXV.

Quam vim habeant?

Quæ his legibus adversæ sunt Cardinalium istorum declarationes, eas evidens est vi omni ac robore destitui. Nec tamen quæ consentaneæ illis sunt, ob id continuo in numerum legum communium recipiendæ sunt. Etenim duplici primum in genere sunt declarationes. Aliæ ad controversias singulares definiendas eduntur, determinataque facti cujusdam adjuncta spectant; et has, etsi jus faciant inter partes litigantes, vim legis universalis non obtinere, inter omnes satis convenit. Aliæ generales sunt, nec ad locum certum personamve restrictæ, cujusmodi sunt, quas generatim consulta edit congregatio. Atque hujusmodi quæ sunt, plerique è nostris seu totidem ipsius summæ sedis leges, vim habere universim obligantem pro explorato tenent. Mihi, fateor, parum considerate hæc dicta videntur. Quid si enim declaratio tametsi generalis, rerum personarum, locorumque adjunctis particularibus extorta sit? Quid si adversa juribus ac moribus nostris? Quid si, quod contigisse interdum exempla produnt, declarationes secum ipsis pugnan-

(1) *Conf. Immensa d. die XI. Kal. Febr. ann.* 1587.

Digitized by Google

tes producantur? Quid si demum consueto more promulgatæ, usuve aut consuetudine receptæ non sint? Aut apertam Tridentini decreti sententiam captiosa verborum interpretatione in alium eumque è mente Patrum prorsus alienum sensum detorqueant? An nihil his momenti inest, ut de usu declarationum auctoritateque recte ac prudenter statuas? Addo illud quod apposite monuit *Benedictus XIV.* (1).: *Ejusdem congregationis sententias temere in medium proferri ab illis, qui nusquam ipsas viderint, eosque plerumque decipi.* Quod ipsum etiam illico *Manacelli*, *Schmalzgruberi* exemplis illustrat, quos in argumento de irregularitate congregationis decisione imprudenter abusos fuisse, erudite, ut solet, ostendit.

SCHOL. Vid. Espen *in jur. Eccles. univers. part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 5. Gibert. *in corp. jur. can. proleg. part.* 1. *tit.* 23. Ruprecht *in not. Hist. crit. part.* 1. *pag.* 310. *seqq.*

§. CXXVI.

De ceteris Curiæ Romanæ legibus.

Sunt præter hanc aliæ complures à diversis Pontificibus institutæ Cardinalium congregationes, ea singulæ facultate instructæ, ut possint de negotiis sibi commissis pro auctoritate decernere. Et sunt scholasticorum quidam adeo in Curiam Romanam faciles, ut non harum modo decreta omnia, verum Rotæ etiam Romanæ decisiones orbi universo pro legibus conentur obtrudere. Nobis nefas esto libertatem Patriæ tam levi pretio prodigere. Conf. *Espen loc cit.*

(1) *Inst. Eccles.* 101. *n.* 19.

Digitized by Google

§. CXXVII.

Regulæ Cancellariæ.

Sed præ ceteris hoc loco commemorandæ videntur *Regulæ Cancellariæ Romanæ*, de quibus ætate nostra tam acriter disceptatum est. Negotia hujus Cancellariæ solus in principio videtur usus rexisse ipsi prudentia ejus, qui his expediendis præfuit, donec *Joannes P. XXII.* circumscripta certis regulis justitiæ administratione, *Abbreviatores* in formanda pro varietate supplicationum expeditione ad certam ac scriptam normam adstrinxisset. Ex his regulis, quas judicavit scopo magis utiles, selegit *Nicolaus V.*, pluresque aliis ad formandum judicii ejus ordinem idoneas adjecit ann. 1449. *Innocentius VIII.* ann. 1484. *sexaginta* et *novem* addidit, duas de beneficiis et dignitatibus. His *unam* adjunxit in novem partes divisam *Julius II.* ann. 1503. *quinque Paulus III.* ann. 1534. Earum nonnullas emendavit *Paulus V.* Ita factis tot mutationibus numerus earum intra *septuaginta* et *duas* constitit. Si de auctoritate quæras, ea varia est. Extra curiam Romanam *ex se* vim obligandi nullam habent. In ipsa verò curia, vacante sede nulla earum efficacia est, donec à successore confirmentur, ut illas non ineleganter *Franciscus Florens* cum edicto prætoris Romani comparaverit.

Schol. Vid. Espen *in diss. ad jus novissimum §. 5.* et cum primis *Historiam Regularum Cancellariæ Romanæ*, quæ exstat apud Lebret *Promptuarii tom. 2. pag. 605. et tom. 3. pag. 1. seqq.*

Digitized by Google

§. CXXVIII.

Bullarium Magnum.

Præcipuam vero novissimi juris partem conficiunt *Bullæ Romanorum Pontificum*, seu Constitutiones et epistolæ eorumdem, seu *Brevia*, quæ post eas, de quibus superiori sectione expositum est, decretalium collectiones, prodierunt quamplurimæ. Cœperunt eas nonnulli exemplo veterum in codices colligere. In his est *Lacrtius Cherubinus* Jurisconsultus Romanus, qui ex omnibus, quas reperire potuit, Pontificum epistolis à *Leone I.* usque ad *Sixtum V.* ad temporum ordinem digestis volumen justum confecit, inscriptoque Bullarii titulo ejusdem *Sixti* auspiciis in lucem protulit ann. 1586. Ipsa editio secundis ejus viri curis auctior recusa est, et *Paulo V.* oblata. Tertiæ subin editioni incumbens, dum postrema *Pauli* et cum his *Gregorii XV.* atque *Urbani VIII.* diplomata colligeret, occupatus morte incœptum opus filio *Angelo Mariæ Cherubino* Cassinensis Cœnobii sodali augendum perficiendumque reliquit, excussum postea Romanis typis ann. 1633. tomis quatuor. Accessit *quintus* opera *Angeli à Lantusca* et *Joannis Pauli à Roma* Ordin. Min. S. Francisci.

Schol. Vid. Doujat. *lib.* 4. *cap.* 25. Espen *cit. diss.* §. 1. Reliqua libri hujus fata editionesque percenset Buder *in Bibl. jur. select. cap.* 15. §. 10. Huic adde Bullarium Clementis XI. et alterum Benedicti XIV. in quatuor tomos distinctum.

§. CXXIX.

Ejus auctoritas.

De auctoritate Constitutionum, quæ his volumini-

Digitized by Google

bus continentur, parum convenit. Ego ita statuo: privatorum hominum opera nulla iis auctoritatem potuisse attribui majorem illa, quam ex se habituræ essent, etsi in hanc collectionem illatæ non fuissent. Sed nec collectio ipsa *authenticam* eis *fidem* conciliare potest quæ omnium prudentum consensum necessaria habetur, ut pro lege in judiciis constitutio quæpiam recipi possit. Etsi enim ego facilius admiserim Bullam ex hac collectione productam, quam aliam sola Theologi alicujus aut Jurisconsulti fide nixam, quos constat persæpe nimis esse faciles in admittendis probandisque Pontificiis documentis causæ faventibus; non admiserim tamen tamquam certissimam indubitatæque fidei: quandoquidem nemo ignorat, ipsam hanc, licet spectante Roma, confectam collectionem apocryphis diplomatibus non carere. Ut de posterioribus voluminibus nihil dicam, quorum numerum Bibliopolarum habendi aviditas immensum auxit pergetque augere, dum fuerint, qui emendo impensas conferant. Paucis dicam, *omnia expendenda sunt circa bullas in illas collectiones relatas, quæ expendi deberent, si extra has collectiones vagarentur, præsertim si in judicio earum auctoritas proferatur super re magni momenti, aut prætendatur juri communi per bullam esse derogatum, aut novi aliquid statutum. Espen cit. diss. §. 3. et 4.*

§. CXXX.

Collectio Sixti V.

Circa tempus, quo primam Bullarii editionem factam diximus (§. CXXVIII.) novam decretalium collectionem sub nomine septimi libri promulgandam meditatus ferturi *Sixtus V.*, quem in finem novem delectos viros consilii istius futuros executores numerat *Doujatius* (1).

(1) *Lib. 4. cap. 26. §. 1.*

Digitized by Google

Sed mors statim in principio conatus *Sixti* intercepit. *Urbanus VII.* proximus in Pontificatu successor tres ex constitutis à *Sixto* ad opus perficiendum Rotæ Auditores cardinalitia ornatos dignitate elegit, iisdemque, ut inchoatum laborem absolverent, in mandatis dedit. Atque illi quidem eo defuncti sunt ann. 1593. At dum deliberant, Conciliine Tridentini decreta inserenda essent, *Urbanus* quoque moritur. Sub *Clemente VIII.* jam prælo commissum opus eamdem ob causam suppressum ferunt.

§. CXXXI.

Collectio Petri Matthæi.

Inde *Petrus Matthæi* Jurisconsultus Lugdunensis collectionem edidit *Cajetano* Cardinali dicatam ann. 1590. qua decreta Pontificum inde à *Gregorio IX.* usque ad *Sixtum V.* complexus est. Accessit illa subinde *libri septimi* nomine corpori juris canonici ann. 1661. Constat libris quinque; libri singuli titulis etiam novis quibusdam, nec eodem ordine dispositis, quem superiores Collectores tenuerunt. Opus est privatum, in quo quum desint multa utilia, tum vero insunt alia nec necessaria, nec magni momenti. *Doujat. loc. cit.* §. 2. *seqq.*

§. CXXXII.

Acta Conciliorum et Decreta.

Non decretalibus tantum, sed et actis Conciliorum decretisque colligendis, qui novissimis his temporibus operam impenderent tam laboriosam, quam utilem, multi exstiterunt. Atque alii quidem omnia ubivis gentium celebrata Concilia ad suam curam revocabant. In hac classe sunt.

1. Jacobus Merlinus Theologus Parisinus, cujus ope-

Digitized by Google

ta prima prodiit Actorum ad Concilia pertinentium Collectio duobus tomis *Paris. ann.* 1523. *et* 24. repetita deinde *Colon. ann.* 1530. *et Paris. ann.* 1535. Vitia ejus notavit Salmon *in tract. de studio Concil. part.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. *et cap.* 6. *art.* 1.

2. Merlinum proxime sequutus est Petrus Crabbe, Mechliniensis ex Ord. S. Francisci. Edidit is collectionem *Colon. ann.* 1538. duobus tomis, et iterum *Colon. ann.* 1551. tribus tomis in fol. Vid. Salmon *cit. tract. cap.* 2. *art.* 1. §. 2. *et cap.* 6. *art.* 2. *et* 3.

3. Franciscus Joverius fuit origine Valentinus, Theologicæ facultatis Parisinæ Doctor. Huic tertium inter Collectores locum dederunt Labbeus et Salmonius, quamquam Sirmondus, Baluzius, aliique plures eum omnino sileant. Edidit *Paris. ann.* 1555. *sanctiones Ecclesiasticas, tam Synodicas quam Pontificias in tres classes distinctas.* Vid. Salmon *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 3. *et cap.* 6. *art.* 4.

4. Post hunc Laurentius Surius Carthusianus quatuor edidit Conciliorum volumina *Colon. ann.* 1567. Philippo Hispaniarum Regi dicata. Est hæc editio ceteris et auctior, et fidelior, nec tamen nævis caret. Vid. Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 4. *et cap.* 6. *art.* 5.

5. Surianam editionem excepit Veneta typis Dominici Nicolini, qui virorum præstantissimorum opera, cum primis Dominici Bollani usus eam perfecit *ann.* 1585. Est in tomos quinque distributa, quibusdam et actis Conciliorum, et adjectis notis observationibusque auctior. Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 5. *et cap.* 6. *art.* 6.

6. Successit Romana Conciliorum collectio Pauli V. auspiciis; opera vero præcipue Jacobi Sirmondi quatuor distincta voluminibus, et *Romæ* edita *ann.* 1608. 12. Continet generalia dumtaxat Concilia Græce et Latine. *Magnopere laudanda est editorum diligentia*, inquit Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 7. *Qui fere semper conjecturas suas ad marginem apposuerunt, textu religiose*

Digitized by Google

servato, finem ipsi primi obtulerunt... Sed illi pariter in ea vitia omnia aliquando incurrunt, quæ P. Labbeo *quidam Critici objiciunt; siquidem invexerunt in textum lectiones, quas* Surius *in margine collocarat: plura arbitrio suo loca emendarunt: immutarunt fere ubique ordinem et textum latinarum priscarum interpretationum, et peculiares expunxerunt observationes eorum, qui earumdem erant auctores.* Card. Bellarmino *vertitur culpæ, quod Concilium Basileense ejusque acta ab hac editione tamquam falsa expuncta fuerint. Nullum hic sane locum habent, quæcumque supremo Pontifici minus favent. Videntur enim editores peculiari quodam studio S. Sedis privilegia tueri.*

7. Nunc ad Binii Collectiones venio, quarum prima *Colon. ann.* 1606. publici juris facta, Paulo V. dicata est. Constat voluminibus quatuor, tertio in duas partes diviso. Complectitur Concilia tam generalia, quam particularia, adjectis ubique notis in fine cujusque Concilii ex Baronii fere annalibus decerptis. Altera ab eodem confecta prodiit *ann.* 1618. repetita *Paris. ann.* 1636. Binio objecit Usserius, emendasse illum seu corrupisse potius plura veterum Conciliorum loca, nulla manuscriptorum habita ratione. Vid. etiam Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 8. 9. *cap.* 6. *art.* 8. *et* 9.

8. Verum præstat omnibus superioribus, et nitore typi atque elegantia, et voluminum numero *Regia*, quæ *Paris. ann.* 1644. vulgata est, in tomos triginta et septem diffusa. Licet autem summo exornata apparatu, probare se tamen ne ipsis quidem Gallis potuit. Causam dabit Salmon *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 10. *et cap.* 6. *art.* 10.

9. Quam ob rem ea vix distracta est, quum ad emendandam illam auctioremque prælo subjiciendam animum adjecit Philippus Labbeus, vir prope supra vires hominis laboriosus. Neque vero imparatus ad hoc opus accessit Labbeus: dudum enim ante jam collegerat, quæ idonea existimavit ad ornandum hunc eruditionis sacræ thesau-

Digitized by Google

rum. Sed interruptum morte opus Gabrieli Cossartio perficiendun obtingit. Atque perfecit is quidem, edidit-que voluminibus septemdecim *Paris. ann.* 1672. vid. Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 11. *et cap.* 6. *art.* 11.

10. Satis constat ingenti cum applausu pulcherrimam hanc, etsi non omnino nævis vacuam editionem ab eruditis exceptam fuisse. Nec videbatur deesse quidquam, quod ad eam ornandam pertineret, veterum monumentorum. Steph. Baluzius tamen vir Leibnitii judicio unus huic par labori, quinque supplementorum volumina collegit, quorum primum dumtaxat lucem vidit publicam *Paris. ann.* 1683. Salmon. *loc. cit. cap.* 2. *art.* 1. §. 12. *et cap.* 6. *art.* 12.

11. Successit tandem collectio regia Conciliorum post Labbei et Cossartii labores haud modica accessione auctior studio P. Joannis Harduini tomis duodecim *Paris. ann.* 1715. Verum illico suppressa. De illa sic judicabat Leibnitius in epistola ad Burch. Struvium eodem anno Hannoveræ scripta: *Conciliorum collectio, quam* Joannes Harduinus *curavit, absoluta est. Sunt, ni fallor, duodecim volumina. Nam pauca inseruntur, quæ in priore illa Labbeana omissa sunt, quæ ad Concilia proprie non spectabant. Sed quum constitutio* Unigenitus, *aliaque displicentia in fine operis adjecta sint, Parisiensis Archiepiscopus effecit, ut distractio prohiberetur, donec hoc, quidquid esset, emendatum.* Et in alia anno proximo exarata, *Editio*, inquit, *Conciliorum Harduina, si non plane supprimetur, certe multis modis reformabitur: dederat enim unice operam, ut placerent Romæ, quas fecisset fabulas, nulla non Gallicanæ tantum, sed et universalis Ecclesiæ libertatum, sententiarum cura. Editio Conciliorum non* Harduino, *aut alteri Jesuitæ Gallo (neque enim hodie* Sirmondos *habent), sed* Baluzio *committenda erat.* Idem omnino vitium in Harduino arguit Salmon. *loc. cit.* §. 13. Videtur scilicet viri ejus consilium hoc præcipuum fuisse, ut emineret decreta-

Digitized by Google

lium Isidorianarum auctoritas: *Licet enim ad marginem notaverit, eas à sapientibus viris suppositititias haberi, in suo tamen indice multa disseminat unice deducta ex decretalibus, aliisque ejusdem generis scriptis, quæ tamquam nobilissima ac legitima summis laudibus effert.* Conf. Bower *in diss. de collect. Concil. præmissa tom.* 4. *Hist. Pontif.* §. 34.

12. Omnium autem præstantissima est Conciliorum collectio edita Venetiis curante Nicolao Colleti *ann.* 1728. *seqq.* tomis viginti et tribus. Buder *in Bibl. jur. select,* 15. *pag. m.* 481. *seqq.* Cujus dedit supplementum Dominicus Mansi eximiis instructum nondum alibi editis monumentis *Luc. ann.* 1748. *seqq.*

§. CXXIII.

Collectiones Conciliorum particulares.

Alii vero intra unum se regnum, provinciamve continebant. Inter hos est

1. Lucas Holstenius, cujus exstat quorumdam antiquorum Historiæ Ecclesiasticæ monumentorum collectio duabus constans partibus, edita *Romæ ann.* 1662. In ea præter epistolas plures Pontificum, multas quoque exhibuit Ecclesiæ Romanæ synodos sub Bonifacio II. Damaso, Bonifacio IV. Stephano IV. Eugenio II. Leone IV. et Hadriano celebratas. Salmon. *loc. cit. art.* 2. §. 1. Ad Italiam similiter pertinent *Acta Ecclesiæ Mediolanensis, et synodi* sub S. Carolo Borromæo habitæ: tum Vinc. Mar. Ursini *synodicon Beneventanensis Eccclesiæ. Benev. ann.* 1695.

2. Ad Ecclesiam Africanam refero Garnerii *diss. secund. de synodis in causa Pelagianorum habitis vivente* S. Augustino, adjectam operibus Marii Mercatoris *ann.* 1673. et Schelstrati Canonici Antwerpiensis *Ecclesiam Africanam sub Primate Carthaginensi ann.* 1679. in

Digitized by Google

quo opere Ecclesiæ hujus Concilia, regiminis formulam, ritus, ac successionem Episcoporum egregie illustravit. Vid. Salmon *cit. tract. cap.* 2. *art.* 2. §. 2.

3 Ecclesiæ Gallicanæ antiqua Concilia primus digessit Jacobus Sirmondus, ediditque *Paris. ann.* 1629. tomis tribus, quæ collectio emendatior exstat apud Labbeum. Accesserunt huic deinde Petri de Lalande Conciliorum antiquorum Galliæ supplementa *Paris. ann.* 1666. Novissima autem Galliæ Concilia post Tridentinum habita prodierunt studio Ludovici Odespum Presbyteri Turonensis *Paris. ann.* 1646. in quibus suppleri permulta possunt ex Martenii et Durandi *Thesaur. nov. anecd.* Vid. Salmon *loc. cit.* §. 3. Alii Provinciæ alicujus Concilia separatim collegerunt. Veluti Steph. Baluzius Concilia Galliæ Narbonensis *Paris. ann.* 1668. Franc. Pomerajus Concilia Rothomagensis Provinciæ primum cum notis Godinii *ann.* 1677. deinde Will. Bessin *Rothom. ann.* 1717. Joannes Maen Provinciæ Turonensis *ann.* 1697. Concilia Aquitanica Labbeus *in Biblioth. manusc. tom.* 2. *pag.* 764. Neque omittendi hoc loco sunt Hadr. Bebot *canones Ecclesiastici ad Ecclesiæ Gallicanæ usum collecti Paris. ann.* 1605 et Laur. Bochelli *Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ* libri octo *Paris. ann.* 1609. Vid. Salmon *loc. cit.* §. 3. *et art.* 3. *penes finem.*

4 Hispaniæ Concilia primus uno codice complexus est Gars. Loaisa *Matrit. ann.* 1593. quem etiam in Biniana Conciliorum collectione reperias. Aliam majori longe apparatu editionem curavit Josephus Saenz de Aguirre è familia Benedictinorum Monachus, deinde Cardinalis, cujus opera *notitia Conciliorum Hispaniæ atque novi orbis, Salmant. ann.* 1686. tum post *Collectio maxima Conciliorum Hispaniæ* prodiit *Rom. ann.* 1693. 95. Ultimus tomus in synodo Diœcesana Limensi in Peruvia *ann.* 1604. coacta desinit. Concilia aliquot Peruviana, et Diœcesana decem cum apparatu historico edi-

Digitized by Google

dit Franc. Heroldus *Rom. ann.* 1673. sub titulo: *Lima limata.* Constitutiones Tarraconenses Antonius Augustinus *Tarrac. ann.* 1580. Vid. Salmon. *loc. cit.* §. 4.

5 Concilia, Decreta, Leges, et Constitutiones Ecclesiæ Britannicæ inde ab initio Christianæ Religionis usque ad suam ætatem duobus voluminibus complexus est *Lond. ann.* 1639. Henr. Spelmannus in Labbeanam Collectionem postmodum relatis. Eas jam ante Guil. Lindvoot in certum veluti systema redegit, atque edendas curavit *Paris. ann.* 1509. Sed cum et hæc, et quæ posterior est *ann.* 1557. editio rarior esse cœpisset, Robertus Scharroch Doctor Anglus operis utilitate compulsus, id ipsum haud modica accessione auctum notisque illustratum edidit *Oxon. ann.* 1663. Vid. Salmon *loc. cit.* §. 5. Locupletissima vero est omnium, quam studio David Wilkins Anglia debet. Titulus hic est: *Concilia magnæ Britanniæ, et Hiberniæ. Londini* 1737. fol. m. tom. 4.

6 Germania Conciliorum suorum collectionem diu et anxie desideravit. Cœpit ea primum colligere Fridericus Scannat: Eo ipso in apparatu è vivis sublato, Josephus Harzheim sumptibus cels. Principis Joannis Mauritii Archiepiscopi Pragensis, ut excusa typis publici juris fierent, curavit. Priora quinque volumina illius opera prodierunt. Reliqua dedit Herman. Scholl. De hac collectione vid. *Bibliothecam universalem Germanicam* duodecimo volumine additam *pag.* 842. Adde Lunig. *Spicileg. Eccles. Cont.* 1. *et* 3. *Lips. ann.* 1721.

7 Paullo citius Hungariæ tam esse beatæ licuit. Gratia hæc Carolo Petefejo viro egregie docto, et si quis alius, laborioso debetur. Ejus opera *Sacra Concilia Ecclesiæ Romano-Catholicæ in Regno Hungariæ* duobus voluminibus *Boson. ann.* 1741. *seq.* evulgata sunt. Non dubito, quin et accuratior et auctior fieri hæc posset editio, si quorum in manu pretiosi horum monumentorum Thesauri sunt, non inviderent lucem documentis

Digitized by Google

non hoc olim consilio scriptis, ut æterna oblivione sepulta jacerent.

§. CXXXIV.

Breviores Conciliorum collectiones.

Hæc tot volumina vel cursoria lectione pervolvere insignis patientiæ labor fuerit. Minuere hunc conati sunt doctissimi viri: alii quidem conficiendis summis (1), alii notitiam Conciliorum scribendo, canonibusque illustrandis (2), de quibus ne sim nimis longus, videri potest sæpe jam à nobis laudatus *Salmonius loc. cit. art.* 3.

(1) HUC PERTINENT

1 Barthol. Carrancæ *Summa omnium Conciliorum*, quæ sæpius excusa est. Editiones optimæ censentur, quæ cum notis Sylvii, et Franc. Jansen Elinga prodierunt.

2 Casp. Contareni *Conciliorum magis illustrium Summa: Flor. ann.* 1553. et alibi sæpe.

3 Franc. Longi à Coriolano *Summa Conciliorum omnium*, cujus optima editio est, quam Lud. Baile curavit *Paris. ann.* 1645. *fol.*

4 Lud. Baile *Summa Conciliorum omnium: Patav. ann.* 1701. *fol.* 2. *volum.*

5 Laur. Brancati *Epitome Conciliorum omnium: Colon. ann.* 1654. *fol.*

6 Joann. Pauli Paravicini *Polyanthea sacrorum can. Paris. ann.* 1708. 3. *volum. fol.*

7 Poissonii Presbyteri Oratorii *Delectus actorum Ecclesiæ universalis, sine nova summa Conciliorum: Lugd. ann.* 1703. 2. *volum.*

8 Simon Staravolski *Epitome Conciliorum: Rom. ann.* 1615. *et* 1653. *fol.*

Digitized by Google

(2) Quo refero

1 Joann. Cabassutii *Notitiam Ecclesiasticam historiarum, Conciliorum.... Lugd. ann.* 1690. *alibi.*

2 Joann. Lud. Rueli et Lud. Hartmani *Concilia omnia illustrata: Norimb. ann.* 1675.

3 Christ. Lupi *Synodorum generalium, et provincialium decreta, et canones scholiis, notis, et historica actorum dissertatione illustrati: Lond. ann.* 1665. *Bruxel. ann.* 1673. *tom.* 5. Exstant etiam *inter opera junctim edita Venet. tom.* 1. *seqq.*

4 Lud. Thomasini *Dissertationum in Concilia generalia et particularia tom. unus Paris. ann.* 1667. *Luc. ann.* 1728. et in Rocaberti *Bibl. Pontif. tom.* 15. *pag.* 380. *seqq.*

5 Zeger Van-Espen *Tractatus historico canonicus exhibens scholia in omnes Conciliorum tam Græcos, quam Latinos, et famosiores canonum Codices*, qui *Rothomagi ann.* 1710. *in* 4. primum, deinde sæpe junctim cum reliquis scriptis prodiit.

6 Josephi Catalani *Sacrosancta Concilia Œcumenica prolegomenis et commentariis illustrata: Romæ ann.* 1736. 4. *volum. in fol.*

§. CXXXV.

Conclusio.

Hæc sunt, quæ de natura Juris Ecclesiastici, deque origine illius, progressu, incrementis, usu, et auctoritate in ipso disciplinæ ingressu expedienda duxi. Proximum est, ut de *Principiis* hujus scientiæ ac *Subsidiis* exponam, quod alterum fuit ex propositis huic libello argumentis.

Digitized by Google

SECTIO II.

DE PRINCIPIIS AC SUBSIDIIS JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ.

§. CXXXVI.

Ratio et ordo hujus sectionis.

Argumentum de principiis Jurisprudentiæ sacræ, hujusque interpretandæ subsidiis neglectum fere à scholasticis aut negligenter tractatum fuisse, sæpe questi sunt prudentes viri. Sed hi non videntur neminisse, noluisse genus illud hominum constitutis certis docendi regulis ipsum sibi auferre opinandi, quod libitum esset, noxiam potestatem. Ego ita apud animum constitui meum hanc procul à me arcere licentiam, nihilque pro certo vel adfirmare, vel negare, cujus negandi adfirmandique non certa mihi ratio constiterit. Rationes autem et argumenta quibus è locis petenda sint: quantum his pondus insit: quibus demum subsidii instructum esse deceat eum, qui in juris sacri prudentia utiliter et cum laude versari desiderat, hoc nunc agam, ut quam fieri potest, brevissime expediam.

Digitized by Google

CAPUT I.

DE SACRA SCRIPTURA EJUSQUE AUCTORITATE.

§. CXXXVII.

Primus juris sacri fons est Sacra Scriptura.

Dicturus de principiis sacræ disciplinæ initium facio *à Sacra Scriptura*, quippe quæ juris omnis et publici, et privati, primus est ac fons præcipuus. Neque enim quæ *Deo* placuit humano generi præcepta dare, ea nobis fas est è numero legum eximere. Harum autem legum pars maxima divinis in litteris continetur: *è quibus proinde, quoties de jure divinitus instituto controversia incidit, firmissimum posse argumentum duci apud omnes revelatæ religionis sinceros cultores in confesso est.*

Schol. Aliis autem non scribimus. Sunt hæ partes Theologorum incredulitatem erroris convincere. Vid. Torschmidius *in exploranda quadam libere cogitantium Bibliotheca, ann.* 1765.

§. CXXXVIII.

Quæ libris constat.

Evenit tamen, nec id quidem infrequenter, ut mirari possis inanitatem argumentorum, quæ ex his ipsis litteris petita feruntur. Nempe hoc ex eo est, quod alii quidem scientes prudentesque, alii ignorantia ac præjudiciis decepti ea contemptui habent, sine quibus nec intelligi illæ, nec auctoritas earum constitui rite potest.

Digitized by Google

Itaque primum ita statuo, eam tam eximiam probandi vim non nisi *libris sacris* ac *genuinis* inesse. Sacros vero ac sinceros eos dumtaxat libros existimo, quos *Ecclesia Catholica* eo loco habet, cujus solius auctoritate nos in iis decernendis duci oportere veteres haud obscure præcipiunt. *Augustini* dictum est cumprimis celebre: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

§. CXXXIX.

Ab Ecclesia probatis.

Quos autem libros veluti sinceros ac genuinos Ecclesia Catholica recipiat, si quæratur, quod respondeam in promptu est. *Patres* enim *Tridentini*, posteaquam omnes et veteris et novi testamenti libros enumerassent, ita subjiciunt: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit* (1). Nobis igitur nefas esto non omnes et integros recipere libros, quos in canonem suum Tridentina Synodus retulit. Fateor non statim omnes ubique Ecclesias in eumdem librorum sacrorum numerum primis temporibus consensisse. De quibusdam enim alibi probatis receptisque alibi dubitatum fuisse non nego: ad finem tamen quarti post *Christum* sæculi, opera, quæ post tanti temporis continuam observantiam inter canonica deinde *Patres Tridentini* retulerunt, cuncta ab omnibus et Synodis, et Patribus, in authenticis et legitimis connumerata fuisse, luculentissimi, opinor, à nostris demonstratum est. Inde orta est *canonicarum* librorum ab *apochryphis* distinctio: indeque *proto-canonici* alii, alii *deutero-canonici* dicti sunt; de quibus illa sunt

(1) *Sess.* 4.

Digitized by Google

Grotii præclare tradita (1): *A multis Ecclesiis sunt aguiti, quod ostendunt christiani antiqui, quum illorum testimoniis tamquam sacris utuntur. Unde credibile est, Ecclesias, quæ ab initio eos libros non habuerunt, eo tempore eos ignorasse, aut de iis dubitasse: postea autem de rei veritate edoctas ad ceterarum exemplum iis libris uti cœpisse.*

Schol. Conf. Bartel. Vogel *in prolegom. Theolog. dogmat. part.* 1. *cap.* 5. et Melchior Canus *de loc. Theol. lib.* 2.

§. CXL.

Sensus ejus præcipuus quis.

Enimvero multiplex sacrarum litterarum sensus est, de quo sanctioris doctrinæ Magistri multa præcipiunt. Unum tamen ipsi præcipuum habent ac velut naturalem, qui *litteralis* dicitur, eum scilicet, quo verba summus significatu illo, quem *Deus* ipse intendit. Atque hic quidem scripturæ sensus haud immerito eximius est. Nam quo tandem modo Scripturam verbum *Dei* recte dixeris, nisi eum verbis sensum tribuas, quem illi *Deus* ipse subjecit? Hinc autem consequi hoc necesse est, *ut certæ auctoritatis argumenta habenda non sint, præterquam illa, quæ ex sensu Scripturæ litterali ducuntur.* Neque enim vis argumenti, quod ex sacro codice petitur, aliunde esse potest, quam quod *Dei* ipsius verbo innitatur. *Numquam parabolæ*, inquit *S. Hieronymus* (2), *et dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Et *S. Augustinus*: *Quis non impudentissime* (3) *nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

(1) *De verit Relig. Christ. lib.* 3. *cap.* 3.
(2) *In Matth. lib.* 2. *cap.* 13.
(3) *Epist.* 93. *ad Vicent. Donatist. cap.* 8.

Digitized by Google

Cor. I. Æstimare hinc licet, quanta vis inesse possit argumentis, quibus sæpe recentiores quidam divinarum litterarum auctoritate abutentes, veritatem ab antiquis ingenua simplicitate traditam, inducta specie occultant, ne cerni lucide possit. *Lepram spiritualem* ex. gr. quam hæresim interpretatur Bellarminus, fortasse primus adhibuit, ut Reges de hæresi suspectos imperio in Christianos rite posse privari conficeret, exemplo Osiæ Regis, quem ob lepram corporis exutum regno falso suspicatus est. Consimiles huic sunt tristissimæ illæ *de duobus gladiis* ex Luc. XXII. 38. et *de duobus luminaribus* ex Gen. I. 16. aliæque aliis ex locis deductæ allegoriæ, quæ ignotæ nemini esse possunt, qui disputationes nostrorum maxime Theologorum de directa, aut indirecta Pontificum in Reges potestate, de immunitate Ecclesiastica, deque aliis juris publici argumentis scriptas legit. Olim hæc ingenii humani commenta etiam doctos viros exercebant. Nostra ætas rectius contemnit. Vid. Fleurius *diss. 5. in Hist. Eccles.* §. 12.

Cor. II. Neque tamen *allegoricum* Scripturæ, aut *spiritualem*, quem vocant, sensum, omni ad probandum robore destitutum existimem. Quid si enim is est ipse à Deo intentus sensus? Certe quidem de hoc si constet, nulla fingi causa potest, cur eum quis magis, quam litteralem repudiandum censeat. Constare vero isthoc diversis ex causis potest, veluti si ipsa sacri textus series eum sensum necessario deposcat, si traditio Patrum suffragetur, aut alia divinæ Scripturæ loca eumdem perspicue probent. At horum si nihil adjuvet, impudentiæ fuerit, ut ait S. Augustinus, quidquam in allegoria positum pro se interpretari. Quam quidem S. Doctoris reprehensionem quomodo vitare possit Bonifacius P. VIII. *in Extrav. Unam sanctam int. comm. de majorit. et obed.* Spondanus viderit.

Cor. III. Quod si itaque non constet, quod Deus præter sensum *nativum* et *primarium* alium etiam ver-

Digitized by Google

bis suis subdere voluerit *mysticum*, quum ita sensus ejusmodi mysticus non sit sensus Dei sed hominis illum ad aliquid ob quamdam cum eo similitudinem applicantis, qui sensus vulgo *accommodatitius* audit, facile intelligitur, quid roboris inesse argumentis possit ex sensu accommodatitio petitis: præcipue si sensui litterali, aut aliis Scripturæ locis adversetur. Rauttenstrauch *Prolegom.* §. 76. Opstraet *de loc. Theolog. diss.* 1. *quæst.* 7. §. 4. *n.* 3.

§. CXLI.

Quæ in interpretando tenenda regula.

Sed non semper ita apertus est Scripturæ sensus, ut cuivis pateat. Tum igitur, in quem sensum Ecclesia interpretetur, considerandum est. Nam ut eam solam pertinet de librorum sacrorum divinitate judicium (§. CXXXVIII. seq.), ita sola illa ambiguam textus sententiam constituere potest ita, ut adversus ejus sentire auctoritatem hominis sit non modo temerarii ac præfidentis, verum etiam nefarii. Recte *Tridentina Synodus* ad coërcenda petulantia ingenia decrevit, *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei ac morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari audeat* (1). Cujus decreti æquitatem ac prudentiam doctissimi è Protestantium communione viri *Saiwelus*, et *Caveus* probarunt (2), inque eamdem sententiam multa præclare tradita sunt à *Guil. Beveregio* in ea, quam codici canonum primitivæ Ecclesiæ vindicato præmisit, cultissima præfatione.

(1) *Vid. Natalis Alexander Sæcul. XVI. diss.* 12. *art.* 2. §. 8.
(2) *Ap. Febronium tom.* 1. *cap.* 1. §. 9. *n.* 2. *et* 4.

Digitized by Google

Cor. I. Neque tamen ademptam hoc decreto eruditis viris libertatem novam etiam textus sacri interpretationem depromendi, modo Ecclesiæ illa sensui, Patrumque universitati ac consensioni non repugnet, scite observat Natalis Alexander *cit. loc.*

Cor. II. Contra ea nullius momenti sunt, et huic Patrum decreto adversæ proindeque repudiandæ omnes divinarum litterarum interpretationes, quæ consentienti Patrum traditioni et constanti veterum temporum observantiæ minime congruunt: qualium interpretationum exempla plura fortasse, quam expediat, schola aluit. Vide, si lubet, Natalem Alexandrum *Sæcul. XI. et XII. diss.* 2. *art.* 10.

Cor. III. Ut autem interpretatio à Patrum traditione aliena omnino abjicienda est, ita nihil de efficacia argumenti ex veterum certis testimoniis deducti putem detrahi, etsi non desit exercitatio dialecticis nugis homini inanis quædam distinctiuncula, qua vim ejus conetur eludere. Exemplo sint ista Pauli Apostoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quo præcepto clericos pariter et laicos ad exhibendum Principibus suis obsequium adstringi, constans est veterum omnium doctrina. Quid ad hanc Bellarminus? Clericos ait Pontifici, laicos Regibus, atque ita omnem animam sublimiori potestati subjici. Nempe ita juniores nos docti sumus, qua arte Patrum certissimam traditionem, leviculam commenti distinctionem, possimus nullo negotio explodere.

§. CXLII.

Secernendum porro jus vetus à novo.

Diligenter porro jus vetus à novo secernendum est. Nempe duæ sunt scripturæ divinæ partes, *vetus* ac *novum Testamentum*. Præceptorum, quæ his partibus continentur, nec idem est genus, nec eadem hodie vis

:

Digitized by Google

obligandi. Ac ceteris quidem legis præcepta alia sunt dogmatica de veritatibus à *Deo* revelatis, quorum vim ac potestatem esse perpetuam oportere, extra omnem est controversiam positum (1). Alia *de moribus* ad naturalem honestatem conformandis scripta sunt, quibus perinde, quoniam non sunt nisi elicitæ è natura ipsa præceptiones, quas lex *Christi* adeo non sustulit, ut perfecerit etiam, teneri nos et obligari etiamnum, omni caret dubio. Alia demum vel *cæremonialia* sunt, vel *politica*. Illa ad exteriorem *Dei* cultum ornandum, hæc ad determinandam Reipublicæ judaicæ formam, constituendumque judiciorum ordinem, aut describendam politiam pertinent. De utroque hoc genere ita *Grotius*: *Nulla parte legis Hebrææ, qua lex est proprie, nos obligari, quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis, Deum autem voluisse, ut alii quam Israëlitæ, ista lege tenerentur, nullo judicio potest deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda est ulla legis abrogatio: nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos numquam obstrinxit. Sed ab Israëlitis ablata est obligatio, quoad ritualia quidem, statim postquam lex Evangelii cœpit promulgari... quoad cetera vero postquam populus ille per excidium urbis et desolationem, præcisa omni spe restitutionis, populus esse desiit: de jur. bell. et pac. lib. 1. cap. 1. §. 16. n. 7.*

Cor. I. Itaque argumentum ex lege quadam morali veteris testamenti depromptum haud dubie validum est. Sed lex, ex qua ductum est argumentum, *moralis* sit, an *forensis*, et politica, sæpe in controversiam incidit. Itaque valida ut sit et expedita argumentatio, legem eam fuisse mere moralem antea probandum erit. Ita Usuras ut interdictas credam ob legem Moysis eas prohibentem, debitas autem Decimas, quia Levitis præstare præceptum fuit, id ante probes necesse est, legem usuras

(1) *Vid. Auctor Princ. jur publ. Eccles. cap. 1. §. 3. 4.*

Digitized by Google

prohibentem, præcipientem autem Decimas, morales fuisse leges.

Cor. II. Unde consequens est, falli eos insigniter, verba sunt Rauttenstrauchii, *qui nescio quæ invicta et irrefragabilia argumenta se protulisse autumant, si* ex. gr. *ab immunitate Sacerdotum et Levitarum, à præcepto solvendi decimas veteris legis, ad immunitatem Clericorum solvendasque decimas in nova lege argumentationem instituant: loc. cit.* §. 80.

Cor. III. At igitur nihil omnino inest ponderis argumentis, quæ ex hujusmodi legibus petuntur? Negat Rauttenstrauch. *cit. loc. Sane*, inquit, *iis locus esse potest* 1. *quoties de congruentia quapiam extendenda agitur* ex. gr. *quam congruenter Clericis novi testamenti immunitatem quamdam impertiantur Reges et Principes, dum aliqua et veteris testamenti Sacerdotes pollebant dignitate et potestate iis oppido inferiores.* Sed pace dicam eruditi viri, nimis vaga est hæc notio congruentiæ, et in abusum patet promissime. Aliud aliis, et locis, et temporibus congruit. 2. *Quoties de jure novo, alioquin jam extra dubium posito, amplius stabiliendo confirmandoque quæstio est: ita stabilito semel dogmate de distinctione inter Clericos et Laicos, de Sacerdotio, recte id ipsum confirmare licet ex lege veteri.* Hunc canonem admitto: addo id etiam, quod Grotius statuebat. 3. *Ostendit lex Hebræa, quod ea lege præcipitur, aut plane permittitur, non esse contra jus naturæ: loc. cit.* §. 17. Non admitto autem, quod scripsit novissime Mod. Schmetterer *Introd. in jus can. diss.* 2. *cap.* 2. §. 37. *Si eadem, aut major ratio adhuc pugnat pro lege nova: quam obtinuit pro testamento veteri, bene ab hoc ad illam argumentaberis.* Hoc inquam non admitto. Cur? Exemplum terret.

Cor. IV. Ceterum, etsi hæ leges Christianos per sese non obligent, non est tamen adempta Principibus christianis potestas recipiendi politica Hebræorum insti-

Digitized by Google

tuta, si apta illa temporibus suis repererint; perinde, ut Ecclesia Christiana ritus quosdam retinet, qui *sine ulla futurorum significatione* unice ad sacra decentius peragenda à Deo sunt instituti. Accepta vero ita instituta obligant illa nos non tamquam divina, sed tamquam humana, vel civilia, vel Ecclesiastica instituta. Conf. Auctor *princip. jur. publ. Ecclesiast. loc. cit.* et Vir Clar. Placid. Fixlmilner *de Reipubl. sacr. orig. div. Exerc. 2. sect. 3. §. 35.*

§. CXLIII.

Quid de legibus Ante-Mosaicis?

Quod de *Moysis* lege adfirmavimus ex *Grotio*, (§. CXLII.) id quidem ex ipsa illa lege manifestissimum est. Verum ipse *Grotius* non inverisimile arbitrabatur, præter has soli datas populo Hebræo, esse alias quoque in libris veteris testamenti leges arbitrio divino promulgatas, quibus et olim gentes tenerentur, et nunc etiam populus Christianus obligetur (1). Has leges *veteris testamenti positivas universales* appellant. Occasionem celeberrimæ de his legibus controversiæ *Stephanus Curcellæus* dedit, vulgato de esu sanguinis inter Christianos libello. Eas deinde *Osiander* et *Kulpis* diligentius illustratas magno studio defenderunt. Sed ex quo *Christ. Thomasius* huic doctrinæ, pro qua *in Jurisprudentia divina* acerrime disputabat, majorem lucem adfudisset, factum est, ut plures jam osores habere et amatores inciperet. Ipse eam *Thomasius in Fundamentis juris* naturæ et gentium rejecit. Sed et post tamen fuerunt multi, qui priorem mallent, quam posteriorem sequi *Thomasium*, nihilque facerent reliqui, ut earum legum pro viribus auctoritatem propugnarent.

(1) *De jur. bell. et pac. lib. 1. cap. 1. §. 15. Lib. 2. cap. 5. §. 13. cap. 20. §. 42.*

Digitized by Google

Verum mihi tamen profecto nondum persuadent. Primum enim in ipsis legibus assignandis alius ab alio vehementer dissident. Quas autem adferunt, earum pleraque vim obligandi ex ipsa habent natura rerum. Ceteræ ejusmodi sunt, ut ad omnes gentes pertinuisse, et omnia futura etiam tempora respexisse, nondum satis à quoquam probari potuerit.

Schol. Conf. Canz. *de usu Philos. Wolfian. in Theol. tom. 2. cap.* 12. Hanneseh *dissert. de non existentia legum divin. posit. univers.* Cel. de Martini *de lege nat. cap.* 6. §. 229. *seq.*

§. CXLIV.

Scriptura novi testamenti.

Ecclesiæ Christianæ *lex fundamentalis* et *pragmatica* est scriptura novi testamenti. (§. XI.) Præcepta ejus duplici genere continentur. Alia enim sunt *Christi* ipsius, ac proinde *divina*, alia vero *Apostolica*. Indicat hoc discrimen *Paulus* in priore ad Corinthios epistola: *Ego dico*, inquiens, *non Dominus*: et paulo ante: *Præcipio non ego, sed Dominus* (1), similiter in epistola ad Ephesios (2): *Ego autem dico*, ait. Inter utrumque genus legum, quid intersit, dictu est non difficile. Divina enim *Christi* præcepta perpetua sunt, nulli nec abrogationi, nec derogationi obnoxia: nec ad unam quamdam gentem restricta, sed ad omnes ex æquo populos pertinentia. Apostolorum vero instituta, etsi origo ipsa et vicina initiis vetustas eximiam illis conciliare venerationem debeant, intra humanæ tamen legis vim potestatemque sita sunt. (§. XII.) Nempe potestas Apostolorum etiam, quæ fuit ad successores transitura, origine inspecta, divina quidem fuit, præcepta tamen

(1) *Cap. VII. v.* 10. 12.
(2) *Cap. V. v.* 32.

Digitized by Google

ab illis data humana sunt, non divina. Ac ne quidem *mediate*, quod visum est nonnullis levicula et parum concludente ratione. Vid. *Lud. Thomasinus part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 83. §. 2. et *Berth. Vogl. in proleg. ad Theol. dogmat. part.* 1. *cap.* 3. §. 10.

Cor. I. Ex quo intelligi ratio potest, qua factum sit, ut electionum sacrarum formam exemplo Matthiæ illustratam, abstinentiam à sanguine et suffocato, Agapas, mulierum in templis velationem, aliaque complura his similia Apostolorum instituta vel oblivio deleverit, vel alii adsciti ritus moresque loco suo moverint. Conf. Auctor *princ. jur. publ. Eccl. loc. cit.* §. 18. *seqq.*

Cor. II. Quod ait Lud. Engel *titul. de constit. n.* 6. *illa tantum in epistolis ac ceteris Apostolorum scriptis divini esse juris, quæ talia esse ex verbis Apostolorum sufficienter colligi potest*, non probo. Mihi contra sic videtur statuendum: *Quæ in his scriptis canonicis continentur dogmata ac præcepta, cuncta pro divinis habenda esse, nisi ex* Verbis, *ex* Materia Subjecta, *aut ex* Usu Ecclesiæ *luculenter appareat, præceptum esse vel consilium non* Christi *ipsius, sed* Apostoli: quale illud in epistola ad Corinthios *cap. VII. v.* 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Hic autem cave referas illud ad Ephes. *cap. V. v.* 32. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo et Ecclesia.*

§. CXLV.

Quæ versio authentica?

Primigeniam sacrorum librorum linguam satis inter eruditos constat, *Hebræam* esse, *Syriacam*, aut *Græcam* (1). Sed quum hæ linguæ in paucorum sint potestate, ita, ut legere illos inque rem suam transferre com-

(1) *Vogl. cit. loc. cap.* 10. §. 4. *seqq.*

Digitized by Google

mode possint, cuinam, inquies, innitemur versioni sine ulla suspicione erroris? Responsum nobis expeditum est ex *Concilio Tridentino Sessione quarta*, quod *considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.*

Schol. Conf. Calmeti *diss. in vulgatam.* Joan. Cabassutii *diatr. de Trid. decreto circa vulgatam bibliorum editionem*, et Natalis Alexander, *Sæc. IV. diss.* 39.

§. CXLVI.

Quo sensu?

Liquet autem Patrum hoc edendo decreto non aliam fuisse mentem, quam ut hanc ipsam vulgatam editionem ceteris omnibus *Latinis interpretationibus* anteponendam esse declararent, et sic authenticam, ut certos nos redderent, nihil in ea de fide ac moribus contineri, quod non sit ab omni errore quam remotissimum. Unde falli necesse est eos, qui hanc decreto sententiam adfingunt, quasi versionem istam ipsi originario textui prætulerit synodus; aut suam illi, quam ex origine habet, *authenticiam* abjudicaverit; aut ab hac demum nostra cuncta etiam menda levissima abesse credere jusserit, easque ex ipsis fontibus vetuerit emendari; hæc inquam, sibi qui persuaderent, apertissime falluntur, quod probarem testimoniis certis, si vel hoc nunc agerem, vel egeret probatione res omnium in oculis posita.

Schol. Vid. Natalis Alexander *cit. diss. art.* 5. *et*

Digitized by Google

Sæc. XVI. diss. 12. *art.* 2. §. 5. *seqq.* Nec huic suspicioni locum facere debebat *regula quarta* indicis librorum prohibitorum Romani, de qua unus omnium diligentissime adcuratissimeque exposuit doctissimus Opstraëtius *de loc. Theol. diss.* 1. *q.* 11. §. 3. *pag. m.* 77. *seqq.*

CAPUT II.

DE TRADITIONE, CONSUETUDINE, ET OBSERVANTIA ECCLESIASTICA.

§. CXLVII.

Quid sit traditio Ecclesiastica?

Alter juris Sacri fons est *traditio*, quo nomine latius sumpto quævis norma actionum, seu scripta ab Auctore suo, seu voce dumtaxat proposita venire potest. Hoc sensu illud *Apostoli* ad Thessalonicenses intelligo: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (2). Strictius accepta traditio *regulam* indicat *non scriptam*, seu mavis *ipsum modum rationemque*, qua legis olim nudis verbis propositæ memoria continuo ad successores propagata est, quam proinde sic recte definieris, *ut sit legis Ecclesiasticæ atque vetustæ ab idoneo auctore verbis acceptæ ad alios atque alios continuata legitime propagatio.* Ex quo ipso differre traditionem tam à *consuetudine*, quam *observantia Ecclesiastica* proprie sumpta manifestum est.

Cor. Propagari memoria vetusti hujusmodi instituti duplici via potuit, orali vel scripta doctrina, et usu continuo. Itaque traditionis Ecclesiasticæ omnis duo sunt veluti custodes legitimi, veterum ac probatorum scriptorum genuina ac sincera monumenta: tum mos Ecclesiæ Chris-

(1) *Epist.* 2. *ad Thess. cap. II. v.* 14.

Digitized by Google

tianæ, et non interrupta instituti cujusdam observatio. Rauttenstrauch *in prolegom. jur. Eccles.* §. 89.

§. CXLVIII.

Et quotuplex?

Traditionis variæ sunt divisiones. Nam origine primum atque *Auctore* inspecto *divina* est, vel *humana*. Illa *Deum* ipsum auctorem habet: hæc vero, ab hominibus, necessaria ad regendam Ecclesiam potestate præditis originem ducit. Quæ rursus alia quidem *Apostolica* est, alia *Ecclesiastica*. Hanc vocant, quæ ab Ecclesia ipsa aut ab iis potius, qui huic cum potestate præfuerunt primum inducta est; unde apostolica erit, cujus initium ab *Apostolis* tamquam Rectoribus populi Dei repetimus. Sunt, qui mediam inter utramque *divino apostolicam* interjiciunt. Qua in re Tridentini quidem Concilii sequuntur decretum, in quo non obscure Patres traditiones distinguunt *oretenus à Christo dictatas*, ab his, *quas dictavit Spiritus Sanctus*: verum istius generis quæ sunt, divinæ traditiones, non humanæ dicendæ sunt. Porro, quum omnis traditio circa *fidem* versetur et *mores*, vel circa *ritus* et *sacram disciplinam*: *Ratione Materiæ* omnis vel *dogmatica* est, vel *disciplinaris*, mutabilis ista et contingens, illa perpetua, nec ullis vel temporum vel locorum vicissitudinibus obnoxia. Demum *ex objecto* alia per totam Ecclesiam pertinet et est *universalis*: alia *particularis* et cœtus cujusdam propria, cujusmodi Asiaticorum fuit de paschate celebrando traditio, diversa à traditione Ecclesiæ Latinæ.

Cor. Ex his duo infero 1. *Divinam traditionem* omnem, et *dogmaticam* ab Ecclesia pro tali declaratam, *universalem* esse, *immutabilem*, *ac perpetuam*. 2. *Humanam* vero, seu *Ecclesiasticam* seu *Apostolicam* esse

Digitized by Google

disciplinarem, et ob id *mutabilem* seu *universalis* sit, seu *particularis*.

Schol. Reliquas traditionum species utpote ab instituto meo remotiores consulto prætermisi. Vid. Opstraet. *de loc. Theol. diss.* 2. *quæst.* 1. §. 1. Auctor. *princip. jur. public. Eccles. cap.* 2. §. 7. Zalwein *diss. de tradit.* §. 3.

§ CXLIX.

An dentur traditiones?

Esse quasdam ad mores ac fidem pertinentes regulas, quæ sine ullo scripturæ præsidio, sola pastorum fideli traditione Ecclesiæ innotuerint, nobis ob *Synodi Tridentinæ* auctoritatem certum est (1); de traditionibus vero, quæ ritus concernunt aliaque sacræ disciplinæ capita, ne ipsos quidem Protestantes video magnopere adversari. Neque enim profecto negari potest, jam prima rei ehristianæ ætate scriptoribus, in reddenda disciplinæ, quæ tum vigebat, ratione sollicitis, eamdem è traditione repetere fuisse usitatissimum. *De synaxi*, inquit *Socrates* (2) *variæ sunt consuetudines. Nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus Sabbathi mysteria celebrent, Alexandrini tamen et Romani ex antiqua traditione id facere renuunt.* Et *Innocentius I.* Sabbathi jejunium omnibus christianis volens persuadere, *Apostolos* eo die jejunasse ajebat *ut traditio Ecclesiæ habet* (3). Nec aliam causam adferebat, dum in epistola ad *Victricium* Rothomagensem formam disciplinæ in Ecclesia Romana usitatam ab omnibus ceteris tenendam esse contendebat, quam *quod Apostolica, et Patrum traditione sit constituta.* Tantum vero abest, ut illi vetera hæc majorum insti-

(1) *Sess.* 4.
(2) *Lib.* 5. *cap.* 22.
(3) *In epist. ad Decen. Eugub. cap.* 4.

Digitized by Google

tuta veluti parum certo cognita temere rejicerent, ut etiam colerent fide singulari, *non satis pium neque ferendum arbitrantes, si traditiones, in quibus educati essent, non honorifice colerent, sed contemptim rejicerent* (1). Disertius ceteris, de vi traditionum, quid prisca ætas senserit, docet *S. Hieronymus* adversus Lucifer. §. 8. *An nescis*, inquiens, *etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Etiamsi scripturæ acutoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverant.*

Schol. Decretum Concilii Tridentini, quod est de traditionibus, impugnarunt nonnihil vehementius Rivetus et Dallæus; deinde Basnage *in annal. polit. Eccles. tom.* 2. *diss.* 9. Verum illis quidem satis fecit Natalis Alexander *Sæcul. II. diss.* 16. Huic autem respondit post Zalweinium vir Clar. Plac. Fixlmillner *Exercit.* 2. *sect.* 1. §. 10. *seqq.* Ex quibus disces, falsum esse Bohmerum, quando *in diss. de veter. Eccles. statu* §. 15. *seq.* doctrinæ de traditionibus originem ex secundo post Christum natum sæculo repetit.

§. CL.

Quæ Auctoritas?

Jam hoc itaque expeditum est, complura esse antiqua de sacris instituta, quæ nudis initio verbis proposita, solius ope traditionis ad posteritatis memoriam transmissa sunt. Enimvero ad obligandi efficaciam, quid refert, scriptum sit an traditum idoneo profectum auctore institutum, si de sententia illius satis constet? Ex *Hie-*

(1) *Nicephorus lib.* 12. *cap.* 34.

Digitized by Google

ronymi quidem sensu, nihil, ut vidimus (§. CXLIX.) Idem urget magnis studiis *S. Basilius* (1). Et ante hunc *Tertullianus* in eamdem sententiam ita scribebat: *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix... Ergo quæramus, an et traditio nisi scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus* (1). Ceterum varia est pro origine et materia traditionum auctoritas (§. CXLVIII.) et pro hujus varietate alia atque alia Ecclesiæ ipsius potestas (3). Quam ob rem caute ab humanis divinæ, Ecclesiasticæ deinde ab Apostolicis secernendæ sunt; et in his ipsis porro sinceræ ac genuinæ ab iis quæ speciem Apostolicæ aut veteris saltem traditionis mentiuntur.

§. CLI.

Criteria.

Sed hoc ipsum, inquies, sæpe perdifficile accidit etiam viris in hoc genere doctrinæ exercitatis. Fateor; nec tamen ita implicata res est, ut nihil pro certo liceat adfirmare, si modo patientem veri animum adferre, et signata vestigiis Majorum via progredi volumus. Atque *divinæ* quidem *traditionis* duo sunt, tamquam criteria catholicis certissima. Nam quum duo sint quasi custodes veterum traditionum, prisca ac genuina Patrum monumenta, et mos Ecclesiæ Christianæ (§. CXLVII. Cor.) planum est, 1. *Si quid consentientes inter se omnis ætatis Patres ad Christum auctorem referant, ac instar*

(1) *Dist.* 11. *edit.* 5.
(2) *De Corona milit. cap.* 2. *et* 4.
(3) *Rauttenstrauch. loc.* §. 90.

Digitized by Google

prærepti divini nobis à Majoribus transmissum testentur; aut si 2. *Ecclesia Christiana, continuo omnium et temporum et locorum, nec sibi uspiam difformi usu id ipsum tamquam à Christo traditum observaverit, nec in sacris litteris exstet*, divinæ traditioni haud dubie adnumerari oportere. Neque enim in fide ac moribus labi errore Ecclesia Catholica potest: *nec ulla est efficacior hæreses confutandi ratio, quam si post adlegatam Sacræ Scripturæ auctoritatem, constantem et universalem veterum consensum ad partes nostras advocemus*, ut vere atque ingenue scribit doctissimus *Caveus*.

Schol. Quam in rem dignissima quoque lectu sunt illa, quæ Guil. Bevereg. *præm. in synod. can. Ecclesiæ primit.* in principio scripsit ap. Cotelerium *in append. tom.* 2. *pag.* 1. *seqq.*

§. CLII.

Divinæ traditionis.

At non semper vel usus Ecclesiæ tam est manifestus, vel tam perspicue Sancti Patres mentem suam exprimunt, ut primo quasi adspectu divinam traditionem cernas. Quam ob rem inspicienda est quoque *materia* ipsa sive *argumentum* traditionis, inspiciendum porro *tempus* aliaque his similia *adjuncta*, de quibus, qui velet, Theologos consulat de locis theologicis plenius exponentes.

Schol. Hoc hic moneo, non illico divinam novi testamenti traditionem habendam esse, quum ita à veterum quopiam appellatam reperimus. *Divinam* enim traditionem nonnumquam dictam video, veteris magis testamenti respectu, quam novi. Eo sensu Cyprianum intelligo in epistola, quæ est ad clerum et plebes in Hispania consistentes, dum ita scribit: *De* Traditione Divina, *et* Apostolica Observatione *servandum est et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias*

Digitized by Google

universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit. Sensus S. Cypriani is, quem dixi, ex ipsa epistolæ lectione apertus est.

§. CLIII.

Et Apostolicæ.

De *Apostolicis* vero *traditionibus* insignis est *S. Augustini* regula præter alios eruditissimo viro *Petro de Marca* sæpius commendata: *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica institutum rectissime creditur* (1), quam idem vir sanctus iisdem pene verbis repetit pluribus locis, ut appareat firmam hanc illi sententiam constitisse. Credebat enim id, quod res est, fieri vix posse, ut institutum quodpiam universæ probatum Ecclesiæ, et omni tempore sine ulla varietate religiose custoditum alios habuerit, quam *Apostolos* auctores.

Cor. I. Huic igitur Sancti Viri regulæ ut esse possit locus, constet 1. necesse est, idque ex luculentis veterum ac genuinis testimoniis, usitatum hunc et concordem omnium Ecclesiarum aut prope omnium morem fuisse: ut 2. moris istius initia Apostolorum ætate recentiora ne sint: neque 3. ullum in scriptis Patrum sinceris contrarii usus vestigium deprehendatur. Nam horum si fuerit aliquod, eam ex Augustini judicio Apostolicam traditionem negat esse habendam adcuratissimus harum rerum æstimator Du-Pinius.

Cor. II. Unde consequens est, ut traditio, cui hic, de quo prænonui, usus tam illustrem nequit originem

(1) *Vid. Concord. Sacerd. et Imp. lib. 6. cap. 1. §. 7.*

Digitized by Google

vindicare, aut si sit ejusmodi, facile ut appareat modice inquirentibus, initium ejus ævo Apostolico posterius esse, inter *Ecclesiasticas* connumeranda sit, cujusmodi est de Sabbathi jejunio, de quo nuper ex Innocentio mentionem injeci. Cave autem, quam veteres Scriptores *Apostolicam traditionem* vocant, eam continuo solo vocabuli argumento pro tali habeas. Morem enim fuisse antiquis illis, viros, qui proxime post Apostolos Ecclesiis Christianorum præfuerunt, augustiori nomine *Apostólicos viros* dicere, ut Tertullianus testatur. Qua re factum est, ut quæ antiqua essent et vicina originibus instituta, *Apostolica* interdum dicerentur: quod ipsum de canonibus Apostolicis conjiciebat, si modo recte, doctissimus Albaspinæus.

Cor. III. Cave porro *vocabulorum* similitudine te sinas decipi, ut pro veteri instituto vendites, quod ætas recentior invexit. *Multa* namque *nobis et priscis Patribus vocabula communia retinemus, sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam nostra tempora à primis post Christum sæculis remota sunt*: ut jam dudum prudenter monuit Card. Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 18. §. 1.

§. CLIV.

Traditiones piæ et vulgares quo loco habendæ?

Cetera, quæ illustrandi hujus loci causa dici possent, quoniam ab instituto meo remotiora sunt, omitto. Hoc addo; liquere ex iis, quæ dicta sunt, manifestissime, non tam in admittendis traditionibus facilem esse Catholicam Ecclesiam, ut nihil sit ineptarum fabularum, modo aliquam pietatis speciem præseferat, quod non amplexetur avide, ac studiose propaget. A quo sane vitio tantum abest, ut ægre ac timidius interdum illas quoque in populo patiatur, quæ tametsi pietatem mini-

Digitized by Google

me lædant, ut *vulgi* solet *superstitiosa credulitas*, immo adjuvent etiam, idonea tamen origine et auctoritate destitutæ videntur.

Schol. Conf. Zalwein *cit. dissert.* §. 10. Auctor. *princ. jur. publ. Eccles. cap.* 10. §. 20. *seqq.* Et præ ceteris Hon. à S. Maria *animad. in usu reg. crit. tom.* 1. *diss.* 7. *art.* 9. *et tom.* 2. *diss.* 1. *integra.*

§. CLV.

Quæ vis consuetudinis Ecclesiasticæ?

Differt à traditione *consuetudo Ecclesiastica* (§. CXLVII.), quo nomine *regulam* intelligo *actionum diuturnis utentium moribus in Ecclesia constitutam* (1). *Mores* autem sunt *actus singulorum fidelium ad eamdem normam, etsi nuspiam præscriptam compositi* (2): qui si opinione juris diu ac frequenter suscepti sunt, si præterea legi nec divinæ nec humanæ absolute actum prohibenti, nec saluti populi Christiani alia quadam ratione adversentur (3), accedente superioris consensu etiam generali vim legis perpetuæ adipiscuntur (4); atque eam quidem non in his dumtaxat de quibus nulla exstat præscripta lex, verum in iis quoque, quæ jure definita sunt, seu interpretandis, seu abrogandis (5). Probandæ vero consuetudinis ratio expeditissima, si *contradicto* illam *judicio* aliquando obtinuisse ostendi potest. Nihil autem obstat, eam etiam per *testes* fieri *majores*, qui habeant *consuetudinis notitiam pleniorem*, *cap.* 10. *de offic. archid.*

Schol. I. Conf. Bohmer *lib.* 1. *decret. tit.* 4. §. 42.

(1) *Dist.* 1. *can.* 5.
(2) *Bohmerus in princ. jur. can.* §. 248.
(3) *Dist.* 11. *can.* 4. 6. *Dist.* 12. *can.* 8. *cap.* 1. 7. 11. *de consuet.*
(4) *Dist.* 12. *can.* 6. *cap.* 9. *de consuet.*
(5) *Cap.* 8. *de consuet. cap.* 2. *de fer.*

Digitized by Google

seqq. Consuetudinem, quæ legem imitetur, oportet esse *legitime præscriptam.* Ita habet *cap.* 11. *de consuet.* Bohmerus filius *loc. cit.* §. 249. interpretatur, *per tempus ad legitimam præscriptionem necessarium ex actibus idoneis inductam: quod est tempus quadraginta annorum, si adversus legem Ecclesiasticam inducitur.* Ego sane hujus interpretationis rationem firmam ac necessariam nullam video.

Schol. II. Aliquem in consuetudine inducenda superioris consensum esse necessarium, omnes consentiunt. At qualem? Videtur Gibertus *tom.* 1. *corp. jur. can. pag.* 452. vim consuetudinis ex consensu legislatoris *tacito*, vel *expresso*, seu *ex lege ipsa* repetere. *Consensus à lege datus*, inquit, *est generalis, et cadit in quasvis consuetudines legislatori etiam ignotas. Particularis cadit in consuetudines determinatas, ipsi legislatori cognitas: eoque modo facile conciliantur juris textus, ac interpretes, qui contrarii esse videntur circa consensum legislatoris ad institutionem consuetudinis requisitum.*

§. CLVI.

De vi observantiæ Ecclesiasticæ.

Differt porro à traditione *observantia Ecclesiastica.* Nam illa legem indicat expressam verbis, et continuo usu propagatam, (§. CXLVII.) hæc autem *jus tacito eorum, quorum interest, consensu introductum*: quo ipso distat etiam à consuetudine, quæ aliquam superioris consensionem desiderat (§. CLV.). Hujus observantia, nisi eadem sit totius Ecclesiæ, non eget. Versatur autem potissimum in negotiis, quæ Ecclesiæ statum publicum concernunt. Probatur *factis*, quæ introducendæ illius occasionem præbuerunt, concludentibus; *non clam gestis*, sed *consciis* iis quorum intereat, *nec repugnantibus*, dum et locus esset et tempus contradicendi. Plu-

Digitized by Google

ra ejus generis facta plerique requirunt. An et requisitus ad præscriptionem annorum quadraginta lapsus, quem *Bohmerus* hic quoque videtur deposcere, adjungendus sit, ambigo.

Schol. Ad hæc illustranda conferre utique permulta possunt, quæ de observantia Imperii Romano-Germanici præclare commentati sunt docti ejus gentis viri. Conf. Selchov. *in Element. jur. publ. Germ.* §. 39. *pag.* 38. *seq.* et Unger *in diss. de modo probandi, et judice circa controv. observ. Imper. Rom. Germ. concernentes. Wirceb. ann.* 1770. Eckardi *in Hermeneu. juris.* Alii.

CAPUT III.

DE AUCTORITATE, ET USU CONCILIORUM.

§. CLVII.

Quid Concilium?

Jam ad *Concilia* venio, quorum post sacram scripturam divinasque et Apostolicas traditiones eximia semper auctoritas fuit. Ipsa etenim, ut *Tertullianus* ajebat, totius nominis Christiani repræsentatio peculiari visa est digna veneratione. Sunt autem in Ecclesia *Dei* Concilia, quod comitia in rebus publicis, *Prælatorum* nempe *conventus eo fine coacti, ut de negotiis Ecclesiæ salutem concernentibus statuant, et felicitati populi christiani junctis consiliis provideant.*

Schol. *Concilium* Latine dicitur, synodos Græce, utrumque vocabulum vario sensu ab antiquis usurpatum satis constat. Vid. Bingham *orig. Eccles. vol.* 3. *pag.* 123. et Du-Fresne *in Glossar.* Agimus vero hoc loco de Conciliis tantum *mere Ecclesiasticis*; non iis quoque, quæ

Digitized by Google

Illustr. de Riegger *mixta* vocat. *Instit. jur. Eccles. part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 5. §. 230. Utique conventus ejus generis nec hodie esse extra usum videntur, et olim erant frequentissimi, vid. Thomasinus *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 46. Petrus de Marca *lib.* 6. *cap.* 24. Steph. Baluzius *in præfat. ad capitular. Reg. Franc.* Verum Comitiane illa Regnorum fuerint, an Concilia, non perinde in conspicuo est positum. Comitia mavult appellari Schmidtius *Inst. jur. Eccles. tom.* 1. *cap.* 1. *sect.* 2. §. 17. Nec valde repugno; sed comitiorum istorum à Conciliis discrimen quibus judiciis confici debeat, vellem, ostendere non prætermisisset vir doctus. Conf. Cennius *in Antiq. Eccles. Hisp. tom.* 2. *diss.* 4. *cap.* 4. §. 15. *seqq.* et Walch. *in Histor. Concil. pag.* 494.

§. CLVIII.

Quid Concilium Œcumenicum?

Conciliorum duplex genus est. Alia nimirum sunt *Generalia*. Græci *Synodos Œcumenicas* vocant. Alia vero *Particularia*. Generalia seu Œcumenica *Isidoro* illa sunt, *quæ Sancti Patres ex omni terrarum orbe convenientes juxta fidem Evangelicam et Apostolicam celebrant* (1). Cujus quidem canonis non hic sensus est, quasi generale Concilium non esset, cui omnes ex orbe terrarum Patres non interfuerunt, quale exstitisse aliquod uspiam nemo sanus dixerit, sed quod id demum generale Concilium dicatur, ad quod omnes ex orbe Christiano Episcopi de negotiis sibi propositis juxta fidem Evangelicam et Apostolicam deliberaturi eo numero conveniunt, ut Ecclesiam universam repræsentent. Hac ratione ab *Augustino* libro tertio contra Donatistas *Concilia plenaria totius orbis, et plenaria universæ Ecclesiæ Concilia* appellata sunt.

(1) *Dist.* 15. *can.* 1.

Digitized by Google

Schol. *Plenarium* tamen, immo et *universale* interdum Concilium illud dicitur, quod proprie nationale vocant, ut Bellarminus observat, *lib.* 1. *de Concil. cap.* 4. non quod essent totius Ecclesiæ, sed quod integræ cujusdam nationis Concilia: opportune enim advertit Natalis Alexander *Sæc. III. diss.* 24. ea fere semper plenaria et universalia dicta esse cum quadam limitatione, quæ à vere Œcumenicis sejungeret, ut *Concilium plenarium Africæ* Augustino sæpenumero laudatum, et *Concilium Italici regni universale*, de quo Joannes VIII. in epistola sexta et quinquagesima.

§. CLIX.

Concilium generale quando legitimum?

Generale quod est Concilium (§. CLVIII.) idem non semper etiam est *Legitimum*. Enimvero legitimum ut esse possit Concilium, plura desiderantur. Atque hoc *in primis*, ut *ad illud totius Ecclesiæ Episcopi rite convocentur*; *quique volunt interesse, nisi justa de causa ne excludantur*. Hi enim omnes à *Deo* positi sunt in Ecclesia *Pastores* et *Doctores*, ad quos est illud *Pauli Apostoli*: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc præter alia vitium in secunda synodo Ephesina notavit *Leo M.* (1) his verbis: *In ipso autem judicio non omnes qui convenerant, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos. Alterum* est requisitum, *ut tot conveniant ac tales Episcopi, qui apti sint ac sufficiant ad Ecclesiam universam vere repræsentandam.* Quot autem, qualesve Episcopi ad hanc totius nominis Christiani repræsentationem desiderentur, difficile factu est ut omnino determinetur. Sane omnes ut conveniant necesse non est (§. CLVIII.). Quin ne hoc

(1) *In epist.* 24. *ad Theodos. Imper.*

Digitized by Google

quidem, ut pars saltem major Episcoporum totius orbis intersit. Quid enim vetat, quominus cœtus Episcoporum aliquis repræsentare possit omnes reliquos, etsi hi qui adsunt, multo iis, qui absunt, numero cedant (1)? *Porro* autem magno studio cavendum est, *ne temeritate majore, quam consilio maturo ac deliberato res Ecclesiæ agantur.* Conservanda est norma à majoribus sapienter instituta: remoto omni rerum ac sectæ studio communem omnem salutem unam omnis spectet deliberatio, *imprimisque* providendum, *ut Episcopi in negotiis, et deliberandis, et sanciendis, plena gaudeant libertate.* Hæc enim ubi abest, non quod quisque sentit ipse, sed quod vis extorquet metusque, pronuntiat. His pene de causis *Leo P.* in ea quam dixi, ad *Theodosium Augustum* epistola, Ephesinam Synodum alteram improbabat: *Concilium Episcoporum*, inquit, *quod propter* Flavianum *in Ephesina civitate fieri præcepistis, et ipse fidei probatur obesse, et omnes Ecclesias vulnerare... Hæc autem ideo processit, eo quod non pura conscientia et recto judicio secundum consuetudinem hi, qui collecti sunt, de fide et errantibus protulerunt. In ipso autem judicio non omnes, qui convenerant, interfuisse cognovimus, nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impii subscriptionibus captivas manus dederunt.*

Schol. Conf. omnino Opstraet *loc. cit.* §. 5. Præter hos non ignoro alios ac plures Œcumenici ac legitimi Concilii characteres describi: sed eos valde controversos, cujusmodi sunt *convocatio Pontificis*, *præsidium ejus*, *confirmatio* decretorum. Dicam alio loco de singulis. Hic, opinor, iis abstinere interim licuit.

(1) *Vid. Opstraet. de loc. Theol. diss. 4. quæst. 1. §. 4.*

Digitized by Google

§. CLX.

De his unde constare potest?

Tam multa vero quum sint, quæ sincera apertaque Majorum traditio ad generale ac legitimum Concilium requirat, nec illa tamen ita sint in promptu, ut quasi oculis cernantur; quæ ais, ineunda nobis ratio est, ut quæ pro legitimis Conciliis habenda sint, constare certo possit? *Pontificiam confirmationem* spectandam monet *Schmidtius*: Ego *consensionem Ecclesiæ Catholicæ.* Hac certe, non illa ratione adversus Arianos probat *Athanasius* pro generale ac legitimum habendum esse Concilium Nicænum in epistola ad Episcopos Africanos: *Huic certe Concilio*, inquiens, *universus orbis adsensum præbuit.* Eadem ratione utitur adversus Donatistas *S. Augustinus* (1): *Illis temporibus, antequam plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ consensio confirmasset.* Et iterum: *Nobis tutum est*, inquit (2), *in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ vôcis adserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Atque ut omittam *Leonem* in epistola ad *Leonem Augustum*, ista eadem ratione Chalcedonensis Synodi decreta recipienda esse contendebat *Facundus: si quam reverentiam*, inquiens, *deferimus etiam Synodalibus constitutis ab Ecclesia universali receptis.* Nempe certa quidem est et infallibilis *in se* Concilii legitime celebrati auctoritas: sed quia persæpe, an legitime celebratum fuerit, potest in dubium revocari, id tum demum etiam *quoad nos* constabit certissime, quum ab

(1) *Lib.* 1. *de bapt. cap.* 18.
(2) *Lib.* 7. *cap.* 53.

Digitized by Google

Ecclesia receptum fuerit. Ita post *Petrum à Soto* tradidit doctissimus *Opstraetius loc. cit.* §. 6.

SCHOL. Quære, quam hic exquirendæ veritatis viam commendat Auctor *principiorum juris publici Ecclesiastici Catholicorum cap.* 6. §. 39. ei quidem usus esse potest in Concilii cujusdam canonibus ac decretis ab Ecclesiis recipiendis: nullus autem, ubi ea constat Ecclesiæ totius auctoritate roborata. Neque enim *idem modus esse debet, atque iondo quærendi post definitionem Concilii totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem*, ut ait Facundus. Ejusmodi Concilia quæ sint, et quatenus probata Ecclesiæ, nunc dicendum est.

§. CLXI.

Concilia Generalia Orientalia.

I. *Nicænum I.* anno 325. à *Constantino M.* in causa *Arii* convocatum (1). An prævio, ut contendit *Baronius*, *Sylvestri P.* consensu, incertum est (2). Ejus tamen locum in conventu Patrum *Hosius* Cordubensis obtinuit (3). Canones editi sunt non plures, quam viginti; Arabici enim, quos *Turrianus* edidit, et *Abrahamus Echellensis* vindicare est adgressus, ab omnibus rejiciuntur (4).

A. Epistola Concilii ad Sylvestrum relata apud Labbeum *tom.* 2. *pag.* 598. et alia Sylvestri responsoria suppositiæ sunt. Espen. *dissert. de Synod. Nicæn.* §. 11. Natalis Alexander *in Hist. Sæc. IV. cap.* 3. *art.* 4. §. 2. ut et acta Synodi Romanæ apud Harduin. *tom.* 1. *pag.* 527. quod ostendit Tillemontius *tom.* 7. *pag.* 266.

AA. Huic proximum est Sardicense, ad preces potis-

(1) *Natalis Alexander Sæc. IV. diss.* 11.
(2) *Richer. lib.* 1. *cap.* 2.
(3) *De Marca lib.* 5. *cap.* 3. §. 3.
(4) *Berardus tom.* 1. *pag.* 76.

Digitized by Google

simum S. Athanasii ab Imperatore convocatum. Natalis Alexander *Sæc. IV. dissert.* 27. *art.* 1. Præfuit Hosius. Quo jure, disceptatur de Marca *lib.* 5. *cap.* 4. Editi canones viginti et unus; Berardus *tom.* 1. *pag.* 141. Pro Œcumenico habent Natalis Alexander *citat. dissert. art.* 3. et Christ. Lupus *diss. in Synod. Sardicens. cap.* 6. Negant Espen *diss. in Synod. Sardic.* §. 5. de Marca, Berardus, *et alii*, *quibus consentio.*

II. *Constantinopolitanum I.* jussu Theodosii coactum anno 381. (1). Unde falsum necesse est *Baronium*, qui consulto prius, et auctore *Damaso* illud coiisse scripsit. Ex Occidente præter *Acholium* Tessalonicensem Episcopum nemo adfuit, quem *Damasi* vices obiisse falso creditum est (2). Huic Concilio tres Præsides dedit *Walchius* (3) manifesta, ut opinor, trium diversarum Synodorum confusione (4). Editos esse quosdam canones, certum est. At quot? *Dionysius Exiguus* tres: septem habet *Isidorus*; sed illius haud dubie auctoritas est potior (5). Parum enim verisimilis est conjectura *Christ. Lupi*, prætermisos à *Dionysio* fuisse reliquos, quod scirot, Ecclesiæ Romanæ minus gratos esse.

A. Canonem tertium Baronius commentitium falso dixit. Natalis Alexander *Sæc. IV. diss.* 38. *art.* 2. Pagius *ad ann.* 381. *n.* 8. 9. An, et quomodo à Latinis receptus, docet Steph. Baluzius *ad lib.* 5. *cap.* 21. §. 11. *seqq.* Natalis Alexander *citat. dissert. art.* 5.

III. *Ephesinum* Concilium, quod tertium inter generalia locum obtinet, ad sopiendos Nestorii tumultus indixit *Theodosius* anno 431. (6). Indictum inconsulto *Cœlestino P.* multis et documentis, et testimoniis explo-

(1) *Pagius in crit. ad ann.* 381. *n.* 4.
(2) *Baluzius ad lib.* 5. *cap.* 20. §. 9. *et* 16. *et cap.* 21. §. 7.
(3) *Hist. Concil. Sæc. IV.* §. 113.
(4) *Natal. Alexander Sæc. IV. cap.* 3. *art.* 11. §. 2.
(5) *Espen in Concil. Constant.* §. 12.
(6) *Pagius in crit. ad annum* 430. *num.* 19. *et* 431. *n.* 11. *et* 12.

Digitized by Google

ratum est (1). Præfuit *Cyrillus*, quum sedis suæ jure, tum etiam legationis Pontificiæ munitus (2). Damnatus, ac sede sua pulsus *Nestorius* turbavit aliquandiu Synodi consilia; Cæsar veritus, ne in publicam perniciem contentio desineret, suspensis rebus interim ab utraque parte gestis (3) legatos ad se mitti jubet. Vicit causa orthodoxorum; restituta pace, actorumque impetrata à Cæsare confirmatione Concilium solutum est. Canones ejus octo sunt. Vid. *Berardus tom.* 1. *pag.* 264.

IV. *Chalcedonense* indictum est à *Marciano Imp. ann.* 451. non sine adsensu *Leonis P.* quamquam hic maluisset alio et loco, et tempore, illud celebrari (4). Præfuerunt Legati Pontificis, quibus *Julianum* Coënsem non tam legationis socium, quam consiliorum adjunxit (5). Aderant etiam Judices missi ab Imperatore (6). Numerus canonum variat. Septem supra viginti, nec plures habent Latini Codices plerique. Sed omnino verum est, illum qui est de sedis Constantinopolitanæ prærogativa, in hoc Concilio editum esse (7). Duo, qui præter hos exstant apud *Balsamonem*, aliena manu adjecti sunt (8). His tribus demptis reliquos videtur et probasse *Leo*, et recepisse Ecclesia Latina (9). Ex quo judicari de illorum auctoritate potest: de qua mihi quidem nimis abjecte sentire visus est doctissimus *Berardus tom.* 1. *p.* 281. *seq.*

A. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor.* Nicænum *scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur.* Constantinopolitanum *quoque, in quo Eunomii et Macedo-*

(1) *Natalis Alexander Sæc. V. diss.* 7.
(2) *De Marca lib.* 5. *cap.* 4. §. 4. *seqq.*
(3) *Richer. loc. cit.* §. 11. 12.
(4) *Espen diss. in Synod. Chalced. cap.* 2. §. 1. 4.
(5) *De Marca lib.* 5. *cap.* 6. §. 1.
(6) *Pagius in crit. ad ann.* 451. *n.* 30.
(7) *Espen in schol. ad can.* 28.
(8) *Espen cit. diss.* §. 16. 17.
(9) *Natalis Alexander Sæc. V. diss.* 15.

Digitized by Google

nii error convincitur. Ephesinum *etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur.* Chalcedonense *vero, in quo Eutychis Dioscorique pravitas reprobatur.* Gregorius M. *apud Gratian. dist.* 15. *can.* 2.

V. *Constantinopolitanum II.* Œcumenicum autem quintum, post diuturnam de tribus capitulis contentionem indixit *Justinianus Imp.* (1). ann. 553. Præfuit *Eutichius* Constantinopolitanus Patriarcha (2). *Vigilius P.* etsi perhonorifice interpellatus, ut præsideret cœtui, impelli non potuit. Acta tamen Concilii probavit. Conf. de Marca *in diss. de decreto Vigilii pro confirmatione Synodi quintæ.*

VI. *Constantinopolitanum III.* ann. 680. vocato in consilium *Agathone* Romano Antistite coëgit *Constantinus Pogonatus* (3). Interfuit Imperator cum selectis Judicibus, ex quo occasio nata est *Alberto Pighio* acta Synodi superstitionis arguendi, negandique legitimam atque Ecclesiasticam Synodum fuisse: quam viri temeritatem castigavit haud immerito eruditus *Combefisius* (4).

A. Synodus Trullana, quæ etiam *quinisexta*, interdum *sexta* absolute dicitur, habita est *ann.* 692. Aderant Græci magno numero: Latinorum nemo interfuit præter Basilium quemdam Cortynæ in Cræta Episcopum (Marca *lib.* 5. *cap.* 18. §. 3. *et* 4.). Conditi canones centum et duo. Sergius P. ut adsensum illis suum præberet, induci non potuit. Espen. *in diss. in Synod. Trull.* Conf. Pagius ad *ann.* 692.

VII. *Nicænum II.* ad tollendam de imaginibus controversiam ann. 787. indictum est quidem á *Constantino* et *Irene Augg.* nec invito tamen *Hadriano* (5). In-

(1) *Card. Noris in diss. de Synodo quinta lib.* 1. *cap.* 7. *Pagius ad ann.* 553. *n.* 8.
(2) *Joann. Garnerius diss. de Synodo quinta cap.* 5.
(3) *Natalis Alexander Sæc. VII. diss.* 1.
(4) *In diss. apolog. pro actis sextæ Synodi.*
(5) *Natalis Alexander Sæcul. VIII. dissert.* 3. *artic.* 1. 2. *Pagius ad ann.* 785. *n.* 4.

Digitized by Google

terfuerunt, inter quos eminebat *Nicephorus*, ex aula viri primarii, qui providerunt, ne quid præter morem Majorum ordinemque fieret (1). Septem actionibus controversia omnis sopita est. Canones ejus sunt duo et viginti. *Richer lib.* 1. *cap.* VII.

VIII. *Constantinopolitanum IV.* indixit *Basilius Macedo* ann. 869. (2) Editi canones viginti et septem (3). Præter legatos sedis Apostolicæ subscripsit etiam Imperator non formula *definiendi*, quæ Episcoporum propria est, sed *consentiendi*. Conf. *Natalis Alexander cit. diss.* §. 12.

* Hæc illa octo sunt Orientis generalia Concilia, *quæ Romani Pontifices usque ad unam apicem immutilata servare, et pari honore ac veneratione digna habere, et quæ prædicaverunt et statuerunt, modis omnibus sequi et prædicare, quæque condemnaverunt, ore et corde condemnare* in electione profitebantur. Vid. Gratian. *dist.* 16. *can.* 8. *et Liber diurnus Rom. Pontif. pag.* 37.

§. CLXII.

Concilia generalia Occidentis.

I. *Lateranense I.* quod ann. 1122. *Callixti II.* auspiciis congregatum est, occasionem præbuit dissidium Sacerdotii et Imperii, non multo ante probabili temperamento compositum (§. XCII.). Hujus Concilii *duo* supra *viginti* canones vulgatæ Conciliorum editiones numerant. *Septemdecim* vetus codex scriptus Monasterii Anianensis, ex quo illos edidit *Steph. Baluzius*, nec habet plures codex Vaticanus, ut testatur *Baronius*.

* Conf. Baluzius apud Petrum de Marca *lib.* 8. *de Conc. sac. et Imp. cap.* 21. Natalis Alexander *Sæc. XII.*

(1) *Espen diss. in synod. Nicæn.* §. 2.
(2) *Natalis Alexander Sæc. IX. diss.* 4. §. 11.
(3) *Richer. lib.* 1. *cap.* 12. §. 11. *seqq.*

Digitized by Google

diss. 4. *art.* 20. Berardus *tom.* 1. *pag.* 545.

II. *Lateranense II.* sub *Innocentio II.* vita et moribus gravi viro ann. 1139. indictum est ad extinguendum schisma, quod pacem Ecclesiæ aliquamdiu turbabat. Conditi canones *viginti* et *octo*.

* Conf. Natalis Alexander *Sæc. XII. diss.* 6. *art.* 3. Berardus *part.* 2. *tom.* 2. *pag.* 471. *seqq.* Joann. Cabassutius *in notit. Concil. part.* 1. *cap.* 85. De canonibus hujus Concilii intelligo Ordericum Vitalem *Histor. Eccles. lib.* 13. dum ita scribit: *Anno* 1139. *Innocentius II. Concilium Romæ habuit. Multa illis Papa de priscis codicibus propalavit; integrum sacrorum decretorum textum congessit; sed nimis abundans per universum orbem nequitia terrigenarum corda contra Ecclesiastica scita obduravit. Unde remeantibus ad sua Magistris Apostolica decreta passim per regna divulgata sunt. Sed nihil ut manifeste patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt: quoniam à Principibus et optimatibus Regnorum cum subjectis plebibus parvi pensa sunt. Ap.* Andream du Chesne *Script. Histor. Norman. pag.* 919.

III. *Lateranense III.* ann. 1179. celebratum est: Interfuerunt Episcopi trecenti. Præfuit ipse, qui indixit, *Alexander P. III.* (1). Schismati, quod occasionem præbuit Concilio (2), ne qua in posterum rima pateret, decretum est, ut nulla Romanis Pontificis electio rata haberetur, in quam duæ partes Cardinalium non conspirassent. Editi canones *viginti* et *septem*. *Natalis Alexander cit. diss. art.* 4. *et* 5.

* Conf. Espen *in diss. ad Concil. Lateranense, ejusque canones.* Et Salmon. *de stud. Concil. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 1. *et art.* 2. §. 3.

IV. *Lateranense IV.* ann. 1213. indictum est quidem ab *Innocentio III.* sed anno demum 1215. celebra-

(1) *Natalis Alexander Sæc. XII. diss.* 9. *art.* 2.
(2) *Espen diss. histor. in schisma Sæc. XII.*

Digitized by Google

tum in Basilica, à qua nomen habet. Præfuit ipse Pontifex ingenti Prælatorum legatorumque numero (1). In hoc tam illustri Christianæ Civitatis conventu præter alia multa ad privatam magis quorumdam, quam publicam rem Christianorum pertinentia, explicata est incidius adversus repetitos Albigensium conatus Catholica fides: damnatus Liber *Joachimi* Abbatis (2) adversus *Petrum Lombardum* immoderate scriptus: damnatum porro *Almarici* insanum dogma, multaque alia de coercendis puniendisque hæreticis decreta; quæ quæ jure constituta sint, disputat *Natalis Alexander* (3). Edita sunt etiam complura disciplinæ decreta: *Septuaginta* hujus Concilii nomine in decretalium libris inscripta exstant, de quibus *Matthæus Paris* coævus scriptor hæc prodidit memoriæ: *Facto prius ab ipso Papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio capitula septuaginta, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa.*

*. Certe sunt viri quidam eruditi, quibus plerique ex his canonibus non Concilii ipsius, sed Pontificis tantum decreta fortasse post dissolutam synodum edita putantur. Espen *diss. in Synodo Lateranensi* §. *ult.* cui tamen junge Natalem Alexandrum *Sæc. XIII. diss.* 1. *art.* 2.

V. *Lugdunensi Concilio* I. quod anno 1245. indictum est, celebratumque *Lugduni* urbe Galliæ, occasionem præbuit præter alia maxime dissidium, quod *Fridericum* II. Imp. et summos Pontifices *Gregorium* IX. *Cœlestinum* IV. *Innocentium* IV. vehementer collisit (4). Auctor Concilii et Præses fuit *Innocentius*. Episcoporum ex Anglia et Gallia numerus fuit satis magnus *Fridericum*

(1) *Natalis Alexander Sæc. XIII. diss.* 1. §. 1.
(2) *Florens in Comment. ad. tit.* 1. *lib.* 1. *decret.*
(3) *Sæcul. XIII. diss.* 2.
(4) *Natalis Alexander Sæc. XIII. diss.* 5. *art.* 1. *Espen diss. in Conc. Lugd. I.* §. 1.

Imp. quod se, ut à Pontifice mandatum est, Concilio ipse non stiterit, quamquam per Oratores suos, et pacis conditiones probabiles, obtulerit, et impacta sibi crimina diligentissime diluerit, non solum à communione fidelium exclusus, verum etiam imperatoria regiaque dignitate *præsente quidem Concilio*, non etiam approbante, imo *non sine omnium audientium et circumstantium stupore et horrore*, ut ait *Matth. Paris*, indignus est declaratus (1). Canones ejus feruntur septemdecim. Nam Concilii ipsius, an Pontificis sint decreta, haud vana dubitatio est.

* Matthæus certe Paris ætatis illius scriptor egregius *quædam eorum ante Concilium, quædam durante, quædam vero post Concilium esse statuta* scribit. Quid? quod illa quoque, quæ durante Concilio esse statuta prodidit, an Concilio tribui possint omnia, non sine gravi conjectura ambigat eruditissimus Espenius *loc. cit.* §. 3. *seqq.*

** Concilium Lugdunense primum non esse, nec fuisse Concilium Œcumenicum, contendit ratione non contemnenda Auctor *tract. de potestate Ecclesiastica, et temporali pag.* 80.

VI. *Lugdunense II. Gregorius X.* nondum primo regiminis anno elapso indixit Lugdunum, celebratum anno 1274. Præsidium penes Pontificem fuit. Patrum numerus ingens, si *Ptolomeo* Lucensi credimus. Absolutum est trium mensium spatio *sex sessionibus*: unus supra triginta canones editi *ad emendandam subversionem morum, quæ universaliter in Clero graviter obrepsisse videbatur et populo.* Conf. Espen. *dissert. in Concil. Lugdun. II.* et *Natalis Alexander Sæc. XIII. diss. 7. seq.*

VIII. *Viennense* Concilium indictum est à *Clemente V.* jam anno 1307. Indicendi causa negotium fuit Tem-

(1) *Espen cit. dissert.* §. 2. *Natalis Alexander cit. dissert. art.* 3. *et schol.* 10.

Digitized by Google

plariorum equitum, qui jam dudum gravium scelerum infamia laborabant; hæreticorum errores, et disciplinæ reformandæ necessitas (1). Inchoatum est quadriennio post ann. 1311. Interfuerunt Episcopi, aliique Prælati magno numero, quem auxit *Philippus Pulcher* Rex Francorum, et aliorum Principum Oratores. Præfuit Pontifex. Perfectum est tribus sessionibus. *Decreta Disciplinaria hujus Synodi maximam libri Clementinarum partem absolvunt*, ait *Rauttenstrauch in proleg. pag.* 104.

* Ita est, si qua est fides inscriptionum. Sed hanc reor esse valde tenuem. Vid. Espen *in observat. in Clementinas, observ. ult. pag. m.* 542.

VIII. Quæ deinde habita sunt *Pisanum*, *Constantiense*, *Basileense*, *Florentinum*, *Lateranense V.* et *Tridentinum*, quoniam de his dixi alibi copiose, hoc loco omittenda putavi.

§. CLXIII.

Objectum Concilii Ecclesiastici quale?

Hoc quidem extra omnem est controversiam positum, Concilii *non legitimi* (§. CLIX.), et ab Ecclesia *reprobati* (§. CLX.) auctoritatem esse prorsus nullam. Sed etiam in definienda legitimæ Synodi auctoritate, opus est cautione. Atque hoc in primis constare satis arbitror *Concilii tametsi generalis potestati non alia esse subjecta negotia, quam quæ societatis christianæ finem salutemque respiciunt.* Colligo id ex fine hujusmodi conventuum; ex natura potestatis illius, quam Ecclesiæ traditam à *Servatore* accepimus, atque ex ipsa potissimum veteri observantia, ex qua quidem apertissimum est, hæc totius nominis christiani tamquam Comitia non alia unquam de causa fuisse coacta. *Fidei* à *Christo* acceptæ et ab Apostolis traditæ sincera doctrina: *morum* ad chris-

(1) *Natalis Alexander. Sæc. XIV. diss.* 10.

Digitized by Google

tianam pietatem confirmatio: *divini cultus* externus decor: *regiminis sacri* prudens et ad formulam divinitus præscriptam attemperata ordinatio, constitutioque *Ecclesiasticæ disciplinæ*: hæc illa sunt nimirum, in quibus sapienter deliberandis sanciendisque vetus Ecclesia operam suam exercebat insigni et modestia et utilitate. Quæ ad horum caput aliquod referri non poterant, ea tamquam à curis suis aliena ne attingebat quidem.

Schol. Conf. Gibert. *incorp. jur. canon. tom.* 1. *pag.* 79. *seqq.*

§. CLXIV.

An etiam negotia profana?

Sed intra hunc modum parum se continuit ætas recentior. Nec causa in obscuro est. Nempe duo maxime infelicis ejus ætatis præjudicia ingenuum nobis vetustatis candorem abstulerunt. Unum est, quod summos populorum Principes, illos maxime, qui fidem professi *Christo* se dediderant, imperio Ecclesiæ nullo dempto negotio, subjectos esse statuebat. Quod licet à *Magistri* institutione alienissimum, huc tamen injuria temporum valuit, ut de Imperatoribus ac Regibus, de bello ac pace, de successione in regna ac provincias, deque aliis sexcentis hujusmodi minime sacris negotiis, judicia in Conciliis pro auctoritate exercerentur (1). Alterum isto haud minus fertile, cujus se vindicem *Innocentius* præbebat (2), Clericos non civili, sed Ecclesiasticæ jurisdictioni subjicit. Vestigia hujus opinationis in actis et canonibus Conciliorum Latinorum passim obvia indicare nihil est necesse (3). Atque illa ego in his fero moderate. Infelicitati temporum imputo, quæ sinceris destituta subsidiis ve-

(1) *Fleurius diss.* 3. *in Histor. Eccles.* §. 10.
(2) *Fleurius diss.* 4. *in Histor. Eccles.* §. 7.
(3) *Gibert tom.* 1. *corp. jur. canon. pag.* 224. *art.* 3.

Digitized by Google

ritatem difficulter cernebant. Nec tamen vereor, ne morosioris stomachi homines in vitio ponant, si conservata Conciliis, quam par est, debita veneratione, præferendam putavero novitati vetustatem, perspectaque doctrina Ecclesiæ opiniones deseruero hominum nixas rationibus, quarum vel speciem veri, qui jam pergat tueri serio, vix quemquam reperias probabilis doctrinæ virum.

Cor. I. Ex his primum consequens est, ut moderate ac circumspecte utendum sit auctoritate Conciliorum in iis controversiis, quæ Regum supremam potestatem, rerum publicarum gubernationem, belli ac pacis jura, debitam supremis potestatibus obedientiam, aliaque his similia concernunt. Quod vellem animadvertisset Auctor *Anti-Febronii vindicati part.* 1. *diss.* 2. *cap.* 5. §. 5. *pag.* 414.

Cor. II. Deinde ut decreta, quæ de rebus ac negotiis mere profanis eduntur in Conciliis, vim legis potestatemque non habeant, nisi ea Principum adsensu probata esse constiterit.

§. CLXV.

Quæ auctoritas Concilii Generalis circa fidem ac mores?

Reliqua Conciliorum Generalium decreta, alia quidem *mores* ac *fidem* Christianorum, alia *disciplinam exteriorem*: interdum *de personis scriptisque* singulorum, et *factis* minime revelatis *judicia* respiciunt. His judiciis quanta insit auctoritas, ipsi adeo inter se Theologi dissident (1). Quod dogmatica vero Conciliorum Generalium ac legitimorum decreta concernit, ea sane firmissimum præbent in fidei ac morum controversiis dirimendis argumentum. Nam quum in his infallibile sit Concilii Ec-

(1) *Vid. Opstraët de loc. Theol. diss.* 4. *quæst.* 5. §. 2. *et* 3. *Witasse in loc. Theol. de Concil. quæst.* 7. *seqq.*

Digitized by Google

cumenici perinde, atque Ecclesiæ ipsius, quam repræsentat, judicium; nihil restat, nisi ut adsensum illis, atque obsequium præstemus tamquam legibus non novis, sed ad ipso *Deo* scriptura vel traditione promulgatis *Opstraët loc. cit.* §. 1. *seqq.*

Cor. I. Ceterum dogmata, definitiones, censuræ Synodorum non sunt ejusdem classis, nec acervatim in uno fidei divinæ cumulo ponendæ, ut ait Auctor *principior. jur. public. Eccles. cap.* 6. §. 41. Alia namque 1. inquit, definiuntur *ut dogmatica fidei divinæ*: alia velut *conclusiones Theologicæ*: alia laudantur *piæ salutaresque consuetudines.* 2. Nonnulla placent *ut probabiliora*: multa studio relinquuntur *indefinita*; aut talibus involvuntur terminis, ut neutra pars altercantium Theologorum conqueri possit. 3. Neque rationes decidendi, quas allegant Concilia, ejusdem omnes sunt ponderis: miscentur demonstrationibus argumenta mere probabilia et verosimilia: interdum sinistre applicatur auctoritas Patrum: interdum adoptatur ex philosophia opinio minus firma. Conf. Opstraët *loc. cit. pag. m.* 204. 4. Quum allegatur Scripturæ textus à Concilio, non est illico de fide, illum sic et non aliter debere intelligi. 5. Quæ obiter à Concilio aliter deliberante occasione sermonis immiscentur, non sunt definitiones, nisi alibi conciliariter decidantur. Hæc ille.

Cor. II. Quum Ecclesiam dicimus falli non posse *in quæstionibus juris*, id non de quibusvis juris quæstionibus, sed de quæstionibus juris divini revelati, atque in scriptura vel traditione comprehensi par est intelligi. Unde vere Pallavicinus *in Hist. Conc. Trid. lib. 7. cap.* 14. *n.* 2. *In aliis rebus*, inquit, *quæ vel ad rem gestam, vel ad jus humanum pertinent, quinam sunt inter canonum interpretes, negantes errori Pontificem subjacere.*

Digitized by Google

§. CLXVI.

Quæ circa disciplinam?

Eadem est canonum disciplinarium ratio. Neque enim dubitare possumus, quin spectata Ecclesiæ universæ potestate, vis eorumdem ad omnes pertineat *Christianos*. Hoc interest, quod morum ac fidei decreta perpetua sint atque immobilia. *Quia enim audacia fit*, inquit *Athanasius, ut post sancti Concilii Nicæni auctoritatem, disceptationes super quæstionibus instituantur?* Canones vero, tamquam qui intra vim humanæ legis consistunt, etiam ex quo rite sunt promulgati, mutationem ex justa causa factam minime reputant. Quid? quod in his decernendis nec ea sit omnibus mens Ecclesiæ, ut custodiam eorum acceptationemque invitis obtrudi populis, justaque de causa relictam illis velit?

Cor. I. Atque hoc genuinum est certissimumque fundamentum, quo se non iniquæ, libertatesque suas, ac firmatis usu diuturno consuetudines, Ecclesiæ particulares tuentur: nec sinunt iis etiam per canones in Concilio editos præjudicium inferri, ut scite observat eruditissimus Endres. Harum autem libertatum protectionem quoniam sibi commendatam habent summi Principes; quum præterea juribus atque institutis Regnorum vim à quoquam fieri nec debeant pati, nec possint, *placiti regii* necessitas in his quoque recipiendis manifesta est. Gibert *tom.* 1. *pag.* 155.

Cor. II. *Ut hodie*, inquit Auctor *princip. loc. cit.* §. 59. *ex Conciliis promatur principium firmum juris publici, oportet præter legem scriptam ostendi observantiam.* Canonem ob ea, quæ nunc ad modum dicta sunt, non improbo. Ceterum videri posset interdum commodis rei Christianæ magis consentaneum pro regula teneri id, quod annis prope mille sequuta est religiose Ec-

Digitized by Google

clesia, quam quod his postremis sæculis toleravit magis, quam provavit, idque egit maximo studio, ut quantum ferebat infelicium temporum ratio, emendaret.

§. CLXVII.

Quæ Concilia particularia?

Atque hæc de Conciliis Generalibus hactenus. Particularia tria nunc genera passim viri docti distinguunt: *Nationalia*, ad quæ conveniunt diversarum provinciarum ejusdem præsertim nationis Episcopi: *Provincialia*, quæ à Metropolitano coguntur ex Episcopis provinciæ suæ potestati subjectæ: et *Diœcesana*, ad quæ Episcopus nobiliorem Diœcesis suæ partem opportunis temporibus convocat. Addunt his nonnulli *Patriarchalia*, quale fuisse in Occidente Arelatense primum existimabat *Pagius*. Nec dubium est, quin, si quis adcurate monumenta Ecclesiastica diligenterque expenderit, deprehensurus sit habitos interdum conventus Episcoporum, qui ad aliquam ex enumeratis speciebus referri commode vix possint.

Schol. Conf. Benedictus XIV. *de Synod. Diœces. lib.* I. *cap.* I. §. 3.

§. CLXVIII.

Quanta auctoritas?

Synodorum quoque particularium decreta interdum regulam faciunt universæ Ecclesiæ. Quod tum fit, quando instar Conciliorum generalium ubivis recepta sunt. Quomodo Sardicensem olim synodum Latinam Græci, et quædam Orientis particularia Concilia in codicem Ecclesiæ universæ illata, Latini pro suis recipiebant (1).

(1) *Espen. in diss. de Cod. can. gener.* §. 3.

Digitized by Google

Ceterarum autem vis ad eos dumtaxat pertinet, qui constituentis synodi potestati subjiciuntur (1). Neque hos ut ligent, summi egent Pontificis confirmatione (2). In quam opinionem induxit scholam commentum *Gratiani* ita scribentis: *Episcoporum Concilia invalida sunt ad definiendum et constituendum, non autem ad corrigendum* (3). Nam quæ hæc temeritas est, Episcopis à Spiritu Sancto positis Ecclesiam *Dei* regere, abjudicare potestatem suas oves legibus obstringendi, quibus obtemperare cogantur (4)? Merito itaque reprehendendus est *Gratianus*, inquit *de Marca* (5), *qui novum jus introducere conatus est in decreto suo, nimirum, posse quidem Concilia hæc causas judicare, et criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen novos canones condere, non constituere aliquid, vel definire.*

Schol. I. Verisimile est, inquit Espenius *in Commentar. ad part.* 1. *decret Gratian. cit. dist.* Gratianum hauc limitationem circa auctoritatem Conciliorum Episcopalium excogitasse, ut canones hic relatos conciliare videretur cum fragmentis è falsis decretalibus per ipsum præcedenti distinctione, id est, decima septima relatis, in quibus adseritur: *Non esse ratum Concilium, quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ fultum non fuerit*, ut habet summarium fragmentum falsæ decretalis Julii I. relatum *can.* 2. *dist.* 17. vel ut habet summarium *can.* 6. *Provincialia Concilia sine Romani Pontificis præsentia ponderè carent.* Quum enim Gratianus videret, non posse negari, Concilia provincialia juxta canones Antiochenos, aliosque etiam bis in anno convocanda et celebranda esse, nulla de auctoritate et præsentia Romani Pontificis ejusque approbatione, aut ejus legati præsen-

(1) *Benedictus XIV. de Synodo diœcesana lib.* 13. *cap.* 4. §. 5. *seqq.*
(2) *Bened. XIV. lib. cit. cap.* 3.
(3) *Dist.* 18. *in princ.*
(4) *Bened. XIV. lib. cit. cap.* 4. §. 3.
(5) *Lib.* 6. *cap.* 14. §. 13.

Digitized by Google

tia facta mentione; conciliationis gratia, et ut interim ipsa Concilia quodammodo Romani Pontificis auctoritati subjiceret, effectumque sive executionem ab ejus approbatione dependentem redderet, hanc circa eorum auctoritatem condendi canones limitationem adinvenit, qua mediante, hæc Concilia sine auctoritate Romani Pontificis celebrata omni fere pondere destituta essent *contra pristinam consuetudinem per decem et amplius sæcula observatam.*

Schol. II. Atque hæc hodie satis nota sunt. *Tamen* dissimulandum non est, ait de Marca, Cardinales Congregationis institutæ pro explicatione Concilii Tridentini, auctoritatem illam quibusdam limitibus circumscripsisse, vim apertam inferendo verbis decreti Tridentinæ synodi, quum declarant: *Concilia provincialia publicanda non esse antequam sedes Apostolica consulatur.* Sed declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia.

§. CLXIX.

Modò sint vera ac sincera.

Quod de Conciliorum usu et auctoritate dictum est, id ad ea tantum pertinere Concilia, quæ vera sint ac genuina, vix est ut moneam. Quare antequam de Concilii auctoritate decernatur, diligenter exquirendum est, vera sint, quæ dicuntur synodi alicujus acta, utrum ficta; sincera an interpolata. Nam et commentitia prostant permulta et quibusdam illatam vim dubitandum non est. Qua ex re historiæ sacræ usus, et criticæ necessitas apparet.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE CONSTITUTIONIBUS ROMANORUM PONTIFICUM.

§. CLXX.

Constitutionum Pontificiarum.

Seu eminens Romanæ sedis inter ceteras dignitas, seu illorum, qui huic præfuerunt ob sanctitatem vitæ ac doctrinam existimatio, seu demum, quod proprius verum judico, dignitas simul atque existimatio causa fuerit, illud profecto certissimum est, constitutiones, quæ ab illa sede proficiscebantur, permultum valuisse omni ætate, quoties vel de fide luculentius explicanda, vel de formandis Christiani populi moribus, vel de sacrorum stabilienda disciplina agebatur. Probavit hoc multis atque egregiis testimoniis eruditissimus *de Marca*. Neque tamen parem omnium habitam fuisse rationem patet. Alia enim *rescriptorum* vis est, alia *constitutionum*. Illa nulla nec supplicatione prævia, nec consultatione, relatioveve *motu proprio* editarum. Et juris quidem nostri pars potior ex hujus generis legibus collecta est. Quo magis cavendum est nobis, ne, non rite consultata earumdem auctoritate, aut detrahatur aliquid de vi atque efficacia, quam illis deferri a nobis æquum est, aut præter modum, ac sine delectu iis adhærentes, dum augere dignitatem sedis primariæ conamur, imprudentes eam labefactemus.

Schol. Prudenter enim a Melchiore Cano elegantissimi juxta, ac acutissimi ingenii viro dictum est: *Qui summi Pontificis omne de re quacumque judicium temere ac sine delectu defendunt, hos sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovere; evertere, non fir-*

Digitized by Google

mare... Nam quid tandem adversus hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint, non judicio, sed adfectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ suscipere? nec id agere, ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed ut ipse ad alterius sensum voluntatemque convertat? Non eget Petrus *mendacio nostro, nostra adulatione non eget.*

§. CLXXI.

Circa dogmata auctoritas.

Itaque hoc primum satis constat, Pontificiarum constitutionum genus esse duplex. Nam vel *dogmaticæ* sunt, quæ ad res fidei ac morum, vel *disciplinares*, quæ ad ritus ac disciplinam sacrorum, externamque politiam Ecclesiæ constituendam pertinent. Illarum auctoritas quanta nobis esse debeat, nondum satis liquet. Neque enim transacta adhuc inter Theologos est controversia de infallibili Pontificum Romanorum in fidei causis judicio. Hoc adfirmari pro certo potest, etsi propiorem vero demus sententiam Gallicanæ Ecclesiæ, quæ summi Pontificis de his rebus judicium negat esse per sese firmum ac irreformabile, nisi editum ex consensu Ecclesiæ; temere tamen atque insipienter facturum, quisquis ei nec hanc volet exhibere venerationem, quæ debetur decretis saltem interim valituris. Est hoc necessarium ad pacem Ecclesiæ obsequium, est debita primatui subjectio, quam si cuique integrum futurum est pro arbitratu suo contemnere, nescio, quam valide cohæsurum sit vinculum, quo exterior ac visibilis Catholicæ communionis unitas potissimum continetur. Sed de his quidem sanctioris disciplinæ Magistri viderint.

Digitized by Google

§. CLXXII.

Quæ circa disciplinam?

Earum porro constitutionum, quæ disciplinam spectant (§. CLXXII), *aliæ* quidem omnes in universum Christianos respiciunt, aliæ ad Ecclesias singulas diriguntur. Quæ posterioris sunt generis, pro constituentium voluntate vim obligandi finibus singularum Ecclesiarum circumscriptam habent. Hujusmodi sunt, quas summi Pontifices pro suis ditionibus in Italia promulgant, quod voluisse præsumi debent, si decretum Italica lingua conceptum edunt. Superioris vero generis quæ sunt, illæ vero patent tam late quidem, quam coetus ipse fidelium, verum ea, quæ humanis inesse potest, efficacia, quam temperari interdum, nonnumquam etiam prorsus tolli, aut suspendi pro tempore nihil vetat.

§. CLXXIII.

An opus consensu Episcoporum?

Sed ad conciliandam istam his constitutionibus obligandi universalem efficaciam, sunt, qui præter Romani Pontificis auctoritatem, Episcoporum etiam expressum vel tacitum consensum desiderant. Atque ego quidem, etsi condendarum hujus generis legum potestatem non ausim summo Antistiti abjudicare, ita censeo, Episcoporum in admittendis *novis constitutionibus* judicium non esse prorsus nullum. Nempe hunc esse ordinem regiminis in Ecclesia a *Christo* institutum, suo loco ostendemus, ut licet unum è multis elegerit eximia præditum potestate, qui universo gregi dominico curam impenderet ac sollicitudinem, hac tamen id fecerit lege, ut nihil suprema illa sollicitudo detraheret de po-

Digitized by Google

testate, quam ipse pariter *Christus* in unumquemque Episcopum confert, regendi scilicet plebem suæ immediatæ inspectioni commendatam. Itaque vix esse potest dubium, quin suprema, quæ inest primatui, auctoritas, eo sit temperamento exercenda, ut ab ejus communione Episcopi arceri minime possint; maxime, quod nemo his rectius noverit locorum varia adjuncta, quibus saluberrima in se instituta si adversentur, repugnanti non sine justa causa populo eadem obtrudi, ab imperii sacri lenitate videtur abesse quam longissime. Et vero quid esse tandem causæ potest, cur minus desiderari putemus in constituenda nova lege universali consensum Episcoporum extra Concilium, quam in Concilio?

Schol. Collegit aliqua Gratianus in decreto, quæ huic doctrinæ adversari videantur. *Dist.* 19. *canon.* 1. 2. 3. 4. *et* 5. sed nihil habent difficultatis, si fragmenta hæc ad fontes suos revocata sine præjudicio expendantur. Conf. de Marca *lib.* 2. *cap.* 16. cum additione Baluzii *loc. cit.* Jac. Benign. Bossuet *in defens. Cler. Gallic. part.* 3. *lib.* 10. Aicher *de Eccles. et polit. potestat. cap.* 8. §. 3. Zalwein *in princ. jur. Eccles. tom.* 1. *quæst.* 4. *cap.* 2. §. 7.

§. III. CLXXIV.

An, et quali promulgatione?

Teneamus igitur hoc tamquam certum, ut decreta hujusmodi atque instituta Pontificum universum ligent Christi populum, acceptatione Episcoporum et facta in singulis Diœcesibus legitima promulgatione opus esse. Non enim possum iis adsentiri, qui postremis his temporibus persuadere nobis omni studio conati sunt, præter solemnem, quæ in urbe fieri solet, promulgationem, aliam omnino requiri nullam, quo pontificiis institutis omnes ubivis gentium Christiani obligemur. Non

Digitized by Google

possum ego, inquam huic sententiæ, adsentiri, quippe quæ non modo regimini christianæ societatis divinitus ordinato adversa est (§. CLXXIII.), verum usui etiam multis sæculis observato religiosissime ab universa Ecclesia: quam, et si nihil illa ambigeret, datam sibi à *Christo* potestatem, qua jure posset, atque pro auctoritate decernere, quæ ad rem christianam promovendam expedire judicaverit, tamen hanc suam potestatem exercuisse accepimus, ut suis decretis obligari nollet quemquam, antequam per provincias rite promulgata fuissent.

Schol. Quod est à Giberto ostensum luculentissime *tom. 1. corp. jur. can. part. prior. titul. 9.* cui junge de Marca *lib. 2. cap. 15.* Zalwein *tom. 1. quæst. 4. cap. 2. §. 7.* Ludit non sine ingenio in hac re Franc. Zech. *in Prænogn. jur. can. §. 120. seq.*

§. CLXXV.

An consensus Principum?

Et fallitur profecto, qui hanc ipsius Ecclesiæ auctoritate firmatam consuetudinem, novissimo Romanæ Curiæ stilo abrogatam comminiscuntur. Qui sane stilus, ingenti licet conatu, huc nondum adduci potuit, ut dempta Italiæ exigua parte, christianis populis se probaret, non ignaris scilicet, hanc ejus inducendi causam exstitisse præcipuam, *quod passim hodie*, verba sunt *Barthelii*, *in orbe christiano*, *ipso adeo Regno Neapolitano*, *Reges et Principes sæculares non permittunt publicationes*, *antequam leges istæ sint à Parlamentis vel Magistratibus revisæ et approbatæ*, *et Regis consensus accedat*, *qui vocatur* Placitum Regis... *id quod displicet Romanis* (1). Atque usum quidem hujusmodi, observantiamque nemo est facile tam ab experientia destitutus, ut in controversiam audeat adducere. Verum

(1) *In Annotat. ad jus canon.*

Digitized by Google

rationem ejus sunt, qui se dicant *nullam* perspicere. Sunt præterea, qui *Ecclesiasticæ libertati* adversam vehementer contendunt. Quod quidem neutrum verum est. Jus enim *Placiti Regii* pars est potestatis illius, quam *jus supremæ inspectionis* compellant civilis doctrinæ Magistri: quo quidem, quoniam imperio civili per sese inest, si quis privare conetur Principem, is eadem opera imperium illi, majestatemque ipsam eripere conetur. Neque vero metuendum est, ne si Principum inspectioni obnoxia dicentur Pontificum instituta, horum videamur auctoritatem infra Regum majestatem detrudere, rerumque sacrarum administrationem imperio civili subjicere, inanis inquam hic metus futurus est. Non enim in eo versatur examen isthoc atque judicium, sitne constitutio Pontificia præceptis religionis conformis, an adversa; recta, an erronea; saluti animarum utilis futura, an secus; quam sibi potestatem unquam adrogarunt religiosi Principes: sed in hoc, sitne in ea quidquam, quod Juribus Regiis, Regni privilegiis, quod legibus Patriæ, aut libertati, securitative civium repugnet: quarum rerum judicium ecquis est, qui audeat negare Principibus? aut si horum eveniat aliquid, quis inique facturum imperantem dixerit, si non sinat publicari legem nocituram populo, cujus felicitatem sibi novit à *Deo* concreditam?

Schol. I. Præclare Stokmannus: *Populo*, inquit, *his moribus ab omni memoria adsueto, exemplis tam illustribus donis instructo, tot rationibus, et Nationum consensu suffulto, atque adeo adstipulatione ipsius Pontificis munito, qui nunc bullas quasvis in acie campi Floræ promulgatas pro legibus obtrudi posse volunt, sine placito Principis, sine examine Consiliariorum regiorum, idque Proceribus Curiæ Romanæ blandiloquentia sua confidenter inculcant, eos ego neque probos cives esse ajo, quod præsentem Reipublicæ statum et res bene compositas conturbent, neque bonos Romanis consiliarios sugge-*

Digitized by Google

rentes consilia in præsens speciosa, eventu turbida, et effectu cassa futura. Tract. de jur. Belg. circ. Bull. Pontific. recept. cui junge Petr. de Marca *lib.* 2. *cap.* 12. §. 8. *cap.* 16. §. 5. *et* 6. *lib.* 4. *cap.* 21. Van Espen *tractat. de promulgat. leg. Eccles.* et Gasp. Barthel *de jure reform. antiq. art.* 8.

Schol. II. Quod de consensu Nationum dicentem audivimus Stokmannum, id vero certissimum est. Neque enim ullum est regnum maxime Catholicum, in quo usus hic non publica lege firmatus sit, ut vel ex Febronio constare potest *tom.* 1. *cap.* 9. §. 8. *et in append.* 1. §. 24. Nos quoque hoc jure utimur. Exstare in Archiepiscopalis Ecclesiæ Strigoniensis Archivo Regium in eadem sententia diploma vetus à viro audivi fide dignissimo. Sed inspiciendi ejus copiam obtinere nondum licuit, adeo studiose hæc apud nos occultantur omnia.

§. CLXXVI.

Quid si circa temporalia versentur?

Itaque ad vim obligandi universalem, præter primæ sedis auctoritatem, et Episcoporum canonicum consensum (§. CLXXIII.), promulgationem quoque in singulis Diœcesibus (§. CLXXIV.), non sine Principum adnutu faciendam (§. CLXXV.) necessariam esse, hinc manifestum est. Auctoritatem vero primæ sedis dum requiro, jam abunde mihi videor indicasse, non aliis ejus legibus ac decretis hanc à me efficaciam attribui, quam illis, quæ de rebus ad religionem pertinentibus condita sunt. Omnis namque primatus sacri potestas christianæ societatis regimen, non civilis respicit, in qua gubernanda adeo *Christus* eo instituendo, nihil detractum voluit de majestate Regum, ut ipsos etiam sacrorum Antistites eorum subesse legibus fateatur ingenue *Nicolaus I.* Pontifex in epistola ad *Michaëlem* Imperatorem:

Digitized by Google

Quum ad verum ventum est, ait, *Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque decrevit, ut ea Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur.*

Schol. Nempe hinc prorsus evidens est, profanis Pontificum institutis nullam inesse vim quantum ad id, quod temporalem continent, nisi quæ usu recepta fuisse constiterit. Quo loco confirmari possunt illa, quæ alibi de usu et auctoritate corporis juris canonici tradita sunt. Conf. Pereira *in diss. de potest. Metropolit. in Episcop. prop. V. ap.* Le-Bret *tom.* 3. *pag.* 376.

§. CLXXVII.

Quid Rescripti nomine veniat?

Nunc ad *Rescripta* venio, quæ *litterarum* simplici nomine interdum in jure nostro veniunt (1). Sunt *constitutiones speciales, quæ à summo Pontifice per modum solemnium litterarum ad certas personas diriguntur* (2), interdum quidem motu proprio (3), plerumque tamen vel de ambigua juris sententia consulto, vel moto singulorum precibus: ad quas quæ dantur responsa, proprie et in sensu strictiore Rescripta vocari solent.

Schol. Expediuntur Rescripta *solemni forma*, et ad receptum in Curia Romana stilum, à quo si qua in re discessum est, suspicio est, an non mendaci quadam manu subjecta sint, *cap.* 6. *de crim. falsi*, *cap.* 12. *de*

(1) *Vid. cap.* 14. 17. 19. *de rescript.*
(2) *Gonzalez in comment. ad cap.* 3. *de rescript.*
(3) *Cap.* 23. *de præb. in* 6.

Digitized by Google

privileg. de solemni autem hac expeditione egit explicate Espen *in Jur. Eccles. univ. part.* 1. *tit.* 23. *cap.* 5.

§. CLXXVIII.

Quædam dantur ad præviam consultationem.

Permagni semper æstimata sunt rescripta sedis Romanæ, quæ ad juris jam constituti uberiorem explicationem confirmationemque pertinebant. Magnus est ex hoc genere in *Gregorii IX.* collectione numerus, quem Pontificem alibi dictum est ingenti in id studio incubuisse, ut decidendis fori quæstionibus necessitatem præcideret consulendi Romani juris, cujus in tribunalibus Ecclesiasticis auctoritatem iniquiore animo ferre videbatur (§. LXIX.). Non persequar, quæ hinc sequuta sint incommoda. Hoc moneo, quæ his decretis inest auctoritas, eam hanc dumtaxat partem respicere, qua consulentis interrogationi satisfacere conatur Pontifex (1). Atque hæc ideo studiose secernenda est non tantum à præfatione rescripti, ceterisque, quæ illi extra propositam speciem adsuta sunt, sed etiam à rationibus, quas interdum Pontifices sententiis suis adjiciunt.

Schol. I. Ac nescio sane, an satis honori sedis Romanæ consulant, qui omnia à Pontificibus dicta in hoc genere, scriptaque tam anxie colunt, ut vel suspicari de veritate sibi ducant religioni. Quo qui animo sunt, eis vidéo credendum deinceps, quatuor illa Ezechielis animalia figuram fuisse quatuor Patriarcharum, ut est in præfatione *cap.* 8. *de majorit. et ob.* Cognationem intra quartum gradum concludi, eo quod quatuor sint in humano corpore humores, qui ex quatuor elementis componantur, quæ est ratio reddita *in cap.* 8. *de consanguin. et affin.*, ut alia his similia permulta nunc omit-

(1) *Cap.* 10. *de privil. in* 6.

Digitized by Google

tam, quorum aliqua indicavit eruditissimus Berardus, *part.* 2. *tom.* 1. *pag.* 2. *seq.*

Schol. II. Cum hoc genere rescriptorum confundi minime debent epistolæ familiares, quibus sæpe olim Romani Pontifices respondebant consulentibus, ut non necessitatem imponere obediendi, sed ut quid sibi potissimum in re dubia tenendum videatur, significarent. Fuit hic primis temporibus mos usitatissimus, ut ex Augustini, Cypriani, Basilii liquet epistolis. Consulebant interdum ipsi etiam Pontifices, ut Leo M. Paschasinum, Syricius Mediolanensis Ecclesiæ clerum, alii alios.

§. CLXXIX.

Quis? à quo? quibus in rebus impetrari potest?

Rescripta, quæ ad preces singulorum dantur (§. CLXXVII.) vel *justitiæ* administrationem concernunt, vel continent *gratiam* supplicanti concessam. Utrumque genus à superiore impetrandum est, eo nimirum, qui suprema potestate gaudet. Impetrare vero unusquisque potest non pro se tantum, sed et pro alio etiam interdum (1), cui hoc jure vetitum non est (2). Impetrari etiam contra quemlibet possunt rescribentis imperio subjectum (3). Quod ipsum huc etiam valet, ut intelligatur, non alia seu gratiæ, seu justitiæ valitura esse rescripta, nisi quæ intra justos potestatis limites data sunt. Ex qua causa inutile Pontificis rescriptum est, quod in rebus mere profanis, inque iis editur negotiis, in quibus circumscripta ejus potestas est (4), quodque legibus Regnorum, ac consuetudinibus (5) Ecclesiarum particularium, concordatis

(1) *L.* 6. *Cod. de precib. Imp. offer. L.* 24. *Cod. de procur.*
(2) *Cap.* 26. 33. *de rescript. cap.* 1. *eod. in* 6. *L.* 2. *Cod. de summ. Trinit.*
(3) *Cap.* 13. *de rescript.*
(4) *Trid. sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.*
(5) *Inst. P. O. art.* 5. §. 25. *art.* 17. §. 3.

Digitized by Google

et observantiæ (1), aut juribus alteri legitime quæsitis adversum est: *cap.* 10. *de rescript. in* 6. *cap.* 10. 29. *de privil.*

Cor. Habes hic rationem tam genuinam, quam solidam, et *placiti Regii*, et *recursus ad Principem*, si quid adversus Patriæ jura, libertatemque per rescripta Pontificia attentatum est. Schroodt *Inst. jur. can. lib.* 1. §. 136. *seqq.* Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 7. 9. 15. §. 8. 9. Bohmer *lib.* 1. *tit.* 3. §. 8. 25.

§. CLXXX.

Vitium precum quale?

Rescriptorum ratio præcipua sunt preces Pontifici oblatæ (§. CLXXVII.). Unde etiam iis non apposita tacite semper inest conditio: *Si preces veritate nitantur* (2). Quæ si deficiat, nullam inferunt obsequii necessitatem (3). Deficit autem in rescriptis per *sub* et *obreptionem* impetratis (4). Quapropter integrum est tam judici, ad quem rescriptum dirigitur, in veritatem precum inquirere (5), et suspensa tantisper executione ad superiorem de vitio referre (6); quam ei ad quem res pertinet, opposita exceptione probataque impugnare (7). Mendax enim precator carere debet impetratis, præcipue si dolus ejus arguatur. Nam cum eo, qui per ignorantiam aut simplicitatem imposuit, humanius agendum videbatur: *cap.* 20. *de rescript.*

Schol. Conf. Gonzalez *in comment. ad cit. cap.* 20. Jan. à Costa *ad Decret. pag.* 22. Franc. Florens *tom.* 1.

(1) *Capitul. Cæs. art.* 14. §. 1.
(2) *Cap.* 2. *de rescript.*
(3) *Cap.* 5. *eod.*
(4) *Cap.* 6. 20. *de rescript. cap.* 7. *de fid. instrum.*
(5) *Cap.* 5. 20. *de rescript.*
(6) *Cap.* 5. *eod. cap.* 2. 8. *de off. jud. deleg.*
(7) *Cap.* 19. *de rescript. Bohmer h. tit.* §. 10. *seqq.*

Digitized by Google

pag. 109. Quænam vero exprimi in libello necesse sit ut vitetur precum vitium, si quæras, generatim hoc dici potest: cuncta quæ *natura* rei, *lex*, *receptus* in Curia *stilus* exigunt. Hunc *Agentes* in Curia optime edocebunt. Natura rerum varia est adeo, ut una concludi ac certa regula nequeat. Quæ autem jure sunt determinata, adcurate satis ac fideliter ex aliis descripsit Schroodt *loc. cit.* §. 218. *seq.* quem ipsum tamen emendare possis ex Florente *tom.* 1. *pag. m.* 101. *seq.*

§. CLXXXI.

Quod rescriptum falsum?

Ut *precum falsitas* omnem interdum vim rescripto adimit (§. CLXXX.), ita etiam *falsitas ipsius rescripti.* Nempe falsum præsumitur rescriptum, tametsi veræ sint preces, si quid in solemni ejus expeditione vitii admissum est (§. CLXXVII. Schol.), si rasuram continet vel lituram in loco suspecto (1), si vitium in latino sermone manifestum appareat (2), vel mandatum ferat nimis durum atque insolitum (3) præjudicans tertio, ejusve juribus derogans: *cap.* 2. *et* 10. *de rescript.*

§. CLXXXII.

Genuini rescripti quæ vis?

Rescripta jus faciunt inter partes tantum, non commune (4). Quod idem in sententiis à summo Pontifice, ac multo magis ab ejus Curia in causis privatorum pro-

(1) *Cap.* 6. *de fid. instrum.*
(2) *Cap.* 11. *de rescript.*
(3) *Cap.* 5. *eod. et cap.* 5. *de conf. utili vel inut.*
(4) *Schroodt loc. cit.* §. 217.

Digitized by Google

nunciatis obtinet (1). Et quoniam ea, quæ gratiæ sunt (§. CLXXIX.) à solo pendent concedentis voluntate, vim adipiscuntur à die *datæ* (2), nec morte concedentis perimuntur, etsi illa executionem antecurrat (3). Justitiæ vero rescripta vim habent ex eo demum tempore, quo judici, cui inscripta sunt, presentata sunt. Ex quo fit, ut morte concedentis, si modo res sit integra, exspirent (4), uti et morte illius, cui expresso nomine mandata est executio. Nec ad hæredem vim ejus transire verius existimo (5). Effectu etiam caret ex accidenti, si, qui impetravit, per annum uti dolo ac fraude cessat (6). Exspirant denique tam *renunciatione* ejus in cujus favorem data sunt, quam concedentis *revocatione*: *cap. fin. de rescrip.* Florens *tom.* 1. *pag.* 193.

Schol. In rescriptis interpretandis hæc tenenda sunt. 1. Verba rescriptorum accipienda sunt quidem in *sensu proprio* ac *conformi stilo* Curiæ, è qua prodierunt: attemperanda 2. tamen semper *fini* atque *intentioni* rescribentis. Unde fit 3. ut tam gratiæ quam rescripta justitiæ *stricte* sint interpretanda: præcipue 4. tum, quando juri alieno derogant. Habenda quoque est ratio *clausularum*, quarum nonnullis practici eximiam vim attribuunt. Sed ex quo ejus generis formulæ stili magis, quam Concilii Pontificii speciem præ se cœperunt ferre, nescio quam valde inniti illis liceat. Conf. Oberhauser *in prælect. jur. canon. h. tit.* §. 6. Schroodt *loc. cit.* §. 221. *segq.*

(1) *Zech. in præcogn.* §. 208.
(2) *Schroodt* §. 223, *cui junge Bohmer* §. 23. *et Florens tom.* 2. *pag.* 313.
(3) *Cap.* 5. *de rescript. in* 6. *cap.* 9. *de offic. jud. deleg. eod. Vid. cap.* 36. *de præb. in* 6.
(4) *Cap.* 19. *de offic. jud. deleg. Zech.* §. 344.
(5) *Cap.* 36. *de rescript. Gonzalez ibid.*
(6) *Cap.* 9. *cap.* 23. *de rescript.*

Digitized by Google

§. CLXXXIII.

Quid sit privilegium?

Ad rescripta gratiæ referri possunt *privilegia*, seu *jura à summo Pontifice personis suæ potestati subjectis, et in causis ab ea non alienis* (1) *contra jus commune ex justa causa ita concessa* (2), *ut nec juri alieno* (3), *nec communi Ecclesiæ bono præjudicium inferatur* (4). Unde differt *privilegium* et à *jure singulari* (5), et à *dispensatione*, per quam certa persona à legis cujusdam obligatione in casu determinato eximitur.

Schol. Conf. Siegel *dissert. de genuino privilegiorum conceptu.*

§. CLXXXIV.

Vis privilegii.

Sive autem *Personale* sit privilegium, quod *personam sequitur, et extinguitur cum persona* (6); sive *Reale*, quod rei veluti dignitati vel officio adhæret (7), et ad quosvis in re successores transit (8), eo legitime concesso illa intelliguntur concessa omnia, quæ indulgeri salvo cujusque tertii jure, ac salva communi Ecclesiæ salute potuerunt (§. CLXXXIII.), quæve verbis ejus, ac vi potestateque continentur (9). Itaque jus tribuit qui-

(1) *Cap.* 10. *de foro compet.*
(2) *Cap.* 25. *de V. S.*
(3) *Cap.* 9. *de sepult. cap.* 22. *de V. S.*
(4) *Cap.* 19. *de testib.*
(5) *Cap.* 12. *de foro comp.*
(6) *Cap.* 7. *de reg. jur. in* 6.
(7) *Cap.* 16. 21. *et* 33. *de privileg.*
(8) *Cap.* 6. *de instit.*
(9) *Bohmer* §. 239.

Digitized by Google

dem impetranti suo utendi privilegio intra limites concessæ gratiæ (1), inutilemque efficit tam actum sibi adversum (2), quam sententiam contra productum in judicio privilegium dictam (3); quoniam tamen à jure communi abit, exceptionemque à regula constituit (4), strictiorem habet interpretationem (5): itaque semper intelligendum est, ut nec justitiam lædat, nec æquitatem. Nam et per se effectum amittit, simul atque publicæ saluti noxium esse incipit (6). Neque tamen ita vim ejus decet enervare, ut nihil concessum videatur, cujusmodi callidas interpretationes arcet *cap. 30. de privileg.* In concursu privilegiorum, cujus sit potior habenda ratio, docet *Struckius de jure privileg. contra privilegiat.*

Schol. In regula: privilegiatus contra privilegiatum communi jure utitur. *L. 11. §. 6. de minor.* Sed hoc tum potest recipi, si par utriusque conditio est, et par sit robur utriusque privilegii. Nam ceteroquin, ut favendum illi magis est, qui vitare damnum, quam qui facere lucrum nititur, ita validius privilegium infirmiori, et speciale præferre generali æquissimum est.

§. CLXXXV.

Quibus modis cessat privilegium?

Exspirat privilegium variis modis. Primum quidem *renunciatione* illius, cui datum est, *expressa* vel *tacita*, quæ interdum ex *non usu* annorum quadraginta rectissime inducitur (7). Porro concedentis *revocatione*,

(1) *Cap. 7. 26. de privil. cap. 5. de excess. Prælat.*
(2) *Cap. 10 de elect.*
(3) *Cap. 21. de sent. et re jud.*
(4) *Caus. 26. quæst. 2. can. 3. &*
(5) *Cap. 7. 19. de privil.*
(6) *Cap. 9. 34. de decim. cap. 2. de immunit.*
(7) *Cap. 6. cap. 15. de privileg.*

Digitized by Google

maxime si ad *beneplacitum* concessum est (1). Est etiam justa revocandi causa *abusus privilegii* (2), aut major Ecclesiæ ipsius utilitas (3). Illud clarum est, finiri *tempore* pro quo concessum est, *rei* quoque, cui cohæret, *interitu*, et *sublata qualitate* personæ, quam solam respiciebat. Conservatur autem *innovatione* et confirmatione superioris, quæ per se tamen sola novi juris nihil tribuit *cap.* 13. *de privil. cap.* 4. *de confirm. util.* et ibi *Bohmer.*

Schol. De Conservatoribus privilegiorum vid. *cap.* 1. *cap.* 15. *de offic. ac potest. jud. deleg. in* 6. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *de reformat.* et Du Cange *in gloss. h. v.*

CAPUT V.

DE AUCTORITATE SANCTORUM PATRUM.

§. CLXXXVI.

Patres Ecclesiæ Episcopi.

Patrum Ecclesiæ geminus est ordo. Unus Episcoporum est. Nam et hos priscis temporibus Patres fuisse appellatos testatur aliquoties *S. Augustinus*, et è Græcis *S. Epiphanius*, dum ait: *Episcoporum ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet; hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio* (4). Sed hic sunt patres imperio præditi, quorum adeo pro auctoritate publicata instituta, non testimonii vim ex sententia ac probitate dicentis, æstimandam, verum legis habent potestatem, ut ex iis liquere potest, quas de Synodorum particularium auc-

(1) *Cap.* 5. *de reseript. in* 6.
(2) *Cap.* 11. 24. *de privileg.*
(3) *Cap.* 3. *eod.*
(4) *Hæres.* 75. *n.* 4.

Digitized by Google

toritate, canonumque in eis conditorum efficacia nuper à nobis dicta sunt copiosius.

§. CLXXXVII.

Proprie Patres qui dicantur?

Alter est ordo Patrum, quos communi consensione Ecclesia recipit tamquam viros singulari divini Numinis providentia sibi datos, ut traditam à *Christo* sanctisque ejus discipulis fidei ac morum doctrinam incorruptam tuerentur, transmitterentque ad posteritatis memoriam. Nimirum promisit *Christus* disertis verbis, adfuturum se Ecclesiæ suæ usque ad consummationem sæculi: ob eam causam dedit ei primum quidem *Apostolos*, qui fidem prædicando fundarent, et exiguam in principio *Christi* familiam per orbem universum propagarent; tum *Pastores* etiam, ac *Doctores*, qui promulgatam ab illis fidem et illustrarent scriptis egregiis, et contra insultus inimicorum cavillationesque, ac corruptos Christianorum mores fortiter deinceps propugnarent. Atque exstiterunt sane omni tempore viri doctrinæ ac pietatis fama etiam apud hostes incliti, qui hoc egregie functi munere effectum dederunt studiis suis, ut, quod in tanta rerum ac temporum vetustate mireris, explorata teneamus, fides non modo quovis sæculo Ecclesiæ qualis fuerit, quive mores; verum etiam, quæ publice privatimque observata disciplina. His igitur tamquam custodibus ac depositariis fidei ac traditionum, quo uti modo nos deceat, nunc expediendum est.

§. CLXXXVIII.

Quæ Patrum auctoritas?

Aqceps est de una Patrum et auctoritate disceptatio

Digitized by Google

quæ non Catholicos modo, et Protestantes, verum ipsos adeo inter se tam Catholicos, quam Protestantes disjungit. Qui moderate sentiunt (atqui hi procul dubio recte sentiunt) ita Patrum *antiquitati*, *doctrinæ*, *probitati*, et quæ ex his junctis virtutibus necessario existit, *auctoritati* deferunt, ut tamen sibi religioni non ducant, *salva honorificentia*, *quæ illis debetur hominibus*, *aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere*, *si forte invenerint*, *quod aliter senserint*, *quam veritas habet*, ut ait apud *Gratianum dist.* 9. *can.* 10. *S. Augustinus.*

Schol. Acrem se cum primis adversarium Patribus præbuit, qui sub mendaci nomine Phereponi animadversiones scripsit ad opera S. Augustini Joannes Clericus: quem pro eo, ac par fuit, erudite ac fortiter repulit Ant. Muratorius in præclaro *de ingeniorum moderatione* libello. Dallæo autem, cujus ob librum *de usu Patrum* magna apud suos fama est, præter Natalem Alexandrum respondit egregie Scriverius *in apologia pro Sanctis Ecclesiæ Patribus.* Notus quoque est libellus Joannis Barbeiracii *Traitè de la morale des Peres de l' Eglise*; cui Cellier opposuit: *Apologie de la morale des Peres de l' Eglise contra Mons. Barbeirac.*

§. CLXXXIX.

In rebus fideî ac morum.

Itaque primum in his, quæ fidem Christianorum, moresque concernunt: *Si quid doceant consentientes inter se Patres*, *aut divinis expressum litteris*, *aut traditum esse à majoribus*, *certissima eorumdem nobis sit auctoritas*, *oportet.* Est hoc decretum Synodi Tridentinæ (§. CXLI.), cui jam dudum præluserant Græci in Synodis Trullana et Ephesina ipsius freti auctoritate *Apostoli* (§. CXLVII.), quem locum respiciens

Digitized by Google

Vincentius Lirinensis: *Enimvero*, ait, *quum scripturam sacram pro ipsa suimet altitudine et obscuritate non uno eodemque sensu omnes accipiant, sed aliter atque aliter alius atque alius interpretetur, ut pene quot homines, tot illinc sententiæ erui posse videantur... necesse fuit, ut propheticæ et Apostolicæ interpretationis linea propter tam varii erroris anfractus secundum normam aliquam dirigeretur. Ob id ergo post Prophetas, Apostolas, et Evangelistas, Sanctos quoque Doctores accepimus, quo eorum catholicam, hoc est, universalem intelligentiam tamquam Ecclesiæ regulam à Deo præscriptam sequeremur. In commonit.* §. 2.

Cor. I. Dum Patrum consentientem requiro auctoritatem, facile intelligitur, unius, duorumve Patrum etiam in iis, quæ ad fidei doctrinam referuntur, auctoritatem non adeo firmam esse, ut suspicari interdum non liceat de veritate. Præclare iterum Vincentius Lirinensis *loc. cit.* §. 3. *Quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* Quod ipsum quidem tum obtinet maxime, quando ipsi inter se dissident Patres ajentibus his, illis negantibus. Canus *de locis Theol. lib. 7. cap.* 3.

Cor. II. Aliud est, quum Patres non id agunt, ut quid credere nos, quidve agere ex lege Dei oporteat, doceant, sed ut testentur, quid suis temporibus Ecclesia crediderit, egeritve. Nam hoc casu necesse non est omnium, aut pene omnium testimonia vocare in subsidium, ut constare nobis pro certo possit, eam tunc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam fuisse. Opstraët *de locis Theol. diss.* 6. *quæst.* 3. §. 2. *pag. m.* 354.

Digitized by Google

§ CXC.

In rebus aliis.

His demptis fidei negotiis, in ceteris non debet esse tanta etiam *Sanctorum* auctoritas, ut non liceat nonnumquam ab eis, qua par est, modestia facere secessionem, si quando junior ætas melioribus instructa subsidiis noverit rectiora (§. CLXXXVIII.). Neque enim *antiqua Sanctorum Patrum consensio in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum certe præcipue in fidei regula magno nobis studio et investiganda est, et sequenda* (1). Unde de se *Augustinus*: *Ego solis*, inquit, *eis scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre; ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non adsequutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. In Epist. 19. ad Hieronym. alias 82. cap. 1. n. 3.*

§. CXCI.

An certior Pontificia?

Ut hi autem, qui *Augustini* moderatam hanc in judicando libertatem modeste usurpant, nulla digni reprehensione videntur: ita odi temeritatem scholæ in negligenda Patrum auctoritate. Largiar, ubi de negotio

(1) *Vincentius Lirinensis in commonit.* §. 28.

Digitized by Google

quodam per modum judicii definiendo res est, in qua non doctrina tantum, sed potestate quoque opus est, qua destituuntur Patres (1), sententias Pontificum prævalere Patrum sententiis: at negabo prævalituras, ubi de intelligendis divinis litteris, deque contestanda, interpretandave antiqua seu traditione, seu observantia agetur. Non enim in his potestatem atque imperium, sed vetustatem requiro, doctrinam, integritatem, fidem, quæ quidem in Patribus, quam Pontificibus sæpe majora sunt; certe numquam inducar, ut probem illam *Cornelii Mussi* plenam adulatione adsertionem: *Ego ut ingenue fatear, plus uni summo Pontifici crederem in his, quæ fidei mysteria tangunt, quam mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis.*

§. CXCII.

Regulæ de usu Patrum.

Præter hæc vero ex *Augustino* et *Vincentio Lirinensi* tradita de recto Patrum usu præcepta, alia sunt haud minus illi necessaria, qui ex veteris cujusdam, ac Sancti scriptoris loco pugnare instituit. Probare enim is 1. debet: *Scriptorem, cujus in rem suam auctoritate utitur, aut parem, aut certe haud valde remotum ab ea vixisse ætate, de cujus fide, moribus, observantia, testimonium perhibet.* Atque in universum ad rectam veterum scriptorum intelligentiam permultum refert, qua quisve ætate scripserit, exploratum habere. Probare debet 2.: *Opus, quod laudat, legitimum esse parentis fœtum, cujus nomen præsefert, locumque ipsum, qui adfertur in medium, sincerum esse, nihilque depravatum.* Constat enim non integra modo opuscula maxime primæ ætatis Patribus mendaci manu subjecta fuisse, verum genuina quoque per fraudem corrupta, interpolataque. Sunt aliqua in iis vetustatis ipsius vitia, quæ

(1) *Dist.* 20. *can.* 1.

Digitized by Google

ignavia librariorum, ac mediæ ætatis incultissima barbaries, ipsaque adeo fortasse interdum criticorum intemperantia numero auxit haud modico. 3. *Firmandus deinde est is, qui loco illius esse dicitur sensus ita, ut constet, eo non alienam, sed auctoris ipsius sententiam contineri.* Qua in re præter generales illas hermeneuticæ artis præceptiones, quas sanior Logica tradit, permagno esse usui possunt regulæ, quas, qui de legendis atque interpretandis sanctorum Patrum scriptis præcipiunt, adcuratius solent, ac diligentius exponere. 4. *Videndum est denique, an ea constans Patris sententia fuerit, num forte, quod inconsulta fudit ætas, castigaverit jam facta maturior: propria eadem ipsius, an communis exstiterit cum pluribus?* aliaque complura his similia in subsidium vocanda sunt, quæ singula persequi uberius nimis abest ab instituto meo.

Schol. Totum hunc locum tractavit unus omnium diligentissime Auctor opusculi *de methodo optima legendorum Ecclesiæ Patrum in quatuor partes distributi, 8. maj. Aug. Vindelic. ann. 1766.*

CAPUT VI.

DE SUMMORUM PRINCIPUM CONSTITUTIONIBUS.

§. CXCIII.

Principum constitutiones.

Erunt, scio, permulti è nostris, qui mirabuntur, dum inter juris sacri fontes summorum Principum constitutiones relatas legerint. Egregium vero, inquient, concordiæ publicæ Magistrum! nam quid hoc est aliud, quam humana divinis miscendo, æterni sacerdotium inter et

Digitized by Google

imperium belli causam subministrant? Sed hos ago, si qui sunt, rogatos velim, ne piscam Batinum doctrinam hujus sæculi commentis metientes, Ecclesiæ disciplinam ad scholæ suæ præjudicia expendant: neve se ea decipi persuasione sinant, quasi nihil umquam ab iis perceptis diversum obtinuerit, quæ ipsi à parentibus suis, Præceptoribusque didicerunt. Principum Christianorum non esse ullam in rebus sacris dirigendis potestatem, et *S. Augustinus* nobis auctor est, et nos ipsi alio loco probatum dedimus multis, iisque certissimis tam testimoniis veterum, quam exemplis Imperatorum Regumque, quos quidem in Ecclesiam indulgentissimos Principes nemo audeat in suspicionem usurpatæ per summum nefas potestatis non suæ adducere. Adeo vero prisca illa ac beata ætate nemo fuit, ne ex ordine quidem Clericorum, qui se induci pateretur, nihil ut Principum hæc instituta ad se pertinere crederet, aut *S. Chrysostomi* palam confiteretur, Christianis hanc esse in ceteris legem præcipuam, quæ illos Potestatibus à Deo institutis obedientes esse jubeat. Sero nimis in eam opinionem delapsi sunt mortales, ut æquum putarent majestatem divinæ potestatis vicariam contemnere, quam ut à quoquam sanæ mentis homine probari possit.

§. CXCIV.

Quatenus huc pertinent?

Nec tamen ii sumus nos, qui civili Regum potestati omnia sine discrimine subjecta esse velimus. Habet enim suos hæc Regum, ut illa tam Conciliorum (§. CLXIII.), quam Pontificum (§. CLXXVI.) Majestas, divino consilio præscriptos limites, quos sit transiliire utique pariter nefas. Non est hujus loci, limites isti qui sint, explicatius dicere. Ut ne tamen nesciamus, quomodo recte hoc loco in ista, quam tractamus, juris parte uten-

Digitized by Google

dum est, juvat eum paucis quibusdam, iisque, nisi valde fallar, minime controversis regulis circumscribere.

§. CXCV.

Regula prima.

Prima hæc esto: *In causis mere spiritualibus solis utimur regulis Ecclesiæ*: idque facimus auctoritate Majorum, quos exploratum est, ea semper in sententia fuisse, ut crederent, sacrarum rerum administrationem non Imperatori, sed Ecclesiæ Pastoribus à *Servatore* concreditam fuisse. *Tibi Deus imperium commisit*, dicebat Imperatori *Hosius* Cordubensis, *nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit... neque fas est nobis imperium tenere, neque Tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes, Imperator* (1). Aliorum præterea testimonia suo loco à nobis producta.

Cor. I. Ex hac regula hoc fit primum consequens, ut quas de his rebus pertulerunt leges sæculi Principes, illæ vim obligandi non habeant, nisi ab Ecclesia probatæ receptæque. Vid. de Marca *in proleg. pag.* 59. *seq.*

Cor. II. Ecquid autem, si summi Principes de hoc etiam rerum genere leges promulgent, non ut ipsi per sese quidpiam decernant, sed ut judicia Ecclesiæ decretaque muniant, executionemque promoveant, an similium etiam legum vim nullam esse putabimus? Minime vero. Nam isthoc dum reges agunt, utique suo jure utuntur, cui parere nos plane necesse est. Conf. de Marca *loc. cit. pag.* 61.

Schol. Atque hæc quidem satis certa sunt. Illud non æque liquet, quæ nomine *mere spiritualium* censenda sint. *Dogmata* quidem, et *Sacramenta*, et his adjuncti *ritus* hoc nomine continentur. At multis *Ecclesiastica*

(1) *Ap. Athanasium in epist. ad solit. vit. agent.*

Digitized by Google

negotia, et *spiritualia* eodem jure censentur, quo fit, ut ab iis prorsus, atque ab his Principum potestatem penitus removeant. Quod quidem faciunt parum adcurate, et cum magno Regum suorum præjudicio. Exempla in promptu sunt.

§. CXCVI.

Regula secunda.

Alteram habete hanc: *Principum leges, quæ de rebus profanis disponunt, sine distinctione laicos (quos) ac Clericos obligant, (nisi) quatenus eorum aliquem gratis Principis exemptum voluit.* Fundamentum regulæ est præceptum *Christi*, quo nos Paulo interprete, omnes sublimioribus potestatibus non propter iram tantum, sed etiam propter conscientiam subditos esse voluit. Nec hoc præceptum ad eos duntaxat pertinet Christianos, qui laicorum in numero sunt, verum ad Ministros etiam Ecclesiarum, id quod præ cæteris disertis traditum est à *Joanne Chrysostomo*, ut appareat, novitiam esse, et parum certis nixam principiis doctrinam eorum, qui nobiliorem hanc civium partem imperio civili subductam volunt.

Cor. I. Quapropter non recipio id, quod est nimis vage scriptum ab Innocentio III. *in cap.* 10. *de constitut.* Quæ in eam sententiam Gonzalezius *ad cap.* 7. *eod.* commentatus est, nimis sunt inepta, quam ut mereantur attentionem. Conf. de Marca *lib.* 2. *cap.* 7. §. 8. *et cap.* 11. §. 2, 3. *et* 6.

Cor. II. In causis mere civilibus solum constitutiones civiles Principum attendendas esse recte præcipit eruditissimus Rauttenstrauch §. 143. Quæ autem his subjecta est exceptio: *Nisi forte Reges et Principes ex peculiari erga Religionem ejusque ministros Clericos affectu, causas quasdam etiam civiles tribunalibus Ecclesias-*

Digitized by Google

tiis voluerint esse relictas; ea quidem oppido falsa est. Neque enim Princeps, qui exemptionem à foro civili Ministris Ecclesiarum gratiose indulsit, eosdem etiam à legum suarum observatione ob id exemisse dicendus est. Et tribunalia Ecclesiastica, quæ de causis quibusdam profanis ex privilegio judicant, intuitu causarum hujusmodi non tam Ecclesiastica, quam sæcularia tribunalia censenda sunt, civilibus proinde legibus in judicando adstricta. Lites, quæ de appellationibus ad Nuntium Apostolicum Germaniam interdum gravius exercuerunt, observationis istius usum perspicue ostendunt.

Cor. III. Ajo: *Nisi quatenus eorum aliquam gratia Principis exemptam voluit.* Quibus verbis id etiam significare volui: exemptiones hujusmodi ex *legibus Patriæ* æstimandas esse, non, quod inepte fieri passim video, ex *jure* vel *Decretalium*, vel *Romano*, nisi his fortassse Regnorum observantia suffragetur. In dubio autem parendum est Regni legibus. Et si de immunitate controversia indicat, Judicis sæcularis ea notio est, non Ecclesiastici. Præcipio hæc parum nostris placitura, qui nihil solent probare, quod Pichlerus, Fagnanus, aliique his similes non docuerunt. Sed mihi præ his omnibus charior est veritas.

§. CXCVII.

Regula tertia.

Ex superioribus duabus fluit tertia: *Causas mixtas utrique ex æquo sacræ ac civili potestati subjectas esse.* Ex quo consequens est, ut si quid Reges quoad id, quod est in his temporale, disponant, procul dubio obligent. Nihil enim inconcinnius est vulgato illo Scholasticorum dicto: *Spirituale tamquam nobilius post se trahit temporale.*

Digitized by Google

§. CXCVIII.

Regula quarta.

Addo his quartam, veram illam quidem, sed cautè ac prudenter adhibendam, ne in abusum abeat: *Quum de conscientia agitur, legesque civiles ab Ecclesiasticis discrepant, has nobis non illas sequendas esse.* Sive enim consuetudo illa sit, sive constitutio, quæ absque mortali peccato observari non potest, abrogandam esse decernit *Concilium Lateranense in cap. fin. de præscript.* Quod cautè dixerim, ac prudenter adhibendam esse hanc regulam, ejus vero hæc ratio est, quod ipsum adeo *Innocentium PP. III.* illa parum scite *in cap. 13. de judic.* usum fuisse, jam dudum doctiores interpretes observaverint. Conf. *Espen part. 3. Jur. Eccles. univers. tit. 1. cap. 2. §. 14. seq.*

§. CXCIX.

De usu juris Romani.

Atque hæc de civilibus cujusque Regni constitutionibus dicta sumpto. Nec illas excludo penitus veterum Imperatorum de sacris leges, quarum Romani juris corpus numerum non contemnendum exhibet. Sane dubium nullum est, quin earum etiam in judiciis Ecclesiasticis permagna olim auctoritas fuerit (1). Cœperunt quidem jam inde à sæculo XI. variis, iisque speciosis interdum de causis vim earum angustiores intra limites coërcere Romani Pontifices; nec impedire tamen potuerunt, quo minus plerisque in Regnis una cum jure canonico in subsidium tacite magis, quam expresse reciperetur. Ex quo ipso fit, ut de auctoritate illa, præterquam ex usu

(1) *Vid. Natalis Alexander Sæc. VI. cap. 7. art. 2.*

Digitized by Google

et observantia, cujus ipsius tamen mira varietas est, vix quidquam pro certo possit atque explorato constitui.

Schol. I. Dissidet in multis jus civile Romanorum à jure canonico, quod libris decretalium continetur. Causas dissidii ac progressionis investigavit Auctor *Princip. jur. public. Ecclesiast. cap.* 9. et ex illo Rauttenstrauch §. 139. *seqq.* Regulas in collisione tenendas alii alias præscribunt. Eas aut referre huc, aut examinare non vacat. Vid. Ill. de Riegger *diss. de orig. jur. Eccles. cap.* 5. ubi eas olim examinavi diligentius. Adde Ever. Ottonem *in prælect. can.* 1. *ad Boekelmann pag. m.* 41. *seq.*

Schol. II. Præcipuos sacri juris tam publici, quam privati fontes enarravimus. Sed cave existimes præter hos nullos esse alios speciales. Sunt enim persæpe sua Ecclesiis jura peculiaria, quæ ab his alias ac diversas causas habent. Gaudet Hungaria sua, eaque eximia in sacris libertate duobus præcipue fundamentis innixa: summa nimirum, atque independente Regum in temporalibus potestate: ac veterum receptorumque Ecclesiæ canonum, legumque comitialium, et consuetudinum Regni inviolabili custodia. Gaudet Germania suis juribus, iisque vel propriis Catholicorum, ut sunt Transactio Callixtina (§. XCII.), Concordata Nationis cum sede Romana (§. CVIII.), aliaque Ecclesiarum, Capitulorumque jura singularia: vid. *Capitul. Cæsar. art.* 14. §. 1. vel propriis Protestantium, Bohmer *in Princ. jur. canon.* §. 64. *seq.* vel demum utrique parti communibus, cujusmodi sunt jura, quæ ex legibus Imperii, inque his præcipue Pace religiosa (§. CXIX.) ac Westphalica (§. CXX.) ducuntur. Atque his nititur nexus Religionis Catholicæ et Protestantium per Germaniam, de quo Bohmerus, et nuper Ill. de Riegger exposuerunt.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE INTERPRETATIONE JURIS ECCLESIASTICI, EJUSQUE SUBSIDIIS.

§. CC.

Utilitas hujus capitis.

Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ duæ sunt partes, quarum altera in legibus Ecclesiæ scienter interpretandis, altera in causis ac negotiis ad earum normam judicandis versatur. (§. V.). Atque hæc procul dubio pars ejus nobilior est, utiliorque. Non enim scholæ, sed vitæ discendum est, omninoque sapienter disputant, qui jurisprudentiam legum esse ad causas in foro obvenientes transferendarum scientiam contendunt. Sed hanc legum apte prudenterque transferendarum scientiam vel nullam esse, vel lubricam valde, valdeque incertam, atque incultam sine *interpretandi scientia* consentiunt viri quique præstantissimi. Quam ob rem utilem me vobis rem acturum putavi, si, quibus hæc scientia legibus contineatur, quibusque instrui subsidiis debeat, quam fieri potest, brevissime exposuero.

Schol. *Hermeneuticam juris* duobus libris docte, nitide, eleganterque scriptis ita complexus est Chris. Henr. Eckard ut nihil videatur prætermississe, quod ad eam scientiam ornandam magnopere pertineat. Edita est *Jen. ann.* 1750. 8.

§. CCI.

Quid sit interpretatio?

Mens legislatoris ac sententia ex verbis legis recte acceptis deducta, est *verus legis sensus. Rationem* le-

Digitized by Google

gis voco id, ex quo, cur lex lata sit, intelligi potest. Verum legis obscuræ et ambiguæ sensum ex verbis ejus ac ratione determinare, idem est, *quod legem interpretari.*

Schol. *Interpretari* non is solum dicebatur olim, qui verborum sensum explanat; verum ille quoque, qui rem quamcumque aliis quocumque modo tradit. *Ex qua verbi ambiguitate*, inquit Eckard, *ille error natus est, ut rerum magis, quam verborum scientia multi crederent interpretationem contineri Scriptorum, et librorum juris... et tum demum se boni interpretis officio fungi putarent, si neglectis præsidiis Gramaticis è rebus dictorum sensum quærant*: §. 16.

§. CCII.

Quotuplex est?

Habet itaque omnis de interpretatione legum præceptio duas partes. Unam, quæ in sensu earum ex verbis: alteram, quæ ex ratione eruendo versatur (§. CCI.). Illam *Philologicam* appello, hanc *Philosophicam* interpretationem. Est autem Philologiæ in interpretando munus duplex, obscura scilicet atque ambigua declarare primum; tum vitiosa emendare, restituere interpolata, ac genuina à spuriis secernere. Hoc critica præstat, illud Gramatica, unde Philologica legum interpretatio vel *Critica* est, vel *Gramatica.*

Schol. Non potest ratio legis facile exquiri, nisi perspecto ejusdem litterali sensu. Hic autem nequit erui, ubi corrupta legis, aut interpolata est oratio. Perspicuum est igitur, primum in interpretando locum esse *Criticæ*, alterum *Gramaticæ*, postremum *Philosophiæ.*

Digitized by Google

§. CCIII.

Quid extensiva, quid restrictiva interpretatio?

Gramatica sensum canonis ex verbis declarat, vim ejus ac potestatem ex ratione ac finali causa, Philosophia (§. CCII.). Enimvero potest hoc evenire, ut vel ratio verbis, vel verba ratione latius pateant. Unde philosophica interpretatio vel *extensiva* est, vel *restrictiva*. Priore tunc utimur, quando ratio, quam verba canonis, latius patet. *Semper enim*, ut *Tertullianus* ait (1), *quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. Posteriori autem locus est, si verba latius ratione patent. Utraque æquitatem respicit, et ex scripto, quod non est scriptum, per ratiocinationem inducit. Legitimis enim ex ratione ac fine canonis conclusionibus eductis, veram ejus mentem demonstrat, verborumque asperitatem emollit, dum casus quosdam, qui verbis legis comprehenduntur, excipit: alios vero ad legis dispositionem referri docet, licet verbis legis non designentur. Eckard.* §. 36.

Cor. Hinc illæ sunt interpretandi vulgatæ regulæ 1. *Posita eadem legis ratione, eadem legis dispositio ponenda est.* 2. *Cessante legis ratione, cessat legis dispositio.* 3. *In omni interpretatione præcipua esse debet justitiæ æquitatisque, quam stricti juris ratio.* Huc refero illud 4. Ciceronis *in oratione pro Cæcinna cap.* 18. *An non, quum voluntas, et consilium, et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam, aut stultitiam singularem putabimus in verborum errore versari?* Unde 5. *cavillari*, non interpretari dicendus ille est, qui sententiam legislatoris adfingit, et conclusiones inde elicit à mente ejus alienissimas.

(1) *Leg.* 27. *D. de legibus.*

Digitized by Google

Eckard §. 45. Daries *tom.* 1. *observ. jur. nat. et gent observ.* 22.

Schol. De regula Hermeneuticæ: *favorabilia sunt extendenda, odiosa restringenda.* Vid. Daries *loc. cit. observ.* 23.

§. CCIV.

Quid authentica, quid usualis?

Quæ adhibitis Hermeneuticæ regulis verum canonis sensum investigat interpretatio, vocatur *Doctrinalis. Authentica* dicitur, quæ ab ipso fit auctore legis, et *usualis*, dum sententiam dubiæ legis ex consuetudine explicamus. Etsi vero neutra ad species interpretationis recte possit referri, sæpe tamen suadere ratio potest, ut interpretatio legis vel à legislatore ipso, vel è consuetudine atque observantia petatur. Quid si enim lex quæpiam ita obscura sit, ita ambigua, ut quæ illi sententia insit, nullo possit artificio elici? ut enim suæ quisque mentis sibi maxime conscius est, ita dubitari non potest, quin ex factis eorum, de quorum voluntate quæritur, ad intelligendam eorum mentem conjectura duci possit. Hac ratione scite *Callistratus* ajebat: *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpretes consuetudo. L.* 37. *de legib.*

Schol. Conf. Christ. Thomasius *in diss. de jur. consuet. et observ.* §. 12. et Eckard §. 37. *seq.*

§. CCV.

Quid ex analogia petita?

Quoniam multa in Ecclesia negotia sint, nec cano-

Digitized by Google

ne, nec observantia satis determinata, hinc fit, ut sæpenumero in disciplina juris Ecclesiastici ejus *analogia* in subsidium vocari debeat. Est autem analogia nihil aliud, quam *legis vel observantiæ ad negotium lege non comprehensum, ob rationis vel ipsius negotii similitudinem facta rite applicatio*. Esti, fateor, lubrica hæc, et sæpe fallax interpretandi ratio; nec tamen ideo penitus repudianda. Quod si analogia rationibus nitatur ex natura christianæ societatis petitis, et ex historiarum sincerismonumentis aperte probatis, si ducatur ex principio, quod vel ex ipsa negotii natura fluit, vel à vitis Ecclesiasticarum rerum peritis, nisi nihil esse in his certi velimus, non potest non pro explorato recipi: si præterea his momentis exempla jungantur ex prisca rerum memoria petita, aut valde fallor, aut cum argumento ex ea ducto nihil inesse ponderis ad persuadendum existimem, nulla ratio est.

Cor. I. Duo tamen in hoc genere cavenda sunt. Unum est, ne si negotium, de quo disceptatur, directa canonis vel observantiæ definitione jam satis determinatum est, ab ea putemus discedendum, nisi forte aliunde liquido constiterit, mutatum esse statum Ecclesiæ, mutatum canonicæ doctrinæ systema, nec quæ antiquioribus canonibus sancita sunt, nostris temporibus apta esse.

Cor. II. Alterum, ne dispositio canonis vel observantiæ ad negotium quodpiam transferatur, aliis prorsus rationibus subnixum. Ubi enim nulla est rationum similitudo, nullus etiam analogiæ juris locus esse potest.

Schol. Conf. Eckard. *in Hermeneut. Juris. pag.* 23. *et* 419. *seqq.* Nettelblatt *diss. de decisione casuum secundum analogiam. Hal.* 1750. Jo. Jac. Hoefleri *Jurisprud. analog. fundamenta. Altorf.* 1742.

Digitized by Google

§. CCVI.

Criticæ interpretationis necessitas.

De critica legum sacrarum interpretatione priore loco dicam (CCII. Schol.) Ejus in jure nostro usum esse haud magnum qui ita contendunt, ut pro certo adfirment, satis illi hoc suo judicio ostenduntˌ modicam se, aut certe perfunctoriam in libris juris nostri interpretandis operam collocasse. Non memorabo nunc, quod elegantiori doctrina viri norunt omnes, cultioris jurisprudentiæ Ecclesiasticæ initia ab eo tempore petenda esse, quo *Antonius Augustinus* aliique pauci eruditionem viri laudemque æmulati, ad intelligentiam canonum, historiæ criticæque studia conferre cœperunt. Etsi enim hac una re, criticæ quanta sit in his disciplinis necessitas, ostendere perspicue possim, tamen hoc exemplo non utar. Libri ipsi, quibus hoc, quo utimur, juris nostri corpus constat, tot nobis, tamque aperta argumenta suppeditant, nihil ut sit facilius, quam hujusmodi opinationis futilitatem commonstrare.

§. CCVII.

Ex libris juris probatur.

Nam quod est tandem genus vitii, in quo corrigendo criticæ peritus interpres versari debet (§. CCII.), cujus non multo plura in his libris exempla exstant, quam vel prudentiores cupiant, vel disciplinis nostris expediat? An enim desunt in decreto *Gratiani* mendosæ lectiones? (LXIII.) An *Raymundi de Pennaforte* non est manifesta interpolandi licentia? (§. LXX.) An collectio *Gratiani*, ex qua in decretalium libros complura migrarunt, spuriis fictisque monumentis non

Digitized by Google

refertissima est. (§. LX.) Hæc sane ita in promptu sunt, ut non tam de probanda criticæ interpretationis necessitate, quam de inveniendis tradendisque subsidiis solliciti essent viri sapientes, quorum ope emendari vitia tollique possent.

CAPUT VIII.

Adeundi sunt fontes.

In his ego primum facile locum dederim fontibus, è quibus fide inscriptionum depromptæ esse canones feruntur. Neque enim hos ipse inspexit *Gratianus* (§. LVIII.), eaque de causa persæpe lapsus in esse, dudum à perspicacioribus observatum est. Eadem est decretalium à *Raymunda* collectarum ratio. Nam et hic frequenter non modo mendax est, verum alienam etiam à mente Auctoris sententiam exhibet, quam refellere inspecto fonte nullius negotii est.

Scholion. Gratiani in hoc genere lapsus innumeri sunt. Exempla duo, sed apta ad præsentes mores dabimus. Ait Gratianus *caus.* 2. *quæst.* 6. *can.* 34. *Si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam à pauciori numero, quam constitutum fuerat, liceat provocare.* Est hic canon decimus Concilii Carthaginensis III. ap. *Harduinum tom.* 1. *Conciliorum pag.* 962. Sed mendose descriptus. Etenim in fonte, adjecta negandi particulâ ita legimus: *Non liceat provocare*, quam lectionem manuscriptorum Codicum auctoritas confirmat, ut testatur Jac. à Costa *in comment. ad decretal. pag.* 266. Porro canone Concilii Agathensis 32. decretum est: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem judicem Episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat.* Refert hunc canonem Gratianus *caus.* 11. *quæst.* 1. *can.* 17. sed in hunc modum: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non*

:

permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondat, vel proponat. Ex quibus evidens est, non modo à sententia Concilii Agathensis quantum distet Gratianus, verum etiam à disciplina sæculi sexti, quo ea Synodus celebrata est, ut constat tam ex cap. ex novellis Justiniani constitutionibus 79. 83. et 123. cap. 21., quam ex canone undecimo Concilii Epaonensis, quem Sirmondus exhibuit in hæc verba: *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum judicem non præsumant: sed si pulsati fuerint, sequi ad sæculare judicium* non morentur.

Schol. II. Utrum legatum rei alienæ valeat jure canonico, vetus est, et anceps disceptatio ob *cap. 5. de testam.* in quo hujusmodi legatum improbari videtur. Credidit Vinnius, Pontificem opinionis errore deceptum existimasse, rei alienæ legatum legibus Romanis ita sustineri, ut eam rem dominus etiam invitus justo pretio alienare cogatur *in comment. ad §. 4. Inst. de legat. n.* 2. Sed non is fuit Gregorius M. in quem tam supinæ ignorantiæ legum Romanorum suspicio cadere possit. Alii aliter expedire ambiguitatem capituli tentarunt, quæ penitus evanescit, si ad fontem redeas epistolam scilicet Gregorii M. quartam libri septimi, id quod liquidissime ostendit Espenius *in dissert. in quinque libros decretal. §. 4.* Similiter hæredis institutionem alterius arbitrio non recte committi, juri civili expeditum est. At Innocentius III. generatim cuique testatori permisisse creditur, ut extremam suam voluntatem in alterius dispositionem conferat *in cap. 13. de testam.* quam interpretationem fictam esse ex fonte ostendit Lud. Thomasinus *part. 3. lib. 2. cap. 47. §. 7.*

Digitized by Google

§. CCIX.

Consulendæ vetustiores collectiones.

Ac fontes quidem ipsos, quando id fieri potest, ut omnino interpres exploret, ego vehementer suaserim. Neque tamen non utiliter antiquiores, seu canonum, seu decretalium collectiones, illas cum primis, quæ propiores origini, veluti rivuli fonti suo viciniores, puriores minusque inquinatæ esse solent, consulet. Nam ut *Gratianus* fere nihil suum habet, sed omnia ex *Ivone*, *Burchardo*, et his antiquiore *Isidoro Mercatore* decripsit (§. LVIII.), ita *Raymundus* cuncta pene antiquis decretalium collectoribus debet (§. LXVII.), hoc illis inferior, quod quas illi integras, ac plerumque sinceras decretales adferunt, hic mutilas, discerptas, varieque interpolatas exhibeat (§. LXX.), ex quo ipso facile potest intelligi, qui in expungendis Raymundiani codicis nævis commodi adferre possint solerti ac docto interpreti.

Schol. Ac de Gratiano quidem multis id exemplis ostendit Antonius Augustinus *de Emend. Gratiani lib.* 1. In Gregorii vero IX. compilatione exemplum est luculentum *in cap.* 6. *qui fil. sint légit.* cujus tot sunt apud Raymundum vitia, ut verus ejus sensus, nisi restituta ex veteri collectione, quæ extat apud Harduin. *tom.* 6. *part.* 2. *pag.* 1819. genuina lectione, intelligi omnino nequeat. Conf. Eckard. §. 316. 329. Espen *cit. diss.* §. 3.

§. CCX.

Conferendi codices MSS.

Codices quoque manu exarati vocari in subsidium nonnumquam commode poterunt. Vitia scripturæ, quæ

Digitized by Google

adhuc Decretum *Gratiani* deturpant, non esse omnia *Gratiani* vitia, sed multa in illud post deinde communi veterum monumentorum fato irrepsisse exploratum est (§. LXIII.). In hujusmodi vero emendandis vitiis de usu scriptorum codicum non est, quod dubites. Lubrica est, non diffiteor, persæpe emendandi ratio, quæ ex scriptis codicibus petitur. Nam horum ipsorum interdum lectio mire variat. Verum hæc ipsa lectionis varietas non tantum locum esse depravatum indicat, sed et ad veram ejus sententiam perspiciendam permultum prodesse potest. Quo circa varias canonum et versiones, et lectiones, non esse nobis temere negligendas prudenter monuit *Espenius*.

Schol. Exemplum esto *in caus.* 3. *quæst.* 1. *can.* 3. Ex hujus canonis depravata lectione novum nobis veteres interpretes remedium in forum intrudebant, quo etiam adversus tertium quemcumque rei per violentiam ablatæ possessorem tuti essemus. Inducti in eam sententiam sunt verbis, *violentiam majorum*: ignari scilicet corruptæ scripturæ, pro qua restituendum fuit, vel *violentia majori*, ut quidam habent codices teste Zieglero *in diss. ad cap. redintegranda cap.* 2. vel ut est in codice regio Berolinensi, *violentia malorum*, Bohmer *in not. ad cit. can.* qua pura ac genuina lectione recepta, interpretatio vulgata ruat necesse est, ut observat Bohmer *diss. de var. decret. Gratian. fortun.* §. 20. *not.* (*a*).

§. CCXI.

Adhibenda Critica scientia.

His rite præsidiis instructum canonum interpretem, si ad hæc industriam adhibuerit, et quamdam in judicando solertiam, leviora hæc in testu menda, depravationesque haud valde morabuntur. Verum ingenii majoris, cultiorisque judicii, solidiorisque etiam doctrinæ

Digitized by Google

opus est, vera monumenta præsertim vetustate commendata à falsis discernere. In hujusmodi disceptatione ea, quæ dixi, emendandæ lectionis subsidia nondum sufficiunt. Omnes interdum *Criticæ artis*, ac *Diplomaticæ* vires admovendæ sunt, ut, quid verum, quid falsum sit, ac sublestæ fidei, decernere liceat. His scientiis, qui jus sacrum interpretaturi sunt, carere nullo modo possunt, nisi forte nihil nostra refert, acta Conciliorum, Patrumve scripta cujusmodi sint; nihil, spuria sint, an proba, Pontificum Principumque diplomata. Atque utinam non se tam facilem in admittendis apocryphis præbuisset schola recentior. Concinna utique, plana, expeditaque Jurisprudentia uteremur, quæ nunc inornata, secum ipsa pugnans, implicatissimaque deprehenditur.

Schol. In documentorum autem, ut factorum examine, duo sunt ex æquo fugienda vitia: nimiæ alterum ac superstitiosæ credulitatis, criticæ alterum intemperantis ac temerariæ. Nam conjecturis indulgere nimium et sponte ne lucem videas, oculos claudere, par mihi insipientia videtur. De artis Criticæ utilitate in Jurisprudentia, deque boni critici officio eleganter præfatus est Joan. Gottl. Heineccius observationibus Corn. van Bynckershoek. Adde huic Laur. Moshem. *Orat. de eo, quod nimium est in studiis criticis.* Honor. à S. Maria *Animadversiones in regulas et usum critices. Venet.* 1768. Fleurius *in Hist. Eccles. diss.* 4. §. 7. *et diss.* 9. §. 21.

§. CCXII.

Interpretationes Grammaticæ.

Sed de Philologicæ interpretationis parte illa, quæ in genuinis fictisque scriptis judicandis, ac vera canonum indaganda lectione versatur, jam etiam nimium fortasse disputatum est. Alterum est genus, quod interpretationem Grammaticam appellavi; quæ quidem omnis in hoc

Digitized by Google

sita est, ut verum canonis ex verbis sensum investiget (§. CCII.). Quod fit, vim verborum ac potestatem declarando: orationis totius structuram dijudicando; adfundendaque luce iis, quæ obscura atque ambigua videbuntur. Præcepta ejus duplici genere continentur. Quædam enim *communia* sunt omnibus libris, et ob id legibus etiam, quibus Ecclesia Christiana utitur, intelligendis recte adhibebuntur: Alia sunt *specialia*. De illis *Logica* exponit. *Holmanum* ceteris diligentius ea exposuisse existimo (1). Hæc vero ex natura et indole juris sacri, ex materia illius, ex modi, quo collectum est, studiosa consideratione colligi debent.

Schol. Conf. Eckard. §. 21. 25. Grammaticæ interpretationis usum præstantiamque, luculenta prolusione exaravit acutissimus Ernesti. Exstat inter opuscula ejus critica *pag.* 219.

§. CCXIII.

Subsidia. Notitia linguæ.

Ex his apertum esse reor, ut in Romani juris interprete latini sermonis notitiam desiderant non jejunam illam ac superficiariam, verum talem, quæ dicendi varia genera perspecta habet atque cognita, diversos eorumdem verborum significatus, et ut ita dicam, ætates observat; ita nec juris canonici interpreti eam esse negligenter colendam. Eamdem enim utroque in jure rationem esse, omnes, qui quidem de his rebus prudenter judicare possunt, uno ore confitentur.

Schol. I. Ita lex diœcesana proprie quid est aliud, quam jus omne, quod Episcopo in sua Diœcesi competit? Joannes autem Hugotio, vetus decreti Gratianei interpres, invenit legem quamdam diœcesanam specialem, quæ non omne jus Episcopi continet, sed illud tantum,

(1) *Philos. ration. part. 3. cap. 2.*

Digitized by Google

quo exigi aliquid ab Ecclesiis potest, cathedraticum puta, vel synodaticum, vel aliud his simile: quam Hugotionis distinctionem primus omnium Honorius III. probavit ac sequutus est *in cap.* 16. *de offic. jud. ordinar.* Vid. Jan. à Costa *in comment. ad decretal.*

Schol. II. Hinc, quod hanc verborum explanationem concernit, usum egregium præstare possunt Dictionaria juridica, et in his Barnabæ Brisonii opus incomparabile de verborum, quæ ad jus civile pertinent, significatione, Vicat vocabularium juris utriusque, Hierolexica Macri et Rechenbergi, Du Cangii glossarium mediæ et infimæ latinitatis. Porro etiam *Versiones* canonum: *Notæ et Animadversiones* eruditorum virorum, *observationesque*: cum primis vero diligens et adsidua scriptorum Ecclesiasticorum ex omni ætate lectio: ut enim sua cuique sæculo ac propria loquendi ratio, ita perspecta canonis cujusdam auctorisque ætate, illi præ ceteris consulendi erunt, qui eadem ætate vixerunt, ut scite præcipit Bohmerus *Exercit.* 3. *ad Pandect.* §. 9.

Schol. III. Ex quo porro evidens est, quantæ vel hanc ob causam utilitatis sit *Historia litteraria* scriptorum Ecclesiasticorum. Eam è recentioribus Caveus, Oudinus, Du-Pinius, Ceillierius, Nourius excoluerunt diligentius.

§. CCXIV.

Scientia rerum subjectarum.

In linguæ autem Latinæ notitia quam præcipuam Grammaticæ interpretationis vim sitam esse dico, nullum illi à rerum ipsarum scientia adjumentum accedere non disputo. Tametsi enim qui sermonis facultatem non improbabilem sit adeptus, nisi etiam rerum, de quibus agitur, scientia instructus sit, ineptus est, dum à se illas vel intelligi posse, vel explicari speret. Hinc au-

Digitized by Google

tem hoc perspicue conficitur, ut qui ad juris canonici explanationem se conferre volent, in ante operam dent, ut ab earum rerum cognitione ne sint destituti, in quibus rebus docendis, explicandis, illustrandis versabuntur.

Schol. Harum autem rerum vis major est, quam vulgo homines vel sciant ipsi, vel aliis credant etiam illi, qui sibi nonnihil in hoc genere adrogare laudis posse videntur. Nec enim oppido falluntur, qui jurisprudentiam Ecclesiasticam scientiam esse opinantur satis perviam, neque admodum difficilem: cujusque se vel triduo, si velint, consultos profiteri possint. Quin ego sic censeo, non aliam esse facile juris totius partem, quæ cum hoc duci in comparationem possit. Requirit enim præter disciplinæ sacræ amplissimam notitiam, Juris etiam Romani scientiam non vulgarem: Espen *in dissert. in jus canon. noviss. in append.* Disciplinam Feudorum propemodum universam Car. Ferdin. Hommel *in programm. de jure canonico ex German. legib. et feudal. explicando*: Deinde plurorumque Europæ populorum Leges et consuetudines: Vid. Eckard *in Hermeneut. jur.* §. 334. *seqq.* Glossatorum item veterum expositiones ac sententias, quæ in Rescriptis Gregorii IX. utramque paginam faciunt: Ever. Otto *in prælect. prim. ad Boekelmannum*, aliaque permulta, quæ quoties expendo, non tam mirari soleo, tam paucos esse in tanta multitudine eximios in hoc genere viros, quam esse tam multos, qui idoneam juris scientiam nondum adsequuti, et tenui admodum Philosophiæ et Scholasticæ Theologiæ notitia imbuti, Diis hominibusque invitis interpretandorum canonum provinciam invadunt.

§. CCXV.

Notio librorum juris.

Insignem porro utilitatem habet, naturam atque in-

Digitized by Google

dolem librorum, è quibus corpus juris nostri coaluit prius diligenter expendisse, quam ad eorum interpretationem accedimus. Ita sane expeditior collectionis decretalium *Gregoriii IX.* futura est interpretatio illi, cui perspectum erit, illam, ex constitutionibus Pontificum, iisque non raro mutilatis, et in partes sectis constare: inesse illi non tantum leges generales, verum etiam Rescripta, Decreta, Interlocutiones, Privilegia, opiniones privatorum, quorum omnium ut natura varia, ita varia est interpretatio. Quod ipsum de *Gratiani* decreto multo etiam manifestius est.

§. CCXVI.

Recursus ad fontes.

Permultum quoque interpreti proderit, ut in restituenda genuina canonum lectione (§. CCVIII.), ita quoque in vera eorumdem sententiam investiganda, si fontes diligentius consuluerit. *Gratiani* enim satis constat frequens hoc esse vitium, plures in unum canones conflare, unum contra in plures tamquam diversos distrahere diversisque locis describere (§. LXIII.). *Raymundi* vero major etiam in hoc genere audacia fuit (§. LXX.). Quantum vero ad loci cujusdam intelligentiam conferat, ea quæ antecedunt, quæque consequuntur, non esse à suo corpore sejuncta; quantum contra eidem officiat diversorum inter se capitum inepta quasi conglutinatio, non est, ut ego moneam. Quoniam itaque ex fonte constare facile possit, qui canones male distracti rursus sint conjungendi, quæve perperam consuta dissuenda, et suæ origini ac loco restituenda, in promptu est, operam in his explanandis perdere interpretes sine adsidua fontium inspectione. *Espen tract. Histor. canon. part.* 1. *cap.* 3. §. 6.

Schol. Ita Gratianus, dum canonem vicesimum

Digitized by Google

quartum Concilii Mileyitani *ann.* 416. celebrati in duas partes distractum retulit *caus.* 2. *quæst.* 6. *can.* 19. 33. ea distractione non modo obscurum reddidit sensum canonis, verum falsæ etiam interpretationis occasionem præbuit, ut docuit Espen *cit. tract. part.* 2. *cap.* 3. §. 10. et deinde Berardus *tom.* 1. *pag.* 217. Similiter Raymundus dum *cap.* 5. *de for. compet.* tertiæ compilationis in tres partes distraxit, sensum ita turbavit, ut nisi compositis rursus partibus, erui nullo modo possit. Espen *cit. tract. part.* 8. *cap.* 1. §. 5.

§. CCXVII.

Ratio legis quotuplex?

Atque hæc de Philologica Ecclesiastici juris interpretatione hactenus. Deinceps exponemus de Philosophica, cujus summum officium hoc est: rationem investigare canonis, de cujus vi ac potestate quæritur, et ex ea, quid auctori propositum fuerit, justa consequutione colligere (§. CCII.). Rationes vero legum sacrarum omnes, aut in ipsa, quæ inest actionibus, honestate vel turpitudine, aut in Ecclesiæ christianæ natura ac fine continentur: aut demum in causis quibusdam externis, rerumque, locorum, temporum et personarum adjunctis latent. Illas *internas* ac *morales*, has vero *externas* ac *historicas* vocabimus. Earum si qua legibus ipsis expressa est, *legalis*, alioquin *doctrinalis* dicitur. *Arcanæ* sunt, quas celari, seu publica Ecclesiæ, seu legislatoris privata utilitas deposcit.

Schol. Conf. Ickstadt *Medit. prælim. de stud. jur. cap.* 1. §. 15. *seqq.* Ill. Daries *observat. jur. nat. et gent. tom.* 1. *observat.* 21. Ignat. Mulzer *in præcog. jurispr. Eccles.* §. 17. *seqq.*

Digitized by Google

§. CCXVIII.

Unde ducatur?

Principia igitur, è quibus Ecclesiasticarum legum ratio ducitur, sunt I. leges ipsæ. Rationes legales sæpe haud valde probant. Tum II. actionum moralitas interna. III. Ecclesiæ christianæ status. IV. Occasiones latarum legum, mores, ac cetera christiani populi instituta. Ex quo non est intellectu difficile, quibus scientiarum præsidiis imbutum esse oporteat interpretem, qui philosophari in jure explicando volet.

§. CCXIX.

Hinc necessitas juris naturæ.

Quod si Philosophiæ præcipuum aliquem in his locum dedero, nihil vereor, ne id fecero, quod res est. Non ego nunc vel de *Logicæ* dicam, vel de *Metaphysicæ* necessitate, quamquam his disciplinis non præclare imbutus adolescens perridicule facit, si se in Jurisprudentia cum laude versari posse existimet. Sed profecto *Philosophia morum*, et *naturalis juris doctrina* carere nullo pacto possumus. Primum enim *morales* legum *causas* ac rationes unde, nisi è juris Philosophia, petemus? (§. CCXVIII.) Sive autem de legibus ferendis, sive interpretandis iis applicandisque res est, id ante omnia videndum est, ne quid adversum naturæ præceptionibus admittatur: hujus vero deliberationis nulla esse facultas potest sine solida legum naturalium intelligentia. Sed et *consuetudo* a naturali honestate sejuncta ab omnibus rejicienda præcipitur, et *dispensationi* in his quidem, quæ sunt in canone arbitraria, locum esse ajunt, non etiam in ea parte, quæ naturæ necessitate contine-

Digitized by Google

tur. Pars deinde illa Jurisprudentiæ naturalis, quæ ex natura ac fine societatis jura ducit et obligationes, ad societatem Christianorum prudenter applicata dici vix potest, quam insignem usum habeat. Verissime autem *Auctor principiorum juris publici Ecclesiastici* monuit, *antequam principia juris naturalis applicantur statui Ecclesiastico, enixe curandum esse, ut rerum ideæ, quibus ista applicatio velut basibus innititur, sint rectæ ac genuinæ. Nam ubi in primis ideis occurrit deceptio non possunt non inepte applicari principia et sequelæ juris naturæ.*

Schol. Conf. Daries *tom.* 1. *observ. jur. nat. et gent. observ.* 9. Illustriss. de Martini *de leg. natural.* §. 243. Auctor *princip. jur. publ. Eccles. cap.* 17. et præ ceteris Vir Clar. Joan. Endres *in diss. de neces. Jurispr. natur. cum Eccles. nexu, et illius in hac usu.* Exstat in Schmidtii *Thesaur. jur. Eccles. tom.* 1.

§. CCXX.

Et juris civilis publici universi.

De *jure* autem *publico civitatum* quid dicam? cujus tam est aperta in Ecclesiastico jure necessitas, ut dignitatem hujus ac præstantiam, qua se hodie principibus etiam viris commendat, ex illius potissimum cum Jurisprudentia sacra conjunctione repeti oportere, peritissimi viri existiment. Hujus nempe sive neglectu, sive ignoratione, sive utraque de causa, pernitiosa in scholas nostras irrepsit doctrina de tuenda adversus legem subditorum libertate, et quæ ex hac prodiit effrænis quædam de legibus pœnalibus sentiendi licentia. Eademque causa, nobiliorem civium partem, quæ clero constat, à debito legibus Regnorum obsequio absolvimus: Jurisdictioni Principum subduximus: onerum communium societate exemimus: gravissimorum criminum

Digitized by Google

reis gratiam religionis quadam specie fecimus: subditos non necessaria contributione oneravimus: aliam in regna Rempublicam solo clero constantem induximus, quæ suis legibus vivat: suo utatur tribunali: ærario proprio gaudeat: bona, prædia, castella possideat: in quæ, patriæ nihil juris ne in summa quidem necessitate sine ejus Reipublicæ adsensione competat. Postremo huc delapsi sumus, ut, quod est diu horridum, absolutos fidei religione subditos adversus proprios Reges armis induere pium putaremus. Atque hæc cuncta dum ita in promptu sint, et in disceptionem vocari nullo modo possint, mirari tamen audeat quispiam, studiosos suæ publicæque salutis Principes fidelioribus manibus culturam doctrinæ commisisse, qua tempore tam longo, tanto cum rerum publicarum exitio, tam insigniter abusi sumus.

§. CCXXI.

Tum et particularis Regnorum.

Adjungendum huic est studium quoque *juris publici particularis* cujusque Regni. Qui jus Ecclesiæ Germanicæ tractare volet, fallitur utique vehementer, si se id præstiturum laudabiliter opinetur sine erudita quadam legum Imperii, et observantiæ publicæ cognitione: ex qua illud præcipue, non ex omnibus Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ fontibus hauriri oportere apud omnes in confesso est (§. CXCIX. Schol. II.).

§. CCXXII.

Historiæ et Antiquitatum Eccles.

Jacobum Cujacium Principem in juris scientia virum dicere ferme solitum, se historia tanquam aureo hamo in jure civili piscari, abditaque scrutari, et è tenebris

Digitized by Google

in apertam lucem trahere. Quo dicto summus hic Jurisconsultus, historiæ in legibus Romanis intelligendis necessitatem significabat. Quod ipsum quidem, data ut ajunt opera, tam firmis ad persuadendum argumentis *Balduinus*, *Schultingius*, *Barbeiracius* demonstrarunt, ut desipiat, qui aliter sentiat. Quod si vero nemo in jure Romano cum laude versari potest, nisi qui juris illius origines investigare, observare mutationes, jus novum ab antiquo distinguere, occasiones latarum legum notare, et perpiscere Reipublicæ variam constitutionem didicit, quorum sane nullum ingenio fingi, vel ratione judicari potest, sed ad exacta antiquitatum historiæque notitia peti debet; quo pacto quis in jure Ecclesiastico felices progressus facturus est, nisi cum illius studio conjungat testem illam temporum lucem veritatis historiam, et antiquitatum notitiam, de qua præter *Franc. Florens* atque *Espenium* eleganter *Bohmerus* ac *Brunquell* exposuerunt (1)? Historiam vero et Antiquitates requiro, maxime quidem Ecclesiæ Christianæ. Sed nec illæ tamen populi Hebræi prorsus ab hoc studio sejungi possunt. Et historiæ sacræ tanta est cum profanis populorum historiis conjunctio, ut vel ex ipsa Pacificationum religionis causa in Germania initarum historia apertum est.

Schol. I. Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ alii veteres sunt, ut Eusebius, Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, alii, de quibus Vossius et Mabillonius. E recentioribus laudantur præ ceteris Fleurius, et Natalis Alexander.

Schol. II. Antiquitatum Judaicarum Scriptores recensuit in Bibliographia antiquaria Fabricius. Jus Hebræorum docte explicat Michaelis. De antiquitatibus Ecclesiæ Christianæ præter innumeros, qui partem earum quamdam, aut singularia capita scriptis suis illustrarunt, egregie meriti sunt Lud. Thomasinus in vete-

(1) *Vid. Eckard. Hermen. jur. pag.* 258.

Digitized by Google

ri ac nova Ecclesiæ disciplina tribus voluminibus descripta, Josephus Bingham, Mamachius, Paleotimus, et fortasse alii.

§. CCXXIII.

Chronologia et Geographia sacra.

Chronologiæ porro ac *Geographiæ* sacræ notitia ad juris Ecclesiastici studium utilissime adhibebitur. Canones enim, ut inter omnes constat, disciplinam populi christiani exhibent. Hanc autem pro diverso temporum statu diversam fuisse, nec ubivis locorum eamdem, testatissimum est. Ex quo efficitur, ad eruendam veram canonum aut capitulorum sententiam, rationesque investigandas, pernecessarium esse interpreti non modo ætates singulorum habere perspectas; verum etiam scire, quo quæ loco, et inter quos negotia peracta sint, ne ritus, mores, instituta, quæ in Ecclesiis quibusdam speciatim obtinebant, ita accipiamus, quasi apud omnes Ecclesias peræque custodita fuissent: quod imperite factum à superioribus interpretibus, *Franciscus Florens* inter præcipuas corruptæ jurisprudentiæ Ecclesiasticæ causas connumerabat. Ex his alterum *Chronologiæ*, alterum *Geographiæ* notitia commodum adferre potest, qui sunt duo quasi ocelli historiæ, quorum altero si orbetur, lusca, utroque extincto, cæca fit prorsus, ut ajebat *Vossius*.

Schol. Historiam litterariam Chronologiæ satis plenam dedit Fabricius *in Bibliographia antiquaria cap. 7.* Scriptores vero Geographicos recenset Struv. *in Biblioth. Histor. cap.* 25. et Lenglet du Fresnoy *in catalog. auctor. method. Histor. adject. pag.* [illegible]

Digitized by Google

§. CCXXIV.

Historia Juris Ecclesiastici.

Inter alias historiæ partes jurisconsulto cum primis necessarias, *historiam* quoque *litterariam juridicam*, et *historiam juris*, seu *legum Ecclesiasticarum* reputo (§. XXXV.). Sed hanc ego adhuc inter desiderata refero. Nam qui hoc nomine inscripti feruntur libelli, partem historiæ illius aliquam explicant fortasse; integram profecto absolutamque historiam non explicant. Sunt autem historiæ hujus scriptores in duplici classe. Alii enim utramque civilis et canonici juris historiam, alii hanc ab illa sejunctam tradiderunt.

I. AD PRIOREM CLASSEM PERTINENT

1 Sam. Rayher *in Historia universali. Lubec. ann.* 1708. 4.

2 Burchard Gottl. Struve *in Historia juris. Jenæ ann.* 1718. 4.

3 Joann. Adam. Kopp. *in Historia juris, quo hodie in Germania utimur. Marp. ann.* 1750. 8.

4 Aug. Helfeld. *in Historia juris Germanici, et Canonico-Pontificii* 1741. 8.

5 Joann. Christ. Rudolph. *Schedium universalis Historiæ legum in Germania vigentium. Erlang. ann.* 1758. 8. *Edit. Germ.*

6 Joann. Gottl. Heineccius *in Historia juris civilis Romani ac Germanici. Argent. ann.* 1765. 8.

7 Joann. Henr. Christ. de Selcow. *Historia juris extranei et domestici in Germania vigentis. Brunsvici* 1767. 8.

8 Dan. Nettelbladt *Introduct. in Jurisprudentiam positivam. Hal. ann.* 1761. 8.

Digitized by Google

II. In classe altera præcipui habentur.

1 Petrus de Marca *de veteribus canonum Collectionibus.* Exstat inter opuscula edita Parissiis, *ann.* 1618. 8.

2 Gerhar. van Mastricht *Historia juris Ecclesiastici. Hal. ann.* 1719. 8.

3 Joann. Strauch *Exercit. canon. de origine, libris, necnon auctoritate juris canonici.* Exstat inter Exercitationes canonicas editas *Jenæ, ann.* 1673. 4.

4 Gaspar Ziegler *dissert. de ortu et progressu juris canonici.* Præmissa est Instit. Lancelloti. *Wittemberg. ann.* 1669. 4.

5 Zeg. Bern. van Espen *Tractatus Historico-Canonicus, scholia in omnes canones Conciliorum exhibens. Lov. ann.* 1693. Exstat inter opera junctim edita.

6 Georg. Henr. Ayrer *de Collectionibus juris canonici tum veteris, tum recentioris.* Exstat *in opusc. tom.* 1. *pag.* 63.

7 Ant. Arrighius *in Acroasibus quatuor de Jure Pontific. Patav. ann.* 1728.

8 Joann. Doujat *Prænot. canonicar. Venet. ann.* 1748.

9 Joann. Georg. Bertsch. *Historia juris canonici. Lips. ann.* 1758.

10 Greg. Zalwein *de Collectionibus juris Eccles. antiqui et novi. Salisb. ann.* 1759.

11 Ill. de Riegger *Inst. juris Ecclesiast. part.* 2 *Vind. ann.* 1770.

12 Ignat. Mulzer *Historia legum Ecclesiasticarum positivarum. Bamb. ann.* 1772.

13 Ant. Schmidt. *Instit. juris Ecclesiast. tom.* 1. *Heidel. ann.* 1771.

14 Christ. Wilh. Franc. Walch. *in Historia Conciliorum pag.* 37. *seqq.*

15 Arch. Bower. *in Historia Pontificum Romano-*

Digitized by Google

rum tom. 4. *in præfat.* Quæ pene integra ex Salmonio descripta est.

§. CCXXV.

Historia Jurisprudentiæ litteraria.

Historia Jurisprudentiæ litteraria, librorum primum, deinde Actorum juridicorum notitiam subministrat: postremo de origine, progressu, arte, ac veluti ætatibus singulis hujus ipsius disciplinæ exponit. Atque ea non ad ornatum doctrinæ tantum, verum etiam ad ejus perfectionem pertinet. Nam ut in libris delectus adhibendus est, ne indoctis ineptisque legendis opera et tempus, quod melioribus impendi poterat, inutiliter ac sæpe cum jactura bonæ mentis perdantur: ut non utile tantum, verum etiam perutile est libri, quem lecturus es, bona malaque, totamque veluti conformationem habere cognitam; ut demum illustribus magnorum virorum exemplis ingens inesse solet ad studia incitamentum: ita turpe est, cujus ipse pars est, Reipublicæ historiam, artisque quam profiteris, instrumenta ignorare. Sed et sapere si voles, mature discas, idque periculo non tuo. Cave autem librorum Auctorumque notitiam erudito dignam homine eam esse putes, quæ titulorum, annorum, editionum, formarumque omnis generis memoria continetur. *Etenim hanc ego scientiam, Hommelii* verba sunt, *si cetera desint, vitiosa nuce non emerim. Contenta librorum tenere, eorumque usum et præstantiam scire debemus: neque in hac ipsa re nimium temporis collocare. Si quis enim re vel optima abutatur, nullo modo probo, neque tenet is auream et toties laudatam ab Aristotele mediocritatem. Unde parcius laudandas puto edaces illas sine ingenio, at humano tamen capite natas, bipedesque tineas, quæ adeo se*

Digitized by Google

immergant litteraturæ, ut necessaria negligant, et præter titulos librorum nihil omnino sciant, in litter. jur. proleg. §. 7.

Schol. In addiscenda vero historia litteraria jurisprudentiæ, usui esse possunt Bunemanni *Historiæ litterariæ juris primæ lineæ. Hannov. ann.* 1750. 8. Einsenharti *Institutiones historiæ litterariæ. Helmst. ann.* 1762. 8. Heumanni *Apparatus jurisprudentiæ litterarius. Lips. ann.* 1733. 8. Hommelii *Litteratura juris. Lips. ann.* 1761. Nettelbladt *Initia Historiæ litterariæ juridicæ universalis. Hal.* 1764. Lipenii *Bibliotheca juridica*, et quæ hujus veluti compendium est, *Selecta Bibliotheca* Buderi. Permultum vero etiam ad meliores generis libros ad aliis discernendos illud superiori sæculo ortum eruditorum institutum confert, quo non solum libros cum primis recentius editos recensent, eorumque argumenta rationemque commemorant, sed etiam sua sæpe de virtutibus vitiisque judicia interponunt, quæ docta percensendi scripta ratio etiam nunc sub *Diariorum*, *Actorum eruditorum*, *Bibliothecarum*, *Ephemeridum*, aliisque ejusmodi non sine insigni commodo perdurat. Conf. Hommel. *Litterat. jur.* §. 5. *seq.* Senckenberg. *de Method. jur.*

§. CCXXVI.

Conclusio.

Post hæc justæ interpretationis comparata præsidia nihil ad solidam canonum adipiscendam intelligentiam videtur restare, ut tam qui docent, quam qui docentur, id quod quisque agit, recte adsidueque agant. Ego tua, amice, gratia, quæ suis præclara dedit *autor principiorum*, studiorum præcepta, non possum, quin hoc loco adscribam.

Digitized by Google

I. *A præjudiciis primæ scholæ, opinionibusque vulgi, anteceptisque ideis, te ipsum ipsum purga.*

II. *Noli existimare, omnia et singula, quæ hodie servari cernis, semper ita fuisse observata. Sæpe enim verum est illud Callenbachianum:* olim non erat sic.

III. *Singularum itaque rerum origines, progressus, variationes, pete ex historia non qualicumque, sed sincera.*

IV. *Studium juris sacri inchoare noli à corpore juris canonici moderni, sed à sacra Scriptura, Conciliis, et Codicibus vetustis.*

V. *Longe minus incipe ab ingenio tuo, effingens tibi ideam, atque ad hanc postmodum, quæ legis in historia, violente contorqueas.*

VI. *Sed facta prius lege, dein ex iis quæ observata sunt frequentius, regulas confice. Sequatur tua meditatio historiam, non hæc illam.*

VII. *Cerebrinas distinctiunculas vel maxime fuge. Si quam vero distinctionem rerum ipsarum diversitas postulet, idoneis eamdem vocabulis citra æquivocationem exprime.*

VIII. *In adoptandis sententiis cordatus simul esto, ac modestus; nam neque irreverens animus, neque meticulosus decet virum constantem.*

IX. *Nemini contradicito, quia vis contradicere: sed quia veritatis agnitio id à te flagitat. In contradicendo autem regulas humanitatis erga omnes etiam heterodoxos observa.*

X. *Stude methodo, quam vocant, geometrica; sic, ut à prima propositione brevi et clara pergas ad immediate sequentem, ac reliquas sine ordinis confusione. Verba, quibus te explicas, sint laconica, præcisa, atque selecta; vaga enim, et luxuriosa garrulitas nihil habet soliditatis, nihil fructus.*

XI. *In omni controversia principium unum, vel plura stabili, quæ axiomata vocantur, ad quæ reliqua corollaria reducas universa.*

Digitized by Google

XII. *Attende, ut genuinam semper ideam subjecti æque ac prædicati propositionis tuæ adquiras. Comparationem vero utriusque invicem cum judicio institue.*

XIII. *Noli, quod hactenus invaluit passim, credere, eruditum denique esse illum, qui disputare novit, ac longo filo dubia nectere cum Sophistis: sed qui suæ opinionis systema probabile, connexum, ordinatumque adfert; nec non rerum scitu necessariarum atque utilium indolem, principia, effectus, usum, historiam, et fata, novit exponere.*

Hanc, me auctore, rationem studiorum constanter tenebis. Erit, nisi fallor, brevi admodum, ut displiceant libri permulti, in quibus est, nugarum vis ingens, doctrinæ solidioris, quæque spiritum canonum, qui est idem spiritus Ecclesiæ Christianæ, referat, omnino nihil.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

PARS GENERALIS

DE ECCLESIA CHRISTIANA

POTESTATISQUE SACRÆ

CUM CIVILI NEXU

OPERA

GEORGII SIGIS. LACKICS J. C.

et in regia Tyrnaviensi universitate Juris Ecclesiastici professoris Publici.

EDITIO PRIMA MATRITENSIS

IN USUM ACADEMIARUM HISPANARUM.

MATRITI,

TYPIS SOCIETATIS,

PRÆLA REGENTE JOANNE JOSEPHO SIGÜENZA ET VERA,

ANNO 1822.

Se hallará en la librería de Matute, *calle de Carretas.*

Digitized by Google

Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, credidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita et tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens; magno crimini obnoxius fias. Date, *scriptum est*, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. *Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes Imperator.*

Hosius, Cordubensis Episcopus, apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes.

Digitized by Google

PRÆFATIO VALENTINÆ

EDITIONI APPOSITA.

LECTORI.

Eamdem, quam in prima parte, curam diligentiamque posuimus, ut hæc *Prægnitorum juris canonici* pars secunda emendatissime, quo ad fieri posset, ederetur. Conqueritur Lackius §. *ult.* defuisse sibi plurima subsidia perficiendo huic opusculo necessaria. Scilicet defuerunt ei, ut nos conjicimus, nonnulla SS. Patrum opera, et conciliorum collectiones: ut propterea quæ in doctrinæ confirmationem inde allegat testimonia, non ex ipsis fontibus, sed ex recentiorum scriptis bona fide sumpserit. Quod ille fortasse non potuit, id nos præstitimus. Conciliorum, SS. Patrum, Pontificum testimonia ad optimas editiones exegimus, multisque adeo et propriam restituimus sedem, et veram germanamque lectionem. Pauca sunt, quæ omnino reperire nus-

Digitized by Google

quam potuimus: quamobrem nec loca indicavimus ubi leguntur. Quæ autem è græco translata sunt, cum exemplaribus græcis contulimus, et si sententiam satis exprimebant, nihil mutavimus; si vero quidpiam minus consonum, minusque græco textui respondens nobis visum fuit, illud emendavimus, intacta reliqua interpretatione. Quod observare poteris § 73. et 115. in testimoniis è Gregorio Nazianzeno et Theodosio Imperatore desumptis. Hæc verba, *quas oves et quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed et nobiscum eas suscepit et cum illo eas nos suscepimus omnes*, D. Ambrosio attribuuntur à nostro Lackics §. 84. et 86. Sed quum deprompta sint ex *Lib. de dignit. sacerdotii*, qui etiamsi perantiquus nec contemnendæ auctoritatis, falso tamen adscribitur magno Ambrosio: nos ea expunximus, ac suum cuique loco testimonium Ambrosii legitimum et genuinum substituimus. Et ne multis te moremur, editionis nostræ præstantiam tumet ipse deprehendes, si cum Vienensi et Veneta contuleris. Vale.

Digitized by Google

SYNOPSIS DOCTRINÆ.

SECTIO I.

DE ECCLESIA CHRISTIANA EJUSQUE REGIMINE.

CAPUT I.

De Ecclesia christiana ejusque nexu.

I. *Ratio hujus instituti* . . . . . Pág. 1

II. *Ecclesia Christiana est societas religionis colendæ causa* 3

III. *Non jam in primordiis humani generis* 4

IV. *Sed à Christo instituta, et per Apostolos propagata* 6

V. *Quod sine ulla probabili ratione negavit Bohmerus fatente ipso Moshemio* 8

VI. *Finis hujus societatis non est præsentis, sed futuræ vitæ æterna beatitas* 10

VII. *Unio vero duplex, interna una, altera externa* 12

VIII. *Quarum posterior maxime unam efficit et visibilem Ecclesiam, unitate primum Fidei* 14

IX. *Deinde Charitatis Christianorum*

Digitized by Google

propriæ..... 15
X. *Quæ involvit unitatem capitis, non tantum in singulis cœtibus Christianorum*..... 16
XI. *Quod fatetur Dodwellus, sed etiam in Ecclesia universali*.... 18
XII. *Cujus ope omnes inter se Christiani externam fidei et charitatis communionem colunt*..... 19.
XIII. *Servata canonica membrorum subordinatione*..... 20
XIV. *Per diversos ministerii sacri gradus, ex qua existit Hierarchia, quam ecclesiasticam dicimus*... 22

CAPUT II.

De hierarchia ecclesiastica.

XV. *Hierarchia laicos non complectitur, quos à ministerio sacro, nisi rite ordinatos, Christus ipse removit*..... 23
XVI. *Constat itaque solis clericis varios in gradus distinctis prò varietate muneris, quod obeunt*.. 25
XVII. *Ministerium obeunt Diaconi, jussu Christi ab Apostolis instituti*. 27
XVIII. *Quod veteres minime negabant*... 28
XIX. *Et instituti quidem non ad mensam tantum, sed etiam ad sacrum altaris ministerium*..... 29
XX. *Divinæ pariter institutionis sint episcopatus et presbyterium*.. 30
XXI. *Et ille quidem hoc tam ordine quàm potestate superior*..... 23
XXII. *Quod præter divinarum litterarum testimonia sancti et anti-*

Digitized by Google

..... *quissimi Patres constanter docuerunt.* 35
XXIII. *Inter Episcopos unus est ceteris superior, instructus primatu universali.* 37
XXIV. *Qui in D. Petro cœpit.* 38
XXV. *Testantibus id sacris litteris.* .. 39
XXVI. *Et constanti omnium sæculorum traditione.* 40
XXVII. *Ideo à Christo institutus, ut capite constituto schismatis tollatur occasio, ut ait S. Hieronymus.* 42
XXVIII. *Hinc liquet, gradus hierarchicos alios esse divini juris.* 46
XXIX. *Alios humani, ab Ecclesia demum progrediente tempore institutos.* 46
XXX. *Non ordinis, tantum, verum etiam jurisdictionis.* 47
XXXI. *Ad exercendam concinnius potestatem, de qua nunc agendum est.* 48

CAPUT III.

De potestate Ecclesiastica generatim.

XXXII. *Potestas ecclesiastica est jus determinandi omnia, quæ ad finem Ecclesiæ obtinendum apta sunt.* 49
XXXIII. *Hoc jure Ecclesiam ab ipso Christo ornatam fuisse.* 50
XXXIV. *Ipse per se satis sæculorum omnium usus manifeste evincit.* ... 52
XXXV. *Ceterum originaria hæc potestas Ecclesiæ tota spiritualis est.* 53
XXXVI. *Qualem solam Christus in terris exercuit.* 55
XXXVII. *Nec aliam omnino futuris post se gregis dominici pastoribus con-*

Digitized by Google

tulit..... 57
XXXVIII. *Quapropter non in temporalibus, sed in negotiis spiritualibus dirigendis versatur*..... 59
XXXIX. *Cujus generis sunt res fidei et morum, in quibus judicandis infallibilis Ecclesiæ est auctoritas.* 60
XL. *Res item disciplinæ sacræ*..... 62
XLI. *Verum ita determinandæ, ut ne quid detrimenti Respublica capiat*..... 63

CAPUT IV.

De potestate Ecclesiæ legislativa.

XLII. *Determinationibus ab Ecclesia factis parere fideles debent*... 64
XLIII. *Ob subordinationem hierarchicam à Christo institutam*..... 65
XLIV. *Unde potestas ferendarum legum, qua gaudet Ecclesia christiana, divino ei jure competit*..... 67
XLV. *In negotiis nimirum spiritualibus, quæ soli potestati ecclesiasticæ per se subjecta sunt*..... 69
XLVI. *In quibus Ecclesia omnes Christianos in conscientia decretis suis obligat*..... 71
XLVII. *Ex quo scilicet sufficienter promulgata sunt*..... 73
XLVIII. *Per singulas provincias*..... 74
XLIX. *Non sine Principum Christianorum adsensu*..... 76
L. *Cujus adsensus ea vis est, ut canones Ecclesiæ etiam vim publicæ legis sortiantur*..... 78
LI. *Quemadmodum autem ferre legem,*

Digitized by Google

ita etiam dispensare Ecclesia ab ea potest. 79

LII. *Quoties id utilitas vel necessitas, non privata, sed publica suadere potest.* 80

LIII. *Quod idem de privilegiis quoque et exemptionibus tenendum est tanto magis, quo gravius per hæc disciplinæ vulnus infligitur.* .. 82

LIV. *Legislativæ potestati inest etiam potestas tam interpretandi authentice.* 85

LV. *Quam abrogandi leges ecclesiasticas: illa divinis etiam, hæc tantum in humanis: etsi in his quoque parce ea uti Præsules deceat.* 86

CAPUT V.

De potestate Ecclesiæ judiciaria.

LVI. *Potestas Ecclesiæ judiciaria in causis fidelium controversis cognoscendis et dirimendis sita est.* 87

LVII. *Quam potestatem Ecclesiæ christianæ competere.* 88

LVIII. *Non tantum ex usu jam inde ab ævo Apostolorum perpetuo.* ... 89

LIX. *Verum ex Imperatorum etiam confessione evidens est.* 91

LX. *Sed in causis dumtaxat ecclesiasticis.* 93

LXI. *Nam quod progressu temporis causas etiam profanas per modum arbitrii audierint Episcopi.* .. 95

LXII. *Id probantibus Imperatoribus factum est.* 96

LXIII. *Quorum gratia nititur, quum in*

Digitized by Google

his causis adhuc exercent, jurisdictio externa. 98
LXIV. *Interna enim tota juris divini est, de qua exponunt Theologi.* 100

CAPUT VI.

De potestate Ecclesiæ coërcitiva.

LXV. *Ut ne autem et leges Ecclesiæ, et decreta inania sint apud homines mordentes frænum.* 100
LXVI. *Inest potestati clavium etiam jus coërcendi.* 102
LXVII. *Quod non singuli, sed Antistites in Ecclesia exercent.* 104
LXVIII. *Irrogandis pœnis spiritualibus.* . 105
LXIX. *Non etiam civilibus, nisi quatenus leges publicæ indulgent.* 107
LXX. *Ad quas solas vindicta sanguinis pertinet, quam Ecclesia nec habet, nec vindicat.* 109
LXXI. *Contenta gladio spirituali, cujus vis maxima in excommunicando sita est.* 111
LXXII. *Quæ jure quidem societatis sacræ privat, non etiam bonis iis, quæ quis habet, sed non ab Ecclesia.* 112

CAPUT VII.

De imperio sacro.

LXXIII. *Ex potestate legislativa, judiciaria, et coërcitiva exsistit imperium sacrum.* 115
LXXIV. *Quod proinde juris divini est, iisdemque in rebus dirigendis ver-*

Digitized by Google

satur, in quibus jura, è quibus componitur. 116
LXXV. Imperio autem Ecclesiæ omnes fideles, etiam Antistites et Reges subsunt. 118
LXXVI. Quod etsi ab imperio civili penitus differat, verum tamen est imperium. 120
LXXVII. Et ob id Ecclesiam efficit societatem inæqualem. 123
LXXVIII. Ex quo consequens est, ut omnis Christianorum cœtus duplici potestate regatur. 125
LXXIX. Quarum utraque suo in ordine summa est et independens. 127
LXXX. Id quod nihil repugnare, et fatetur Wolfius et negare vis possunt, qui jura collegialia ita Ecclesiæ vindicant, ut Principi non aliter subesse velint, quam ut curam gerat, ne quid Respublica ex usu eorum detrimenti patiatur. 129

CAPUT VIII.

De forma Imperii sacri.

LXXXI. Determinaturis formam Imperii sacri in subjectum inquirendum est, cui illud immediate inhæret. 132
LXXXII. Jacobatius omnem à Christo potestatem Petro soli collatam tribuebat, à quo deinde in ceteros Apostolos dimanaverit, quam opinionem, quod sciam, omnes rejiciunt. 133

Digitized by Google

LXXXIII. *Ab hac sententia non multum abest nuperus scriptor, qui sub Itali nomine latens Febronium impetebat, externam jurisdictionem soli Petro tribuens, internam etiam Apostolis.* 133

LXXXIV. *Cujus discriminis nullum est prorsus in ullo antiquo monimento vestigium.* 134

LXXXV. *Fatetur auctor Anti-Febronii vindicati, datam à Christo Apostolis etiam externam jurisdictionem æque ac Petro; sed eam in hoc ordinariam, in illis extraordinariam statuit.* 136

LXXXVI. *Quæ distinctio perinde omnibus Sanctis Patribus incognita tamquam commentitia rejicienda est.* 137

LXXXVII. *Nec huic sententiæ S. Optatus, Leo M. alii favent.* 140

LXXXVIII. *Ut sincera testimoniorum, quæ objicit, explicatio facile quemque docere potest.* 141

LXXXIX. *Episcopi itaque suam à Deo immediate in consecratione potestatem adipiscuntur.* 143

XC. *Eamque omnes æqualem in solidum sua quisque in diœcesi exercet, Cypriano auctore, subordinatione tamen canonica temperatam.* 145

XCI. *Unde immediatum Imperii sacri subjectum est* unitum cum suo capite corpus Episcoporum. .. 147

XCII. *Quo fit ut forma ejus non sit absolute monarchica, sed aristocratice temperata, qualem fuisse ostendit observantia primitivæ Ecclesiæ.* 146

Digitized by Google

SECTIO II.

DE POTESTATE CIVILI

EJUSQUE AD ECCLESIAM HABITU.

CAPUT I.

De potestate civili in se spectata.

XCIII. *Potestas civilis, quæ in dirigendis civium actionibus ad communem securitatem sita est.* 152

XCIV. *Haud minus quam sacra Ecclesiæ potestas à Deo primum instituta est.* 153

XCV. *Cui solidam rerum temporalium administrationem commodavit.* . . 155

XCVI. *In qua proinde, si delinquant Principes, à solo Deo puniri possunt.* 157

XCVII. *Non vel ab Ecclesia, vel à summo ejus Antistite, quod perperam recentior schola docuit.* . . . 158

XCVIII. *Sanctam enim et inviolabilem esse Majestatem, etsi non tam dilucide in sacris litteris expressum foret.* 160

XCIX. *Abunde tamen evinceret Christianorum disciplina, non tantum sub ethnicis.* 162

C. *Sed sub Christianis Imperatoribus religiose observata.* 164

CI. *Cujus lex erat præ ceteris laudabilis, ait Nazianzenus, quæ cle-*

Digitized by Google

ricos perinde ac laicos in temporalibus Principi suo subjiciebat..... 165

CII. *Obligans non metu pœnæ, sed in conscientia, Augustino interprete*..... 167

CIII. *Neque existimabat vetus Ecclesia, divino se, sed humano jure bona sua possidere*..... 168

CIV. *Unde nefas putabat communibus se civium oneribus subducere*.... 170

CV. *Cujus summa auctoritate freti plane statuimus, immunitatem ecclesiasticam non divini, sed humani tantum et civilis juris esse*..... 172

CVI. *Quæ porro supremæ Regum potestati nec præjudicat*..... 174

CVII. *Nec impedire potest, quo minus ii saluti populorum suorum*..... 176

CVIII. *Etiam limitando privilegia jam noxia patriæ, consulere possint.* 178

CAPUT II.

De potestate Principum Christianorum circa sacra generatim.

CIX. *Potestatem circa sacra, sunt qui Principibus Christianis prorsus abjudicant*..... 179

CX. *Sed hoc vetustissimorum Patrum traditio*..... 180

CXI. *Et cum primis S. Augustini auctoritas luculentissime refellit.* 181

CXII. *Eam autem nimium extendunt scriptores Protestantium plerique vestustiores*..... 182

Digitized by Google

CXIII. *Temperatius est recentiorum systema, sed in adsignandis ejus limitibus parum sibi constant etiam novissimi eorum scriptores.* 183

CXIV. *Fundamentum juris istius non est privilegium Sedis apostolicæ, ut Bellarminus vult persuadere.* 185

CXV. *Sed ipsum imperium civile.* 187

CXVI. *Ex quo fluit primum quidem jus determinandi ea, quæ ad religionem sunt adiaphora.* 189

CXVII. *Jus deinde supremæ ac generalis inspectionis, efficiendique ne quid fieri contingat, ex quo detrimentum Respublica patiatur.* 190

CXVIII. *Et jus demum advocatiæ ecclesiasticæ, tum in rebus fidei ac morum.* 192

CXIX. *Tum etiam in negotiis disciplinæ ecclesiasticæ.* 194

CXX. *In qua, si per abusum ecclesiasticæ potestatis injuriam patiuntur subditi, liber esse debet ad Principem recursus.* 196

CXXI. *His quatuor fundamentis omnia continentur jura Principum circa sacra: quæ tamen suos intra limites exercenda sunt.* 197

CAPUT III.

De limitibus utriusque potestatis.

CXXII. *Concordia Sacerdotii et Imperii sita est præcipue in custodiendis religiose limitibus, quos et natura ipsa, et Christus utri-*

Digitized by Google

que potestati adsignavit 198
CXXIII. *Limites autem determinandi sunt ex diversitate finium* 199
CXXIV. *Mediorum* 200
CXXV. *Ex diversa civium et personarum ecclesiasticarum relatione* 201
CXXVI. *Bonorumque ac rerum diverso genere* 202
CXXVII. *Potissimum vero ex objecti, circa quod versantur, diversitate* . . . 203
CXXVIII. *Peroratio ad Auditores* 204

Digitized by Google

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI PARS GENERALIS.

SECTIO I.

DE ECCLESIA CHRISTIANA EJUSQUE REGIMINE.

CAPUT I.

DE ECCLESIA CHRISTIANA EJUSQUE NEXU.

§. I.

Ratio hujus instituti.

Quæ tamquam præcognita disciplinæ sacræ in ipsis institutionum initiis tractanda esse doctiores præcipiunt, ea parte quidem, diluciде tamen, nisi fallor, et pro instituto nostro satis explicate exposita sunt. Restat, ut ad ipsum jam totius doctrinæ systema ea, qua cœpimus, ratione explicandum progrediamur. Sed ad hoc ipsum doctrinæ istius systema recte ac scienter intelligendum quan-

Digitized by Google

topere intersit, veram tenere atque explicatam Ecclesiæ Christianæ notionem, non est cur operose hoc loco demonstretur. Ego quidem certè semper in hac fui sententia, et confirmor in ea quotidie magis, veram ecclesiastici juris, solidam, omnibusque hominum commentis vacuam cognitionem adipisci posse neminem, nisi qui divinæ hujus civitatis originem, causam, finem, nexum præterea membrorum subordinationemque, naturam porro atque indolem imperii sacri, formamque regiminis, habitum denique mutuum sacræ ac civilis potestatis, limitesque à patribus sapienter designatos, perspectos habet atque exploratos penitus. Est hæc totius canonicæ scientiæ velut *notio* quædam *directrix*, in qua determinanda si quid erroris admissum est, aut ambigui relictum luminis, fieri profecto non potest, quin in ipso deinde progressu doctrinæ hæreamus persæpe incerti, et pugnantis secum disciplinæ varietate obscuritateque impediti. Exempla testor tot errorum, tot præjudicatarum opinionum ludibria, quæ una hæc causa peperit, ex quo in scholis *Sanctorum Patrum* sinceram traditionem, et genuinæ vetustatis perspicua documenta cœpimus artificiosa quadam disputandi subtilitate, qua vellemus, ducere: non quod par erat, potius, qua illa ducerent, sequi: parum videlicet memores ejus, quod est præclare à *Vincentio Lirinensi* traditum, modestiæ ac gravitatis christianæ hoc esse proprium: *non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.*

Schol. Ceterum nemo à me hoc loco exigat, ut, quæ in dogmate de Ecclesia ab adversariis communionis nostræ in controversiam aut olim adducta sunt, aut nunc etiam adducuntur, productis rationibus firmare, et ab objectis argumentis vindicare instituam. Non enim vel meum est disciplinarum prudenter definitos limites movere temere, vel hujus instituti controversias de fide, data opera, illustrare. Scilicet lex scribendi hæc mihi proposita est: relicto sanctioris disciplinæ Magistris dog-

Digitized by Google

mate, ea dumtaxat ex innumeris seligere, et in quoddam veluti systema cogere, quæ propius ad explicandam christianæ societatis naturam pertinere mihi visa sunt. Nunc ad rem ipsam venio.

§. II.

Ecclesiæ Christianæ definitio.

Ecclesiæ nomen varie usurpatum à scriptoribus tam Græcis quam Latinis satis omnibus constat. Ego Ecclesiam intelligo illam *Christo* consecratam fidelium multitudinem exteriorem et visibilem, qua omnes tam boni quam mali Christiani in eamdem fidei societatem charitatis et communionis vinculo conjuncti, toto licet orbe diffusi, locorumque variis intervallis disjuncti, unum tamen cœtum, unum corpus efficiunt. Hunc cœtum varie *Sancti Patres* definiebant pro varietate ejus, quod erat cuique in disceptatione propositum. *Augustinus*, cui res erat cum Donatistis, qui veram *Christi* Ecclesiam intra Africæ angustos limites inseite concludebant, *Ecclesia est*, inquit (1), *populus fidelis per universum orbem diffusus. Cypriano* adversus hominem schismaticum disputanti illa est *plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens* (2). Luculentius utroque *S. Ambrosius*: *est congregatio*, inquit, *quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei, et charitatis adsurgit* (3). Ex his fortasse non inconcinne finiri in hunc modum potest, ut sit *cœtus hominum ejusdem christianæ fidei societate conjunctorum, qui sub communi legitimorum pastorum regimine verum Deum colunt, ut salutem æternam consequantur.*

Schol. Erunt, scio, qui, alius aliud in hac de-

(1) *Lib. de agone Christ. cap.* 29.
(2) *Epist.* 69. *edit. Baluz.*
(3) *Lib.* 3. *de Offic. cap.* 3. *n.* 12.

finitione, aut, si mavis, descriptione requirent. Sed difficile est ad omnium ingenium sapere. Aut, quæ est alia à doctissimis viris adhuc tradita Ecclesiæ notio, quæ non in alicujus reprehensionem inciderit? Ceterum, si quis hanc nostram comparare cum illis volet, quas Bellarminus, Tournelius aliique dederunt, deprehendet verbis multum, re nihil distare. Abstinui autem ab illis consulto, quæ in controversia posita sunt, ne quod minime volebam, statim in principio disceptandum sit. Conf. Honor. Tournel. *curs. theol. tom.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *et* 2.

§. III.

Ejusdem origo.

Societatis hujus indolem non eam, quam humana opinandi libido commenta est, verum à *Deo* ipso inditam evolvere dum instituo, initia ejus primum exquirenda sunt. Atque catholicis quidem divinam illius originem esse certum est, sed eam alii ad ipsa rerum creatarum initia referunt. *Honoratus* certe *Tournelius* (1) totus in eo est, ut Ecclesiam christianorum eamdem esse persuadeat, quæ dudum ante natum *Christum*, imo ante legem à Moyse promulgatam extiterit. Neque ego sane is sum, qui audeam negare, permulta esse tam ad fidem quam ad mores pertinentia præcepta, quæ Christiani sunt cum Judæis communia: verum ita censeo tamen, ut hæc quamdam in fide ac moribus consensionem probare possint quidem, Ecclesiam eamdem probare minime possint. Neque hoc contendebant veteres illi, quos sententiæ istius auctores sibi exstitisse *Tournelius* fatetur, *Eusebius* et *Augustinus* (2). Neuter enim, si recte intelligo, aliud disputabat quidquam, quam *Christum* Hebræis fuisse non incognitum, notionem

(1) *Loc. cit. art.* 3.
(2) *Nat. Alex. Hist. Eccl. Seo. I. dis.* 5.

Digitized by Google

quamdam de vera morum sanctitate, quæ nequaquam in nuda externorum rituum observantia consisteret, jam inde à primordiis rerum mortalibus insitam fuisse, neque ullam, nisi per *Christum* ad salutem viam umquam patuisse. Quo sensu *Leo P.* gratiam *Dei* ajebat, *qua semper est universitas justificata Sanctorum, auctam esse Christo* nascente *non cœptam.* Quæ fidei, ut præmonebam, ac notionum quamdam consensionem, ex qua exsistit interna fidelium unio, non externam demonstrant societatem Christianos cum Judæis conjungentem (§. II.)

Schol. I. Et vero internam hic dumtaxat intelligi unionem Sanctorum, atque internam justorum Ecclesiam testis est idem, quem Tournelius laudat, S. Augustinus *serm.* 4. *de Jacob et Esau cap.* 11. *Ecclesiam autem*, inquit, *accipite, fratres, non in his solis, qui post Domini adventum et nativitatem esse cœperunt, sancti; sed omnes, quotquot fuerunt sancti ad ipsam Ecclesiam pertinent.* Augustino consentit Gregorius M. *in Hom.* 19. *in Evangel. Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, tot quasi palmites misit.* Fixlmillner *de Republ. sacr. orig. divin. Ex.* 1. §. 18.

Schol. II. Hoc si pro eo, quod libenter ostentat, acumine ad animum suum revocasset Ans. Molitor, abstinuisset utique à jejuna illa observatiuncula, quam §. 1. dissertationis *de bonis Ecclesiæ*, inscite admodum ac illepide adscripsit. Quod ne quis per injuriam à me dictum suspicetur, en ipsa viri hujus verba: *Christi Ecclesia ab exordio mundi usque ad ejus exitium unica in se ipsa atque invariata est: tantummodo in sui constitutione diversa, pro temporum diversitate, exstitit: perinde atque Romanum Imperium unum atque indivisum fuit, quamvis sui regiminis ratio varias idemtidem vices fuerit passa. Eadem multo latioribus patescit spa-*

Digitized by Google

tiis, accommodatior longe est, et ad sua aptior consilia: sancta itidem atque necessaria: et si tempora spectes, antiquior omni quolibet Imperio ac ditione, utpote quæ orbi ipsi est coæva. Perspicuum inde est quam fallax atque spuria sit Protestantium pene omnium Jurisconsultorum opinio ac loquendi modus, cum adserunt Ecclesiam in civilem ingredi Rempublicam, cum fateri è contrario debeant, civilem Rempublicam in Ecclesiam ingredi; nam cujuscumque rei is ordo est, ut minor in majori comprehendatur. Nonne perperam proferrem civilem Rempublicam in aliqua familia contineri? Quin proferri indubie debet, familiam quamlibet à civili contineri Republica: enim vero cum hæc illis longe sit amplior, illas sibi necessario subdit, non tamen è contra. Cetera ejusdem sunt acuminis, quæ piget adscribere; longa enim est fabula, quam lusit vir politus, immemor, ut videtur, Ecclesiam, quam ab Abele repetit Gregorius M., electorum, inquam, Ecclesiam bonis temporalibus non egere.

§. IV.

Est à Christo.

Itaque externæ istius et à Judæis sejunctæ Christianorum societatis auctor est atque institutor *Christus.* Quod quidem tam est aperte in sacris litteris proditum memoriæ, ut extra omnem positum controversiam videatur. *Quum dies factus esset*, inquit Lucas (1), *vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Post hæc autem designavit Dominus (2), *et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo*

(1) *VI.* 13.

(2) *Luc. X.* 1. *seq.*

Digitized by Google

erat ipsè venturus. Multi vero crediderunt in eum (1), *et magna eum sequabatur multitudo, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur* (2). Equidem *Christus*, quum ita amplius triennio de vera salutem æternam adipiscendi via populum Judaicum erudiret, nihil ipse prætermittebat eorum officiorum, quæ vetus lex Hebræis imponebat, communionemque cum Judæis tam cultus publici, quam ceterorum à Deo præceptorum rituum et retinebat ipse, et suis idem ut facerent tantisper, commendabat : interitum tamen tam legis ipsius, quam Reipublicæ Hebræorum nec obscure nec infrequenter prædicebat, aliamque à se religionis causa instituendam societatem perfectiori quadam ratione *Deum* culturam, et per universum terrarum orbem propagandam disertissime prænunciabat (3). Neque vero prænunciabat hæc tantum. Cœpit mox ipse sanctioris hujus cœtus fundamenta jacere : quotquot enim seu ipse seu discipuli ejus huc adducebant, ut Dei se Filium, missumque divinitus humani generis liberatorem palam ac sincere profiterentur (4), eos illico novi fœderis sacris per Baptismum initiari dogmatibusque novis, ac novis vivendi agendique regulis præscriptis à reliqua Judæorum turba segregari jubebat, inque suam tamquam familiam cooptari. Habebat igitur *Christus* jam tum ovile suum, habebat oves suas : *Et animam meam pono pro ovibus meis*, inquit (5), *et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Quapropter dubitari omnino non potest, quin *Christus*, utut legem veneraretur ipse et coleret, re tamen vera à Judæorum Ecclesia cum suis secessionem fecerit, diversamque ab illa societatem reli-

(1) *Joann. VII.* 31.
(2) *Joann. VI.* 2.
(3) *Joann. IV.* 21. *Luc. XIX.*
(4) *Matth. X.* 33.
(5) *Joann. X.* 15.

Digitized by Google

giosam condiderit, quæ per omnem sensim orbem ab Apostolis horumque discipulis propagata, ipsius deinde nomine christiana est appellata.

Schol. Josephus *Antiq. Judaic. lib.* 18. *cap.* 4. Conf. Natalis Alexander *in Hist. Eccles. vet. testam. ætat. sext. diss.* 10. Mosheim *de reb. Christian. ante Constant.* M. *Sec. I.* §. 5. Fixlmillner *loc. cit.* §. 19. Schmetterer *Introd. in univers. jus canon. diss.* 1. *cap.* 2.

§. V.

Conjectura Bohmeri refellitur.

Atqui hoc tamen in controversiam revocabat *Justus Henn. Bohmerus*, cui viro si credimus, nec *Christus* separatum hujus generis cœtum instituit ullum, nec *Apostoli*, donec facta Gentilium ad *Christum* accessione, et nata hos inter ac Judæos de legalium necessitate controversia, illos quidem hæc ipsa ratio cogeret res suas ab his sejunctas habere, quod institutum subinde Hebræorum suos etiam persequentium furore propagatum, urbis demum ac templi excidium perfecerit (1). *Bohmero* post multos alios novissime adsensus est *Rotfischerus* in ea, quam de origine potestatis ecclesiasticæ scripsit, commentatione (2), qui quidem omnes, si recte conjecit doctissimus *Rautenstrauchius*, *veriti*, *ne*, *si Ecclesiam ceu societatem diversam et peculiarem divinitus institutam admittant*, *etiam jura eidem quæpiam divinitus competere*, *quæve proinde illi auferri*, *et in Principem transferri non possint*, *abstruere cogantur*; *primum illud*, *unde hæc cetera consequuntur*, *inficiari maluerunt* (3). Sed inficiandi causam idoneam nullam video. *Bohmerus* quidem certe, qui in hac firmanda opinione ope-

(1) *Dissert.* 8. *ad Plin. cap.* 2.
(2) *Sec.* 1. §. 4.
(3) *Inst. jur. pub. eccles.* §. 3.

Digitized by Google

ram videtur non segnem collocasse, nihil dixit, quod eam juvet magnopere.

Schol. *Habent causas suas viri docti quidam, maxime inter Jureconsultos*, inquit Mosheim loc. cit. *cur libenter concedere nolint*, Jesum Christum, *dum inter Judæos viveret, secessionem cum suis ab Ecclesia Judaica fecisse, novamque societatem hominum Deum colentium erexisse à cœtu Judaico distinctam. Mihi vero hoc in primis certum et perspicuum esse videtur. Quicumque nova dogmata proponit, novamque vivendi et agendi formam præscribit; eos, qui hæc dogmata recipiunt, hancque vivendi normam probant, per sacram quamdam ceremoniam à reliqua turba secernit, et in familiam suam cooptat; cum his sociis suis conventus singulares celebrat; denique frequentissime eos exhortatur, ut, quam semel amplexi sunt, credendi vivendique normam constanter teneant: is, nisi totus fallor, novam civitatem religiosam in populo condit, suosque veterem certa ratione deserere jubet. Hæc vero omnia* Servator *fecit. Primum omnes, quos erudiebat, hoc docebat, in se Messiam patribus Judæorum à Deo promissum advenisse :::: qui hæc dogmata et præcepta placere sibi profitebantur, eos à discipulis suis sacro ritu lustrari volebat* Joan. IV. 1. 2. *et per hanc ceremoniam divina virtute prædictam jure civitatis velati donabat: lustratos secum conjunctissimos esse, publiceque fidem suam et spem in ipso positam declarare volebat: cum his cultus divini causa sæpe conveniebat: hos de imminente civitatis et religionis Judaicæ exitio aliisque rebus adcurate erudiebat.* Mitto reliqua, quæ huc referri possunt.

§. VI.

Finis Ecclesiæ Christianæ.

Est itaque ut religionis ita societatis Christianorum idem auctor *Christus*, idem omnino *finis*. Ac ceteræ quidem, in quas variis de causis mortales sæpe coëunt, societates vitæ hujus fere interituram olim felicitatem consectantur. Nam et ipsa, quæ aliis omnibus et magnitudine præstat et nobilitate, civilis societas beatam se ac felicem prorsus reputat, quum ab omni secura metu, rebus, quibus ad vitæ commoditatem abundat, tranquille perfrui potest (1). At Christianorum sanctior est ac sublimior finis: beatitas nimirum, non hujus vitæ et quæ corporis commodis circumscribitur, sed ea, quæ est animæ, et ad futuram vitam pertinet, obtinenda per fidem in *Christum* humani generis liberatorem (§. V.). Quod aperte *Servator* docuit, quando legationis, quam obibat, rationem redditurus, *quia descendi de cœlo*, ajebat (2). *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me :::: Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Corol. I. Liceat hinc nobis nonnulla ducere consectaria, quæ in juris Ecclesiastici publici systemate rite constituendo permagni sunt usus. Primum hoc esto: finem Ecclesiæ Christianæ propositum, ab eo, cujus adipiscendi causa civiles societates coaluerunt, diversum esse prorsus ac *spiritualem*; fine Rerumpublicarum *præstantiorem* quidem ac *sanctiorem*, minime vero vel alterum alteri *subordinatum* vel *contrarium*: quorum illud Bellarminus disputabat, hoc effutiebat temere homo,

(1) *Wolf. Jur. nat. tom.* 8. *cap.* 1. §. 13.
(2) *Joan. VI.* 38. 40.

Digitized by Google

ingenio valens et acumine, sed impio interdum Rousseawius. Vid. Hein. Gotter. Scheidemantel, *Regum jus ac ratio* (*vulgo*, razon de estado) *pro acceptione ac moribus principalium populorum* §. 12. *et* 17.

Corol. II. Ex hoc autem consequens est alterum superiore haud minus perspicuum: quoniam ex finibus societatum obligationes ac leges, ex his porro officia ducuntur ac jura sociorum; leges quibus Ecclesia Christiana regitur, et officia quæ à suis deposcit, juraque quibus seu ipsa sacra hæc societas seu membra ejus singula gaudent, ita esse comparata, ut legibus, officiis, juribus civilibus, aut hæc illis adversari *per se* omnino nequeant; non magis certe, quam rectæ rationi quidquam esse potest consentaneum, quod sit à vera revelatione alienum. Apposite S. Augustinus, *lib. 19. de Civit. Dei cap.* 17. *Hæc*, inquit, *cœlestis civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans quidquid in moribus, legibus institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens, imo etiam servans ac sequens: quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua unus summus ac verus Deus colendus docetur, non impedit.* Vid. Sam. Puffendorf. *de concord. veræ polit. cum relig. christ.* quæ disputatio exstat in disputationibus academicis selectis *Lond. Scan.* 1675. 8. et Joann. Franc. Buddei *diss. de concord. relig. christ. statusque civil. Hal.* 1704. 4.

Corol. III. Quoniam deinde *media* rationem continent *finis*, ut proinde alterius, quam ipse sit, naturæ esse nequeant; manifestum est, media, quibus Ecclesia Christiana ad finem sibi propositum contendit, non temporalia sed *spiritualia* esse oportere: quod Paulus significare velle visus est, quando *arma militiæ nostræ*

Digitized by Google

carnalia esse negavit. Vid. Auctor *tract. de potest. eccles. et temporal. propos.* 1. *art.* 1.

Corol. IV. Denique quo omnes tandem ecclesiasticas constitutiones referri deceat, hinc apertum est: scilicet, ut civilium societatum leges rerum dumtaxat publicarum bonum ac salutem respiciunt, ita legibus Ecclesiæ is unus scopus propositus esse debet, ut ad eam vitæ rationem perpetua constantia consectandam dirigant fideles, qua efficiantur digni ea, quam immortalis hic animus exspectat, æterna beatitate. Nam hæc nobis *suprema* societatis *lex* est: hæc *salus Ecclesiæ*, ac *commune* Christianorum *bonum*; non *salus ac dominantis cleri tranquillitas*, quod aperto nimio et indigno eruditione viri odio disputabat Bohmerus *in diss. prælim. de supr. leg. ecclesiast.* præmissa, *tom.* 1. *Jur. eccles. Protest.* Conf. Pla. Fixlmillner *loc. cit.* §. 10. *pag.* 14. *seq.*

Corol. V. Non est tamen boni *communis* in Ecclesia, et *privati* eadem, quæ in civitate, ratio. In hac enim hoc illi ita subjectum est, ut quum unius pauciorumque privatum commodum in collisionem venit cum salute publica, necessario cedat. Aliud in societate Christianorum obtinet, in qua, ut ait vir clar. Steph. Rauttenstrauch. *Sicuti nemo unus renuntiare saluti suæ æternæ jure potest, nec ullo eam prodigere casu cuiquam fas et integrum est, ita sane saluti singulorum præcipue invigilandum, ut non possit universum corpus aliquorum membrorum pernicie curari, debeantque ad exemplum Magistri nonaginta novem oves derelinqui potius, ut centesima reportetur ad caulas. Inst. jur. publ. eccles.* §. 55. Quod ipsum ante observavit de Marca *lib.* 2. *cap.* 16. §. 7.

§. VII.

Ejusdem societatis unio.

Unio societatis istius duplex est, *interna*, quæ in

Digitized by Google

animorum quadam consensione sita oculis hominum inconspicua est, nisi per opera fidei et virtuti congrua, ut *Christus* ipse docuit, *è fructibus eorum cognoscetis eos* (1); et *externa*, quæ duplici potissimum vinculo continetur *fidei* nimirum, cujus una est atque eadem apud omnes professio (2), et *charitatis*, quo omnes, qui ubique sunt Christiani, in unum corpus unamque societatem conjunguntur (§. II.). Hanc unionem sunt qui ex arbitraria hominum confœderatione repetant. Verum nihil certius est profecto, quam exteriorem hanc unionem non minus quam priorem illam expressa *Christi* voluntate niti, qui in constituendis illis determinandisque, non *Doctoris* dumtaxat et *Magistri* vices obibat, sed *legislatoris* ac *supremi* in Ecclesia à se collecta *Rectoris*, pro ea nimirum summa potestate, quam sibi à *Patre suo cœlesti* traditam esse ipse nobis apud *Matthæum* testis est (3) dicens: *Data est mihi omnis potestàs in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Nam sicut impossibile est sine fide placere Deo (4), qui in spiritu et veritate adorandus est (5), et ex toto quidem corde, ex tota anima, ex tota mente et virtute (6); ita neminem *Christus* pro suo se agniturum edixit, qui se coram hominibus negaverit (7). Itaque ab omnibus apertam nominis sui, eamdemque professionem exigit, sine qua neminì ad regnum à se conditum viam patere voluit. Haud minus perspicuum est alterum de diligendo præceptum, quo custodiendo se quisque discipulum *Christi* probat: *Mandatum novum do vobis*, inquit, *ut diligatis invicem; sicut*

(1) *Matth. VII.* 16.
(2) *Irenæus lib.* 1. *cap.* 10.
(3) *Cap. XXVIII.* 18.
(4) *Ad Hebr. XI.* 6.
(5) *Joann. IV.* 23.
(6) *Marc. XII.* 30.
(7) *Matth. X.* 32. *seq.*

Digitized by Google

dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joann. XIII. 34. XV. 12. 13. 17.

§. VIII.

Hinc una est Ecclesia Christi.

Primum unitate Fidei.

Unio hæc fidelium omnium *unam* efficit Ecclesiam Christi, eamque non *interna* tantum et *invisibili*, verum *externa* quoque ac *visibili unitate*, quam fidei et charitatis vinculo continet (§. VII.) Unde apposite *S. Ambrosius* Ecclesiam dicebat *congregationem, quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis adsurgit* (§. II.) Una autem Ecclesia dicitur maxime ob fidem, quæ apud omnes eadem esse omnino debet. Ob eam Christus, dum jam prope abesset, ut traderetur inimicis, Ecclesiam suam Patri cœlesti commendans, primum quidem pro Apostolis suis, tum etiam pro omnibus, qui in se olim crediturі unam consensione sua Ecclesiam effecturi sunt, rogabat: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint* (1) Et *Paulus* in ea, quæ est ad Ephesios, epistola hoc præ ceteris inculcat sollicite, ut *occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei :::: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ* (2) Ex hac una fide Ecclesiæ unitatem etiam Patres æstimabant. *Tertullianus* libro de præscriptionibus omnes per totum orbem dispersas ecclesias unam appellavit Ecclesiam, propterea quod eadem fide *unam omnes probent*

(1) *Joann. XVII.* 20.
(2) *Cap. IV.* 13. 14.

Digitized by Google

unitatem. Similiter *Theodoretus* (1), *communiter*, ait, *omnes ecclesiæ ad unam rediguntur ob consonantiam verorum-dogmatum.* Et explicatius *vetus Auctor* commentarii, qui *Hieronymo* olim adscriptus est: *Ecclesia*, inquit, (2), *ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur propter unitatem fidei.* Cui plane consentit *Euthymius* (3): *si loca respicias, plures sunt*, ait, *si religionem et fidei communicationem, omnes, quæ ubique sunt ecclesiæ, unam constituunt fidelium Ecclesiam.* Mitto alia quæ huc referri possunt.

§. IX.

Deinde Charitatis.

Quoniam autem *nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur* ut *Hieronymus* ait (4); *neque schisma* vel scissio *fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur, qui faciunt*, ut *Augustinus* (5): præter unitatem fidei (§. VIII.) alio Ecclesiæ vinculo opus fuit, quo juncti inter se Christiani *solliciti essent*, quod Apostolus mandat (6), *servare unitatem in vinculo pacis*; atque ita omnes idem saperent, *eamdem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes* (7). Quo loco non obscure *Paulus* indicat, ad conservandam fidei unitatem necessariam esse unitatem *pacis* et *charitatis*, quam in illa contineri fideles diserte pronuntiabant Episcopi Africæ exsules in Sardinia (8) *Membra*, scribunt, *Ecclesiastici corporis* :::

(1) *In Psalm. XLVII.*
(2) *In Psalm. XXIII.*
(3) *In Psalm. LXXXVIII.*
(4) *Ad Tit. cap. 3.*
(5) *Contra Cresc. lib. 2. cap. 9.*
(6) *Ad Ephes. IV. 3.*
(7) *Ad Philipp. II. 2.*
(8) *Tom. 4. Concil. pag. 2733. edit. Venet.*

Digitized by Google

in unitate fidei compages retinet charitatis. Ipse Apostolus charitatem Corinthiis commendaturus sententiarum præcipue ac doctrinæ unitatem commendabat: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in nobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.* I. ad Corinth. I. 10.

§. X.

Ex qua unitas capitis.

Verum hæc pacis et charitatis unitas, quam in propriis veræ Ecclesiæ notis *Sancti Patres* connumerant, non ex ea consistit charitate, qua diligere homo hominem etiam à fide alienum debet, sed ex charitate quadam speciali Christianorum propria, qua adhærentes suis quisque pastoribus et Episcopis nullo dissidio divulsis, nulla opinionum ac sententiarum varietate disjunctis, ita inter se fidei consensione junguntur, ut *idipsum omnes sentientes* eamdem omnes fidei unitatem pacis vinculo custodiant (§. VIII. IX.). In hunc sensum *Patres* visibilem Ecclesiæ Catholicæ unitatem interpretati sunt, *Cyprianus* præcipue, cujus permulta sunt in hanc sententiam testimonia minime vel obscura vel ambigua. *Christo*, ait (1), *illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens* (§. II.) *Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse: et frustra sibi blandiri eos, qui* pacem *cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt; quando Ecclesia, quæ catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutine copulata.* Similiter ad Rogatianum: *Hæc sunt.*

(1) *In Epist.* 69.

Digitized by Google

inquit, *initia hæreticorum, et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, et Præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, nec altare profanum foris collocatur, sic contra* pacem Christi *et* ordinationem, *atque* unitatem Dei *rebellatur.* Et rursus in epistola ad Cornelium: *Neque aliunde heræses obortæ sunt*, ait, *aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex* vice Christi *cogitatur.*

Schol. Plura dabit Jos. Bingham. *orig. ecclesiast. lib.* 16. *cap.* 1. §. 6. *vol.* 7. *pag.* 26. *seq.* Verum hæc sufficiunt, ut intelligatur, quid de externa pacis unitate Cyprianus senserit. Rectene autem ita sensit Cyprianus? Bohmero *in diss.* 8. *ad Plin. et Tertull. cap.* 4. sentire ille quidem ac docere visus est consentanee usui et observantiæ ætatis, qua vivebat; sed doctrinæ Evangelii et Apostolorum exemplo parum conformiter. Quod si ita est, mirum, exstitisse neminem aut Cypriani æqualem, aut ex iis omnibus qui haud ita multo post Ecclesiis Christianis summa cum et pietatis et doctrinæ existimatione præfuerunt, virum sacrarum litterarum sat peritum, vel christianæ veritatis tam amantem, qui eum, hæc tam sæpe tam constanter ac publice disputantem, monuisset saltem, ne auctoritatis suæ studio, quod suspicatur Bohmerus, huc se adduci patiatur, ut veritati à majoribus traditæ vim iniquissimam inferat. Quod quia factum non constat, doctrinam Cypriani Ecclesiæ totius doctrinam fuisse credendum est. Bohmeri autem de Ecclesia Christi systema, cujus gratia sæpe eruditus ille vir in veteres Patres, Cyprianum maxime, injurius est, adeo apud ipsos Protestantes, Theologos potissimum vacillat, ut prope absit à ruina, quam jam dudum minatur. Kippingii hujus, quod adfirmo, conatus testes esse possunt,

Digitized by Google

§. XI.

Ejusque necessitas intelligitur.

Itaque *Cyprianus* principium unitatis in unaquaque Ecclesia Episcopum esse statuit, cui proinde ab omnibus obtemperari oporteat, si modo et ipse cum ceteris Ecclesiæ Catholicæ Episcopis pacem colat (§. X.). Neque enim adsentiri *Dodwello* possumus ita Cyprianum interpretanti, ut egisse illum putemus *non de illius Ecclesiæ unitate quam catholicam hodie dicimus, quæ nimirum omnes ambitu suo per terrarum orbem Ecclesias particulares complectitur, sed de ipsis dumtaxat Ecclesiis particularibus* (1): quam interpretationem ex ipso *Cypriano* egregie refellit novissimus editor Benedictinus è congregatione Sancti Mauri (2). Ipse quoque *Moshemius* in disputationibus historicis tanquam à mente Sancti *Martyris* alienam aperte rejicit. Nec immerito: negari enim profecto non potest, quin non *Cyprianus* tantum, verum alii etiam *Sancti Patres* visibilem quamdam Ecclesiæ unitatem tribuerint, eamque ab uno repetierint Episcopo, quem unitatis hujus originem ac centrum statuebant, hoc autem de solis Ecclesiis particularibus ut accipiatur, Dodwellus nihil attulit, quod persuadeat. Est autem, quod omnino dissuadeat: nam, si unus, quod non diffitetur, ad particularis Ecclesiæ unitatem Episcopus necessarius est, nihil restat, quam ut ad unitatem totius Ecclesiæ unum pariter Episcopum necessarium esse fateamur (3). Id quod ipsum ante *Grotius*, *Cowellus*, *Cartwrightus*, *Gookerus*, *Ballerinio*, memorati (4) vehementer probant. Verissime igitur *Nicolius* in expositione symbo-

(1) *Dissert. 7. in Cypr.*
(2) *In præf. §. 1. pag. 14. edit. Venet.*
(3) *Tom. 1. pag. 603. seq.*
(4) *De vi ac rat. primat. cap. 8. §. 6.*

Digitized by Google

li (1): *Necesse est*, inquit, *ad unitatem Ecclesiæ, non solum ut omnes particularis ecclesiæ ministri, laici* videlicet *et ecclesiastici Episcopo suo adhæreant; verum etiam ut inter Episcopos primus existat, qui omnibus præsideat, prospiciatque omnibus quæcumque ad conservandam unitatem necessaria sunt.*

Corol. Exterior itaque ac visibilis Ecclesiæ christianæ unitas duabus potissimum rebus continetur, *fide* (§. VIII.) et *charitate* (§. IX.). Ad eam conservandam necessaria est unitas Episcopatus, non in ecclesiis tantum singulis (§. X.), verum etiam in Ecclesia catholica (§ XI.). Unde duo sunt, quæ homines potissimum ab Ecclesia divellunt: *hæresis* nimirum, qua fidei unitas, et *schisma*, qua pax et charitas dissolvitur.

Schol. Ex his potissimum rebus ajo exteriorem Ecclesiæ unitatem æstimandam esse. Ceterum non ignoro pluribus de causis Ecclesiam unam dici posse. Febronius *tom.* 3. *pag.* 313. *seq.* Unam Sacramentorum participationem superioribus duobus capitibus adjiciunt plerique ad plenam corporis ecclesiastici unitatem exprimendam. Verum hæc non tam unitatem ipsam, quam unitatis significationem ac medium innuit: id quod de aliis etiam, quæ ad unitatem referri solent, censendum esse ait recte Ballerinius *de vi ac ratione primatus cap.* 10. §. 2.

§. XII.

Notio communionis catholicæ.

Itaque certum nobis esse debet, unitatem non minus quam Ecclesiam ipsam oportere visibilem esse: nulla enim esset, ut *Augustinus* ait (2), *securitas unitatis*, nisi pateret. Quæ autem conspicua oculis sit unitas, ea non in amore et interna dilectione, sed in ex-

(1) *Artic.* 9 *part.* 1. *cap* 2.
(2) *Lib.* 3. *in Parmen. n.* 28.

Digitized by Google

terna et manifestis declarata indiciis charitate sita est: quam *catholicæ communionis* nomine veterum more significamus. Unde conficitur unitate pacis visibili Ecclesiæ necessaria (§. IX.) communionis catholicæ unitatem ita contineri, ut una *Christi* ac visibilis Ecclesia nonnisi in unica communione reperiatur, à qua qui absunt, in Ecclesia non sint. Ut autem omnes *Christi* fideles catholicæ communionis vinculo colligati unam constituere ac visibilem Ecclesiam dicantur, non hoc necesse est, ut singuli inter sese nullo medio uniti communicent, quod ne fieri quidem potest; sed ut cum suis quisque Episcopis uniantur et communicent (§. X.), quorum mutua communione et canonica per varios gradus subordinatione universum christiani nominis corpus in unam cogitur communionem Episcopi unius, qui unitatis catholicæ centrum est et origo (§. XI.): ex qua omnium Christianorum cum centro suo communione illa existit catholica pacis et charitatis unitas, quam *qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem.* Cyprianus *de unitate Ecclesiæ.*

§. XIII.

Involvit membrorum subordinationem.

Etsi autem omnes Christiani fraternæ charitatis vinculo juncti ejusdem corporis membra sint (§. XII.), eorumdem Sacramentorum participes (§. XI.) per quæ pariter ad beatiorem vitam omnes contendunt (§. VI.), non est tamen vel idem omnium in eodem cœtu munus vel potestas eadem: quod *Apostolus* in priore ad Corinthios epistola adeo perspicue tradidit, ut omnem videatur dubitandi facultatem ademisse (1). Hunc locum respiciens *S. Gregorius Nazianzenus, ordo*, ait, *in Ecclee*

(1) *Cap. XII.*

Digitized by Google

siis quoque constituit, ut alii oves sint, alii pastores: alii præsint, alii subsint ac pareant: alius velut caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Ecclesiæ concinnitatem ac utilitatem vel inferius vel præstantius(1). Itaque Christianorum non eumdem esse in Ecclesia ordinem, evidens est, quippe quorum alii quidem præsint et regant, alii regantur ac subsint. Sed nec horum, quibus gubernandæ societatis cura commissa est, eadem est omnium functio, auctoritas eadem. Unde graduum varietas ac subordinatio, quæ superiorem hunc, illum jubet esse inferiorem, ne, dum pares jure omnes esse desiderant, disjunctis sententiis dissolutaque communione unitatem divellant Ecclesiæ necessariam (§. XII.).

Schol. Agnovit hanc necessitatem subordinationis Gasp. Zieglerus, eamque auctore ipso Deo institutam diserte adfirmat. *Comparatio ista apostolica*, inquit, *non integro tantum Ecclesiæ cœtui, sed etiam, et præcipue quidem, ministerio ecclesiastico, quod speciale in ea corpus constituit, applicari potest. Nisi enim alius in eo oculum, alius manum, pedem alius, et sic deinceps repræsentaverit, fieri non potest, ut* ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *quod jubet Apostolus* (2), *fieri et expediri omnia queant.::: Et voluit adeo ipse* Servator *Ecclesiæ suæ architectus, dum σκιαγραφῶν istius ædificii delineavit, ut plures sub diversis ordinibus, quos præscripsit, ad structuram istam concurrerent, suamque quisque sibi adsignatam portionem pro modo facultatum suarum ab ipso Deo concessarum exstrueret.::: Quæ quum ita sint, bono consilio et maximo cum Ecclesiæ compendio in ipso etiam ministerio ecclesiastico propter diversos ordines constituti sunt, tum qui regerent, tum qui regerentur, qui utrique tamen ad certas vicissim leges adstringi bent, si quidem inter eos perpetuam consistere veli-*

(1) *Orat. 26. de moderat. in disput. servanda.*
(2) *I. Corinth. XIV. 40.*

Digitized by Google

mus harmoniam::: Necessariam inter Ecclesiæ ministros talem subordinationem dicimus, *quæ regendi et parendi, partes distribuit:::: pares enim et æquales ubi esse cupiunt omnes, quid aliud inde sperandum, nisi inordinata confusio, discerptis sententiis, ac præposteris temporibus omnia pessime disturbans.* In præf. ad tract. *de superintend.*

§. XIV.

Et diversos ministerii sacri gradus.

Atque hic graduum, muneribus ac potestate distinctorum quidem, certa tamen lege subordinatorum concinnus ordo *hierarchia ecclesiastica* dicitur. Quare aliud est *status* Ecclesiæ, aliud *hierachia*. Ille clerum à plebe separat: hæc ordinem exprimit ac subordinationem eorum, quos *Christus* instituit ministros ac dispensatores mysteriorum (1), atque Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei (2). Unde vulgo duplex statuitur, *ordinis* una, altera *jurisdictionis*. Utraque arctioribus quidem in principio, ac post etiam aliquandiu, limitibus circumscripta constitit, utramque aucto fidelium numero, et propagato sensim credentium cœtu explicari magis ac distingui necesse fuit; sed ratio tamen utriusque, et a *Christo* indita forma (§. IV.), quæ præter *multitudinem* credentium, *Episcopos* Apostolici muneris heredes (3), et *Presbyteros* discipulorum locum obtinentes (4) sub uno *Christi* in terris *Vicario* (§. XII.) fide et charitate in unum corpus conjungit (§. II.), eadem semper atque invariate retenta est. Verum hæc nobis jam paullo explicatius disputanda sunt.

(1) *I. Corinth. IV.* 1.
(2) *Act. XX.* 28.
(3) *Cyprian. epist.* 42. *edit Balut.*
(4) *Hieron. epist. ad Fabiol. mans.* 6.

Digitized by Google

Schol. Sunt qui *discipulorum* munus extraordinarium fuisse, et ad tempus dumtaxat institutum volunt. Quæ opinio si vera esset, dimittenda utique Hieronymi sententia foret, qui ordinem hunc in Presbyteris perstitisse diserte tradidit. Sed illa profecto vanissima conjectura est, et ipsis sacris litteris aperte contraria. Vid. Frid. Eberh. Rambach *in præfat. ad Blakmori antiq. christ. tom.* 1. *præf.* §. 7. Sunt porro qui discipulorum septuaginta et Apostolorum idem fuisse munus eamdemque potestatem contendunt. Sed antiqui Patres eo loco discipulos habebant, ut Apostolis gradu inferiores fuisse contenderent: ita Chrysostomus, ita Tertullianus et Clemens Alexandrinus senserunt docueruntque palam, ut intelligi possit, communem eam ductam ab Apostolis traditionem fuisse, quæ hoc minus rejici à quoquam potest, quo magis consentanea est his, quæ de utroque ordine divinis litteris consignata sunt. Vid. *cit. præf.* §. 6. Mosheim *de reb. christ. Sec. I.* §. 6. *et* 7.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. XV.

Christiani Clerici sunt aut Laici.

In primis duo sunt Christianorum genera *Clericorum et Laicorum.* Scilicet ministerium ecclesiasticum, quo nomine ordo illorum, qui docentium, pastorum, regentium munere in Ecclesia funguntur (§. XIII.), venit, certum est, *Christi* ipsius ab institutione originem ducere (§. IV.). Tam enim multa sunt et tam manifesta institutionis istius in divinis litteris testimonia, ut

Digitized by Google

nulla possint disserendi subtilitate in alium sensum detorqueri (1). Neque vero instituit hoc *Christus* tantum, verum modum etiam doctrinæ ac formam præscripsit (2), rationemque administrandi Sacramenta monstravit (3), ac potestatem dedit remittendi retinendique peccata, non omnibus promiscue, sed his dumtaxat, qui vocati rite, et ad ministerium obeundum legitimo modo constituti essent (4). Ut negari non possit, quin et hæc et alia hujus generis complura, quæ ad ministerium sacrum pertinent, ita sint ordinis istius propria, ut sine fraude et injuria, sine violata divinæ institutionis lege occupari ab aliis minime possint. Hos autem in alio et à ministris sejuncto ordine connumerari, quid sit, quod vetet, fateor, me intelligere non posse. Etsi vero, quum de re satis constet, nolim de nominibus cum quoquam disceptare pertinacius: non dissimulabo tamen, ad eorum libenter accedere sententiam, qui clericorum laicorumque appellationes ipsis adeo rerum christianarum initiis æquales esse putant.

Schol. Id quod contra Seldenum et Rigaltium probat Jos. Bingham *orig. eccles. lib.* 1. *cap.* 5. et ante hunc Petrus de Marca *in diss. de discrimine clericorum et laicorum ex jure divino.* Justum vero Henningium Bohmerum distinctionem hanc juris esse divini negantem præcipue *dissert.* 6. *et* 9. *ad Plinium et Tertullianum* refellunt accurate Auctores memoriarum Trevoltinarum *ad ann.* 1712. *pag.* 1800. et præter Kippingium, Buddeum, Moshemium theologos è Protestantium communione doctissimos, novissime è nostris Placid. Fixlmillner *de rep. sacr. orig. divin. Exercit.* 3.

(1) *Ioann. XX.* 21. *Matth. XXVIII.* 19. *Marc. XVI.* 15.
(2) *Gal. I.* 8. 9. 12.
(3) *Corinth. XI.* 23.
(4) *Joann. XX.* 23.

Digitized by Google

§. XVI.

Clericorum diversi gradus.

Clericorum ordinem universum hierarchia complectitur, in varios gradus distributum, quorum alii *divini juris* sunt, alii *ecclesiastici* (§. XIV.). De his deinceps agemus. Ex iis vero postremus est gradus *Diaconorum*, quos dubium nullum est, quin jam primis illis ac beatis Ecclesiæ temporibus ad hierarchiam sacram relati fuerint; nam et in sacris litteris frequens eorum injecta est mentio (1), et antiquissimi rerum christianarum scriptores Diaconos constanter ceteris duobus à Deo institutis gradibus Episcoporum scilicet et Presbyterorum accensuerunt. Ita *Clemens* Romanus, Apostolorum, quod omnes norunt, et discipulus et comes in prioſe ad Corinthios epistola: *Apostoli*, inquit, *nobis evangelizaverunt à Domino Jesu Christo, Jesus Christus à Deo. Missus est ergo Christus à Deo, et Apostoli à Christo. Itaque :::: acceptis mandatis :::: egressi sunt adnunciantes, adventurum esse regnum Dei :::: Prædicantes ergo per regiones et urbes :::: Episcopos et Diaconos constituerunt.* Hoc teste perspicuum est, constitutos ab *Apostolis* Diaconos pariter et Episcopos eodem mandato, quo per regiones et urbes *jussi sunt* adventurum Dei regnum prædicare. Atqui hoc procul dubio *Christi* mandatum fuit (2); ut appareat *Christi* mandato institutos ab iis non Episcopos tantum, verum etiam Diaconos. *Neque hoc nove*, pergit idem Clemens: *à multis enim temporibus scriptum erat* (3): *constituam Episcopos eorum in justitiâ, et Diaconos eorum in fide.* *Clementi* consentit *Ignatius* in epistola ad Trallianos. *Cuncti reverean-*

(1) *Act. VI.* 3. *XXI.* 8. *ad Philipp. I.* 1. *I. Tim. III.* 8.
(2) *Matth. XXVIII.* 19.
(3) *Isa. LX.* 17. *ap. Coteler. tom. I. pag.* 171. §. 42.

Digitized by Google

tur Diaconos ut mandatum Jesu Christi exequentes ministerio suo; *et Episcopum, ut eum qui est figura Patris; Presbyteros autem ut consessum Dei. Sine his Ecclesia non vocatur* (1). Neque alia *Sancti Polycarpi* sententia fuit, quam in litteris ad Philippenses datis scribit: *subjecti estote Presbyteris et Diaconis, sicut Deo et Christo* (2): quod quidem *S. Martyr* dicturus minime fuerat, si Diaconorum magis quam Presbyterorum institutionem mere humanam credidisset. Quæ autem docebat *Polycarpus*, ea docebat audita à *Joanne*, quo præceptore usus est, et à ceteris *Christi* discipulis: *quippe nonnullos Apostolorum, et eorum, qui viderant Dominum, Magistros habuerit et viderit*; Hieronymo teste *de script. eccles. cap.* 27.

Schol. I. Primam Diaconorum institutionem Lucas memoriæ prodidit Act. *cap. VI.* ab iis enim tunc institutis Diaconis ducunt Patres originem Diaconorum, qui posthac constanter in ministerio altaris versabantur: veluti S. Cyprianus *in epist.* 68. quæ est ad Clerum et plebem Hispaniæ, et Concilium Neo-Cæsareense *ann.* 314. *can.* 14. Quæ sententia, si vera est, ut est sane magis certa quam verisimilis, Pfaffii illa *in orig. jur. ecclesiast. cap.* 2. *art.* 2. *pag.* 43. et aliorum probari minime potest, qua septem illos viros munus gessisse statuitur non ordinarium sed extraordinarium Hierosolymitanæ Ecclesiæ proprium; atque idcirco Diaconos, quorum Paulus in epistolis suis meminit, ab Hierosolymitanis illis plane fuisse diversos. Conjecturam hanc nulla probabili ratione niti Moshemius probatum dedit *de reb. christ. ante Constant. M. Sec. I. pag.* 120. *seqq.*

Schol. II. Aliam muneris hujus interpretationem dedit Just. Henn. Bohmerus *in dissert.* 5. *ad Plin.* §. 20. Disputat eo loco vir doctus septem illos viros pauperum curationi præfectos ab Apostolis, non Diaconos fuis-

(1) *Ap. Coteler tom.* 2. *Bibl. Patr. pag.* 22.
(2) *Ap. Coteler. tom.* 2. *pag.* 190. §. 5.

Digitized by Google

se, sed Presbyteros. Dudum ante hunc Thomas Bilsonus Presbyterorum nomine etiam Diaconos in libris novi testamenti indicari statuebat *libr. de perpetua eccles. gubern. cap.* 10. Burnetus autem septem illos Apostolis prope æquales fecit: Diaconos vero Paulo memoratos Presbyteros interpretatus est. Utraque hæc opinio habet aliquid, quod ad firmandam Bohmeri sententiam conferre potest, quæ si probari posset, sequatur sane necesse est illud, quod efficere magno conatu intendebat, primos cœtuum Christianorum Presbyteros, non sacratioris ministerii, sed bona pauperum rite administrandi causa potissimum fuisse institutos. Verum nihil inesse ponderis Bohmeri argumentis ostendit Moshemius *loc. cit. pag.* 122. *seqq.*

§. XVII.

Diaconorum ordo à Deo institutus.

Ipse tamen etiam *Moshemius* divinam huic muneri institutionem abjudicat ea maxime ratione, quod *Paulus*, ubi munera enumerat divinitus inter Christianos instituta (1), nullam plane Diaconorum mentionem faciat, ipse licet aliis in locis, quales esse deceat Diaconos, disertis sententiis præcipiat. Atque in hoc nescio, an quemquam è suis non consentientem habeat. Quorum est illud etiam ministerium Diaconorum in principio non sacrum, sed profanum fuisse in pauperum cura et bonorum communium quotidiana distributione situm: quod quidem ex ipsis Apostolorum actis liquere ajunt, quæ nullum, præterquam quod ad viduarum alimenta pertinet, ministerium Diaconis attribuunt, unde *mensarum* illos *et viduarum ministros* vocet *S. Hieronymus* (2). Huic sententiæ aperte favet Synodus Trullana (3). Humanam au-

(1) *I. Corinth. XII.* 28. *Eph. IV.* 11.
(2) *In Epist. ad Evang.*
(3) *Can.* 16.

tem Diaconatus originem esse *S. Cyprianus* non dissimulabat, dum in epistola ad Rogatianum (1) monet eos: *Meminerint, quoniam Apostolos, id est, Episcopos, et Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem Apostoli post adscensum Domini in cœlos sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros.*

§. XVIII.

Respondetur contrariis.

Sed hæc profecto tanti non sunt, ut communem Ecclesiæ Christianæ sententiam antiquissimorum Patrum traditione firmatam (§. XVI.) cogant deserere. Nam *Cyprianus* jubet quidem meminisse Diaconos, se post adscensum Domini constitutos demum ab Apostolis, Episcopos vero à *Christo*; nec tamen hoc voluit *S. Martyr*, quasi horum quidem ordo divinæ, humanæ illorum esset originis: sed hoc voluit *Christum* per se, ut ait schola, Episcopos, Diaconos vero per Apostolos instituisse, quod ipsum etiam satis grave ad conciliandum Præpositis honorem, reprimendamque Diaconorum temeritatem fuit, qui Episcoporum auctoritatem vilem habebant. Alioqui *Cyprianum* Diaconorum ordinem non minus quam Presbyterorum à Dei ipsius institutione repetiisse, dudum est, quod viri docti penitus confecerint. Operam vero Diaconorum, quos à plebe selectos Apostoli leguntur ordinasse, ad mensarum curam dumtaxat et subsidium viduarum pertinuisse, ut credam, vetant sanctiora eorumdem ministeria, quæ in Evangelio prædicando et in Sacramentis administrandis præstitisse eos ipsæ divinæ litteræ testantur (2). Vetant etiam luculenta *Ignatii* et *Polycarpi* (§. XVI.), tum et *Cypriani* (§. XVII.)

(1) *Epist. 65.*
(2) *Act. VII. et VIII.*

Digitized by Google

testimonia (1). Et amabo! cur easdem prope in Diaconis quas in Episcopo dotes requirit *Apostolus* (2), si tam vile eorum, ut contenditur, ministerium fuit? an tantum necesse fuit adhibere studium in deligendis qui prandia mensasve pararent, ministris? cur his constituendis non sola suffecit plebis electio? cur oratione? cur manuum impositione opus fuit? nimirum *idcirco tam diligenter* hæc *et caute convocata tota plebe gerebantur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Cypr. *epist.* 68.

§. XIX.

Instituti sunt ad ministerium sacrum.

Neque vero *S. Hieronymus*, dum mensarum eos ac viduarum ministros vocat, alia eis ac præstantiora ministeria adimit. Idem enim *S. Doctor* Diaconos habebat, ut Cleri partem laicis *Christi* mandato superiorem (3), parique cum Episcopis et Sacerdotibus continentiæ lege adstringi probat ex eo, quod immaculatam cum Presbyteris hostiam offerant (4), et in tertio *Sacerdotii* gradu collocat (5). Dum igitur Diaconorum quorumdam fastum repressurus, ministerii, quæ institutionis occasionem præbuit, vilitatem objiciebat, non decebat hæc in eum torquere sensum, ut à ministerio altaris eos penitus removisse putaretur. *Trullanæ* vero *Synodi* nihil moror auctoritatem, quæ dum Constantinopolitanæ Ecclesiæ usui regulæ Neo-Cæsareensi adversanti ficta interpretatione præsidium adferre voluit, prodere traditionem *PP.* maluit, quam institutum desere-

(1) *Bingham orig. eccles. lib.* 2. *cap.* 20.
(2) *I. Tim. III.*
(3) *Lib.* 1. *adv. Jovin.* 34.
(4) *Ad Pamach. epist.* 48. *n.* 10. *edit. Veron.*
(5) *Ad Heliod. epist.* 14. *n.* 8.

Digitized by Google

re, ut doctissimus *Espenius* observat. Ceterum Diaconorum ordinem altaris ministerio addictum non negat Synodus, qualem in Ecclesia Græca semper exstitisse nemini dubium est.

Schol. Conf. Natalis Alexander *in Histor. eccles. Sec. I. dissert.* 7. Dionys. Petavius *in diss. ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 1. et alii ex Theologis nostris passim.

§. XX.

Episcopatus pariter et Presbyterium divinæ sunt institutionis.

Præter Diaconos *Deo* ita præcipiente ab *Apostolis* ordinatas (§. X.) duo sunt alii ab ipso *Servatore* nullo medio instituti ordines, *Episcoporum* et *Presbyterorum*, quorum hi successionis jure *discipulorum*, illi *Apostolorum* in Ecclesia ejus locum obtinent (§. XIV.). Ac de Episcopis quidem hoc clarissime traditum est memoriæ à *Tertulliano*, *Clemente Alexandrino* et *Origene*, qui omnes proximo post ævum apostolicum sæculo vixerunt (1). Sanctum vero *Cyprianum* iis prope æqualem in eadem fuisse sententia, è pluribus ejus locis testatissimum est. Episcopos enim Apostolis *vicaria ordinatione successisse* adserit in Epistola ad Florentium (2). Alibi, *quoniam Apostolos*, inquit, *id est*, *Episcopos et Presbyteros* Dominus *elegit* (3). Ob eam rem episcopalem auctoritatem *Ecclesiæ gubernandæ sublimem et divinam potestatem* vocat (4). Cum primis autem hoc docet in ea epistola, quæ est ad Lapsos, cujus hoc initium est: *Dominus noster, cujus præcepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ ra-*

(1) *Bingham orig. eccles. lib.* 2. *cap.* 1.
(2) *Epist.* 69.
(3) *Epist.* 65.
(4) *Epist.* 55.

Digitized by Google

tionem disponens in Evangelio, loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram:::: Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, ut omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Quum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse (1) Nam hoc quidem loco conceptis verbis adfirmat, *divina lege* fundatum esse, ut *omnis actus Ecclesiæ per Episcopos gubernetur.* Unam eis addo Nicæni Concilii tempore clarissimum Præsulem Sanctum *Athanasium* ita scribentem *Dracontio: quod si constitutio Ecclesiarum tibi non placet; aut nullam omnino mercedem Episcopi functioni destinatam arbitraris; et* Servatorem, *qui eam ita instituit, contemnis: oro te, ne istiusmodi quid in mentem admittas, neque auctores istiusmodi consiliorum sustineas. Non enim ista digna sunt* Dracontio. *Nam quæ Dominus per* Apostolos *instituit, et bona sunt et firma persistunt.* Quod si autem episcopalem functionem, de qua hic *Athanasio* sermo est, Servator *instituit*, si Dominus per *Apostolos*, quin ea divino jure instituta sit, profecto nemini dubium esse potest.

COROL. Unde inanis est distinctio quorumdam inter *divinum* jus et *apostolicum*, ita ut Episcopatum apostolico, non divino juri tribuendum existiment. Nam quum, ut scite observat Beveregius, *Apostoli in Ecclesia propaganda et stabilienda divinitus inspirati atque adjuti fuerint, nihilque fecerint, nisi quod à Christo traditum acceperant, et nihil Christus* θεόπνευστος, *nisi quod à Deo: quare distinguendum sit, vel quomodo distinguatur inter jus apostolicum et divinum, se prorsus nescire. In Cod. canon. eccles. primit. vindic. lib. 2. cap.* III. §. 18.

(1) *Epist.* 27.

Digitized by Google

§. XVI.

Et illi quidem his tam ordine, quam potestate superiores.

Ut autem de divina Episcopatus origine veterum dubitabat nemo (§. XX.), ita Episcoporum supra Presbyteros auctoritatem ad divinam pariter institutionem mira omnes consensione referebant. Certe ab ipsis inde Apostolorum temporibus usque ad *Aërium* hominem dignitatis quam christianæ pacis cupidiorem nemo unus exstitit, qui Presbyteros ejusdem, atque Episcopos ordinis esse statueret. Contra ea vero omnes, quorum ad nostram memoriam conservata sunt monumenta, ubi ecclesiasticos ordines enumerant, tres istos, Episcoporum scilicet, Presbyterorum et Diaconorum velut distinctos, atque alterum altero superiorem recensent: id quod à viris doctissimis adeo perspicue, adeo luculenter demonstratum est, ut ex hac tanta Patrum consensione victi etiam, qui repugnabant maxime, confiterentur denique vix sexagesimo ab Apostolis anno, nullam facile reperiri Ecclesiam, quæ non ab uno quodam ac singulari Episcopo administrata fuerit, ceteris Presbyteris præsidente, summamque in universo cœtu auctoritatem exercente. *Bevereg. loc. cit.* §. 16.

Schol. I. Hoc autem ipsum ejusmodi est, ut causam penitus conficere videatur Beveregio *loc. cit.* §. 17. *Primo enim*, inquit, *primos Apostolorum successores, quos latere non potuit, quomodo Apostoli Ecclesiam perpetuo administrandam fore decreverant, pientissimos fuisse viros, totosque Christi cultui devotos, nemo vel negare potest vel dubitare qui christianam religionem præsefert. Tanta enim fide, tanta pietate, tanto in Christum amore præditi erant, ut Evangelium ab ipso prædicatum sanguine suo consignare semper parati es-*

Digitized by Google

sent, quippè qui se suaque omnia Christo dedicarant. Quocirca si potuissent, haud dubie numquam voluissent quivis eorum majorem sibi supra fratres suos potestatem usurpare, quam Dominus ipsis prius concesserat. Hoc enim cum vera pietate neutiquam consistit, ac propterea in tam sanctos piosque viros cadere non potuit. Quid enim in Christum magis impium, quam sacram ipsius institutionem sacrilega manu violare? in fratres quid magis iniquum, quam suis eos privilegiis spoliare, et totam istam auctoritatem, quæ ipsis omnibus in commune à Christo commissa fuerat, sibi soli arrogare? Hæc tam egregia sunt ista facinora, quæ presbyteranæ paritatis adsertores primis Apostolorum discipulis et successoribus imputare non erubescunt, dum eos statim post Apostolorum obitum se supra fratres suos insolentia dominatus extulisse adseverant. Et præterea ut si potuissent, numquam voluissent; sic etiam è contrario, si voluissent, numquam potuissent aliam quam apostolicam ecclesiasticæ administrationis formam ubique saltem terrarum introducere ac stabilire. Si una, fateor, alterave dumtaxat ecclesia à singulari Episcopo gubernata fuisset, suspicari forsitan liceret, aliquam apostolicæ institutioni violentiam ibi nefarie illatam esse. Res autem longe aliter se habuit. Omnes enim ecclesiæ ab Apostolis constitutæ, etiamsi magno locorum intervallo disterminatæ, sibique invicem vix nomine tenus cognitæ, in unam eamdemque regiminis formam conspirarunt: adeo ut secundo nondum adulto sæculo, ac proinde statim post Apostolorum obitum nullam invenire sit ecclesiam, quæ non à singulari Episcopo administrata fuerit. Quod fieri nequaquam potuit, nisi omnes ecclesiæ eamdem disciplinæ atque administrationis formam una cum fide ab Apostolis traditam accepissent, cetera. Conf. Rauttenstrauch *instit. jur. publ. eccles. sect. 1. cap. 7. §. 102.*

Schol. II. Primus fuit sæculo IV. Aërius, qui

Digitized by Google

Episcopatus, quem fertur ambiisse, spe dejectus, Episcopum à Presbytero nulla re differre ausus est adseverare, hæreticis ob eam rem adnumeratus, Augustino teste *de hæresib. cap.* 53. *Cujus dogma supra hominum captum furiosum et immane* vocat Epiphanius *hæres.* 75. Sepultam diu doctrinam Aërii Wiclefus, quem et ipsum Wigorniensis episcopatus spes fefellisse dicitur, recoxit, discipulum nactus Calvinum *Inst. lib.* 4. *sect.* 2. §. 2. *pag.* 392. Ab hoc acceptam sententiam acerrime propugnabant Salmasius *lib. de Episcopis et Presbyteris*, quam sub nomine Walonis Messalini edidit *Lugdun. ann.* 1641. David. Blondellus *in apologia pro sententia Hieronymi de Presbyteris et Episc. Amstelod. ann.* 1646. Franc. Buddeus *Exerc. de orig. et potestate Episcoporum. Jen.* 1702. Just. Henn. Bohmer. *diss.* 7. *ad Plin. et Tertull. cap.* 3. *pag.* 393. *seqq.* alii passim. Salmasio et Blondello responderunt non è nostris tantum Dionysius Petavius *in libris de hierarchia ecclesiastica*, Morinus *de sacris ordinat. part.* 3. *exercit.* 3. Natalis Alexander *in Hist. ecclesiast. sec. IV. diss.* 44. Joann. Dartis *lib. de Episcopis et Presbyteris, et eorum differentia*, verum etiam ex Britannis eruditissimi viri Thomas Bilsonus *de perpetua Ecclesiæ Christi gubernatione. Lond.* 1611. 4. Joann. Pearsonius *in vindic. Ignatian. part.* 2. *cap.* 13. Beveregius *in cod. can. Eccles. primit. vindic. lib.* 2. *cap.* 11. Hansmondus *libro de Episcopis et Presbyt. Lond.* 1611. Franc. Prokesby *in Hist. hierarchiæ Ecclesiæ primitivæ per tria sæcula, et initium quarti. Lond.* 1712. germanice nuper edita. Bingham *orig. ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 1. *vol.* 1. *pag.* 53. *seqq.* Jac. Usserius *de origine Episcoporum*, ut alios non commemorem.

Digitized by Google

§. XXII.

Quod ex sacris litteris constat.

Leve enim est profecto, in quo vim magnam positam esse putabat *Bohmerus* (1) nomen Episcopi etiam Presbyteris in sacris litteris interdum tribui. Nam ut demus hoc liberaliter, quod tamen sunt qui in dubium revocent; quid hinc confeceris amplius, quam in principio Christianorum cœtuum Præpositos alio nomine appellatos fuisse, deinde vero invaluisse, ut Episcopi dicerentur ii tantum, penes quos in unaquaque ecclesia summa regendi potestas esset? de quo quidem ego nolim disputare pertinacius. Quid enim appellationum hæc seu varietas seu communio ad evertendam Episcoporum vetustamen momenti habet, dum constet, viventibus ipsis et probantibus *Apostolis*, in ecclesiis saltem majoribus uni præ ceteris eminenti principatum fuisse attributum? *Et magnum habet hæc sententia præsidium*, inquit Moshemius (2), *quod numquam, quidquid etiam laborent, dejicient presbyteriani qui nominantur, in* Angelis *illis, ad quos datæ sunt epistolæ, quas* S. Joannes *jussu ipsius* Servatoris *septem Asiaticis Ecclesiis misit* (3). *Certe liquet has epistolas vel obiter legenti*, Angelos *istos homines esse auctoritate præditos, quibus et vitia familiarum, in quibus versabantur dedecori ac virtutes laudi dari potuerint.* Similem huic *Timothei* fuisse auctoritatem à *Paulo* illi commendatam ex eo potest perspicue intelligi, quod ea auctoritate quemadmodum eum uti deceat, sollicite monet: ne scilicet manus cuiquam cito imponeret: adversus Presbyteros accusationem ne reciperet, nisi sub duobus tribus-

(1) *Cit. diss. cap.* 3. §. 8.
(2) *De reb. christ. ante Const. sæc. I.* §. 41.
(3) *Apocalyp. II. et III.*

Digitized by Google

ve testibus: ut hæc custodiret omnia sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando (1). Quæ quidem admonitiones frustra fierent, inquit *Beveregius* (2), ac inaniter, imo inepte et ridicule, nisi *Timotheus* et ordinandi, et accusationes contra Presbyteros prolatas audiendi, et causas denique ecclesiasticas judicandi potestatem accepisset. Atque hujusmodi potestas fuit etiam *Titi* in insula Creta, quod ex epistola ad eum scripta apertum est. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, ait Apostolus (3), *ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Quam autem in Asia *Timotheus*, *Titus* in Creta potestatem exercuerunt, eamdem fuisse in aliis etiam quibus ecclesias habuerint sibi creditas, pro certissimo potest recipi.

Corol. Itaque hierarchia ecclesiastica non demum post ætatem Apostolorum novo ausu introducta est, sed in ipsis adeo rei christianæ initiis ex ipsius Christi mandato instituta est ordinataque, ita ut quemadmodum *Diaconi* gradu inferiores suberant Presbyteris (§. XVI.) ita hi Episcopis (§. XXI.) tamquam qui supremam in omni fidelium cœtu, non *dirigendi* tantum, verum *regendi* etiam ac *disponendi* potestatem à Deo ipso collatam exercebant (§. XXII.). *Attendite vobis*, scriptum est de his, *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (4). Recte proinde Tridentini Patres: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, anathema sit. Sess. 23. can. 6.*

(1) *I. Tim. V.* 19. *seqq.*
(2) *Loc. cit.*
(3) *Ad. Tit. I.* 5.
(4) *Act. XX.* 28.

Digitized by Google

§. XXIII.

Primatus à Deo institutus.

Atque hæc quidem singulorum est cœtuum hierarchia sapienter ita per diversorum graduum legitimam subordinationem temperata, ut in uno demum totius cœtus supremo pastore desineret (§. XIII.). Quæ autem istam Præpositi unius singularem auctoritatem in singulis Ecclesiis exigebat, ut concordia scilicet inter Presbyteros servari, conventus ecclesiæ cogi ac gubernari, fluctus et factiones forte in populo nascentes sine strepitu et dissensione componi possent (1); eidem in Ecclesia Catholica ex innumera particularium cœtuum multitudine in unam societatem compacta multo magis locum esse oportere evidens est. Nam, quod prudenter monet *Hugo Grotius* (2): *ordo sive in partibus sive in toto continetur principatu quodam, sive Præpositi unitate.* Est quidem populi sui unum atque essentiale caput *Christus* (3): sed visibilis Ecclesiæ Catholicæ unitas (§. XI.) visibilem et conspicuam omnibus Præpositi unitatem deposcebat. Unde unum omnibus schismatis tollendi causa (4), tamquam principem potestatis suæ vicarium præposuit, qui quidem non dominans in clero arbitrarium (5), sed ad normam Evangelii charitate ac lenitate temperatum imperium exerceret: oves pasceret ipse forma gregis factus (6), ceterosque ejusdem gregis pastores à *Spiritu Sancto* positos tamquam fratres ac comministros regeret coleretque (7).

(1) *Moshemius loc. cit.*
(2) *Vot. pro pac. eccles. art.* 7.
(3) *I. Corinth. III.* 11. *ad Ephes. I.* 22.
(4) *Hieron. adv. Jovin. lib.* 1. *n.* 26.
(5) *Matth. XX.* 25.
(6) *I. Petr. V.* 3.
(7) *Matth. XX.* 26. *Luc. XXII.* 32.

Digitized by Google

Schol. Qui hujus naturæ est primatus, eum cur aut indoli Ecclesiæ adversum, aut injurium Christo, et libertati discipulorum ejus inimicum putem, nullam causam reperio. *Præcipua* atque *essentialis* potestas semper Christi est Ecclesiæ suæ proprii capitis; Episcoporum, et Primatis *vicaria* et *ministerialis*. *Inde est*, inquit Barthel. *opusc. Jurid. tom. 2. de jure reform. §. 2. quod in Episcopatu animarum nostrarum Christus nullum habeat successorem, sintque Apostoli et Episcopi Christi in terris dumtaxat vicarii, potestatem tantum ministerialem, non abolutam habentes.*

§. XXIV.

Primum Petro collatus est.

Eximio huic muneri in Ecclesia gerendo, quem ex Apostolis suis destinaverit *Servator*, jam tum haud obscure indicabat, quando Petro dicebat: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (1). Clavium enim nomine gubernandæ Ecclesiæ eamque peculiarem *Petro* tributam potestatem hoc loco, constans est *Sanctorum Patrum* traditio. Etsi enim *petram*, super qua ædificaturum se *Christus* Ecclesiam suam significat, alius quidem *Christum* ipsum, *fidem* alius et *confessionem Petri*, alius denique cum Petro reliquos etiam Apostolos ac discipulos interpretetur; nihil tamen hæc interpretandi varietas isti, quam dicebam, traditioni detrahit. *Petrum* enim ea voce peculiari quadam ratione significari, quotquot *litteralem*, cujus præcipuam in disceptando rationem haberi nemo ignorat, textus sensum

(1) *Matth. XVI.* 18. 19.

Digitized by Google

eruere conati sunt, mira consensione ab iis traditum reperio.

Schol. I. Quod adductis eorum testimoniis ostendunt Honor. Tournelius *tom. 2. de eccles. pag. 21.* Petr. Colletus *prælect. theol. tom. 7. part. 2. pag. 226.* Natalis Alexander *in Hist. eccles. sæc. I. diss. 4.* Petr. de Marca *diss. de discr. cleric. et laic. cap. 3.* et nuper in originibus ecclesiasticis celeberrimus Mamachius.

Schol. II. Clavium potestas omnem complectitur potestatem, quæ in regendo populo fideli eoque ad salutem æternam perducendo versatur. Negat hoc quidem Bohmerus *diss. 3. ad Plin. §. 7.* Seldeni *de synedr. lib. 2. cap. 7. §. 2.* Vitringæ *de synag. vet. lib. 3. part. 1. cap 10.* Lightfooti *in horis hæbraicis* interpretationem sequutus. Alias aliorum interpretationes recenset Pfaffius *orig. jur. eccles. pag. 9. seqq.* Conf. Placid. Fixlmillner *de reipubl. sacr. orig. divin. Exercit. 2. sect. 1. §. 3. pag. 35. seqq.*

§. XXV.

Quod ex sacris litteris constat.

Eamdem *Petri* præ ceteris *Apostolis* prærogativam probat similis huic locus *Joannis cap. XI.* (1), ubi quum *Christus* iterum ac tertio *Petrum* interrogasset; *Simon Joannis, diligis me plus his?* respondisset autem *Petrus: Domine, tu scis quia amo te: Christus* semel iterumque subjicit, *pasce agnos meos:* postremo autem, *pasce oves meas.* Pascendi enim munere dignitatem contineri cum potestate conjunctam, non ex divinis modo litteris, verum ex aliis etiam aliorum scriptis ostendit *Barthelius* (2), juxta illud de Davide: *Tu pasces populum meum Israël, et tu eris dux*

(1) *Vers. 15. seq.*
(2) *Loc. cit.*

Digitized by Google

super Israël (1). Ut quid autem repetita hæc de amore interrogatio? cur repetitum de pascendo *Domini* grege mandatum datur *Petro*, si nullum peculiare, nullum à ceteris Apostolis distinctum ei munus collatum est? ut alia taceam è sacris litteris argumenta, veluti quod primus omnium, quoties Apostolorum initur census, nominetur (2); seorsim sæpe à ceteris ponatur tamquam qui principatum obtineat (3); atque alia hujus generis complura *Bellarmino* in primis anxie conquisita (4), quæ *Petrum* fuisse ceteris Apostolis prælatum non ambigue insinuant.

Schol. Neque sane rem conficiunt, qui Petrum ceteris ordine præpositum ajunt, quia aliis seu *ætate*, seu *vocatione* antiquior fuerit. Nam ad vocationem quod attinet, Andream Petro priorem fuisse, ex Joann. *cap. I.* 40. *seqq.* intelligi potest. Uter autem duorum fratrum ætate alterum superaverit, quoniam scriptura tacet, definiri pro certo non potest, ut non diffitetur Basnage *annal. eccles. polit. ad annum* 30. §. 33. Baronius tamen Andream ætate majorem putavit *annal. ann.* 31. §. 24. qua in re Epiphanium *hær.* 51. auctorem habet.

§. XXVI.

Et Sanctorum Patrum traditione.

Cui quidem interpretationi omnis *Sanctorum Patrum* suffragatur traditio. Innumera pene sunt eorum in hanc rem testimonia, quæ præ ceteris diligentissime in cultissimo christianarum antiquitatum opere collegit eruditissimus *Mamachius*, è quibus adferemus pauca. Sanc-

(1) *II. Reg cap. V.* 2.
(2) *Matth. X.* 2. *Marc. III.* 16.
(3) *Marc. I.* 36. *Luc. VIII* 45. *Act. II.* 14.
(4) *Lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* 4.

Digitized by Google

tus *Basilius* (1), *Beatus ille Petrus*, inquit, *omnibus discipulis prælatus; cui soli majora data, quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt.* Cyrillus Hierosolymitanus (2): *Petrus Apostolorum summus et princeps*, quo nomine etiam à *Gregorio Nazianzeno* et *Ephremio Syro* insignitus est. *Joannes Chrysostomus* (3): *gravem post illum casum; nam nullum negationi par malum: sed tamen post tantum malum iterum eum ad priorem honorem revehit: Ecclesiæ præfecturam ipsi per universum mundum tradidit.* Theodoretus (4): *Hac de causa Christus Dominus noster Apostolorum principem, cujus confessionem velut basim quamdam et fundamentum Ecclesiæ defixerat, fluctuare et errare permisit.* *S. Augustinus* (5) Ecclesiæ personam gestare Petrum ait, *propter primatum, quem in discipulis habuit.* Quod etiam alibi repetit (6): *Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam :::: Natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundatiore gratia unus idemque primus Apostolus.* Et ut omittam alios, *S. Leo* (7): *De toto mundo*, ait, *unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.*

Schol. Hæc profecto veram esse non sinunt tam doctrinam eorum, qui omnem abesse ab Ecclesia primatum volunt, quam horum etiam, qui elapso pro-

(1) *In proem. de jud. Dei n.* 7.
(2) *Cath.* 2. *n.* 19.
(3) *Hom.* 5. *tom.* 2. *pag.* 311.
(4) *Epist.* 77. *pag.* 947. *tom.* 3.
(5) *In Psalm. CVIII. n.* 1.
(6) *Tract.* 124 *in Joann. n.* 5.
(7) *Serm.* 3. *in anniv.*

Digitized by Google

ximo sæculo in ejus communionem S. Paulum adsciverunt auctore potissimum Martino de Barcos, cujus viri opinatio præter alios accurate confutata est ab Illust. de Marca *in diss. de singulari primatu Petri.* Conf. Natalis Alexander *citat. dissert.* Quod autem Paulus palam et in faciem Petro restitisse creditur ex capite secundo epistolæ ad *Galatas*, id vero huic, quem propugnamus, primatui tam parum officit, quam quidem illud, quod nonnulli è Sanctis Patribus utrumque simul Romæ Episcopatum gessisse memoriæ prodiderint; nam ut horum, quæ sunt, haud difficilem interpretationem habent, ita illud (etsi demus Cephan à Paulo reprehensum eumdem esse Petrum, quod tamen rationibus non prorsus contemnendis impugnavit auctor dissertationis *Cephas non Apostolus sed discipulus Antiochiæ à Paulo reprehensus*, Erfordiæ excusæ) rarum quidem, sed sanctum posteris præbuit in Petro exemplum, ut Augustinus ait (1), *quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi.*

§. XXVII.

Ratio primatus instituti.

Nunc de ratione ac fine, quem in primatu instituendo sibi *Christus* proposuit, inquirendum est. Hoc autem dum facio, non id quæro, quæ causa *Christo* fuerit, ut *Petro* potius, quam alii cuipiam ex *Apostolis* eam dignitatem conferret. Qua quidem in re non una est Patrum sententia. *Hieronymus* illum ceteris prælatum statuebat, quod senior esset (2). *Hilarius* contra, et Joannes *Chrysostomus*, quod primus à Christo vocatus primus etiam in eum crediderit (3). Alius caritatem, alius insignem ejus confessionem causam fuisse putabat. Sed,

(1) *Epist.* 82. *n.* 22. (2) *Lib.* 1. *adv Jovin. n.* 26.
(3) *Hom.* 9. *de pœn.*

Digitized by Google

ut præmonebam, id hoc loco non quærimus. De causa agitur instituendi primatus, quam certum est, unitatem fuisse Ecclesiæ Christianæ. (§. XI.) Hujus enim causa Christus (1) *alios dedit:::: pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, donec occurramus omnes in unitatem fidei* (§. XIII.). Ejusdem gratia unum inter plures eminentiore gradu collocavit, ut, quod ait *S. Hieronymus, capite constituto schismatis tolleretur occasio* (§. XII.). *Bono unitatis*, inquit apposite in eamdem sententiam *Optatus Milevitanus* (2), *Beatus Petrus, cui satis erat si, post quod negavit, solam veniam consequeretur, et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit. Negare non potes*, scribit alibi (3), *scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Similia his *Augustinus* (4), *Pacianus* Barcinonensis Episcopus (5), et præ ceteris explicate ac frequenter *S. Cyprianus* tum epist. 70, tum lib. de unitate Ecclesiæ: *Super unum ædificat Ecclesiam*, inquit: *una est Ecclesia à Christo Domino super* Petrum *origine unitatis et ratione fundata; namque exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* Itaque causam instituti primatus unitatem fuisse christianæ societatis certissimum est. Nunc, quæ hinc sequantur, videamus.

Corol. I. Atque in primis quidem hinc expeditum est prorsus, primatum in Ecclesia catholica ab ipso humani generis Servatore institutum, *divini*, non *humani*

(1) *Ad Ephes. IV.* (2) *Lib. 7. de schism. Donat. cap. 3.*
(3) *Lib. 2. cap. 2.*
(4) *Tract. 118. in Joann. n. 4.* (5) *Epist. 3.*

juris habendum esse. Hoc Cyprianus perspicue adfirmat laudato de unitate libro: *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat :::: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.*

COROL. II. Primatum in persona Petri institutum prærogativam fuisse non illi propriam ac temporalem, verum perpetuam, haud magis dubium cuiquam esse potest, qui reputare secum volet, unitatem in Ecclesia visibilem, quæ instituendi primatus una causa fuit (§. XXVII.) perpetuam esse oportere. Hugo Grotius eo, quam nuper laudavi, loco, posteaquam ordinem sive in partibus, sive in toto in præpositi unitate contineri adfirmasset, *et hoc est*, subjicit, *quod in Petro nos Christus docuit :::: Hic ordo in Ecclesia semper manere debet, quia semper manet causa, id est, periculum à schismate.*

COROL. III. Hinc fit, ut quemadmodum Petrus, ita successores ejus legitimi in primatu ejusdem sint catholicæ *unitatis centrum*, atque ita etiam omnino appellentur: quod Irenæus *lib. 3. contr. hæres. cap. 3.* de Ecclesia Romana agens significat, dum ait: *Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* Nempe hoc ideo, ut animadvertit doctissimus Massuetus *diss. 3. art. 4. §. 30. ut unitas inter tot Episcopos totque singulares ecclesias tam longe à se invicem distantes, foveri, omniumque consensus facilius explorari posset, nec omnes emergentibus quibuscumque controversiis maximo cum singularum gravamine simul in unum locum convenire cogerentur; necesse erat primam aliquam inter omnes ecclesiam constitui, quæ ceteris omnibus præesset, ceteris pro jure invigilaret, ac veluti quoddam unitatis centrum esset, in quod omnes confluentes, ejusdem fidei et communionis nexu colligarentur.*

COROL. IV. Ex quo ipso manifestum est porro, pri-

Digitized by Google

matum hunc non *ordinis* esse dumtaxat et *honoris*, qualem haud gravate concedent etiam hi qui adversantur maxime, verum *auctoritatis* etiam et *jurisdictionis*; ea nimirum potestate ornatum, quæ ad unitatem Ecclesiæ catholicæ tam fidei quam pacis conservandam necessaria est. De quo lubet adscribere verba Leibnitii ex epistola ad Joann. Fabricium. *Quum Deus sit Deus ordinis*, inquit, *et corpus unius Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ uno regimine hierarchiaque universali continendum juris divini sit: consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis Magistratus terminis se justis continens (hæc verba nunc addo) directoria potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructus.* *Tom.* 1. *Epist. pag.* 55. *edit. Lips. ann.* 1734.

Coroll. V. Sed hæc quantacumque sit (quod nunc non inquiro), quæ primatui inest, potestas; eam decet ita interpretemur, ut exerceatur ad eum modum, qui sit consentaneus fundamentalibus divinæ hujus civitatis legibus sive *scriptis* illis in Evangelio, sive per Apostolos *traditis*, et ab Ecclesia catholica *observatis*. Regimini Ecclesiæ Christus non solum Petrum, sed et ceteros Apostolos immediate præfecit, ita ut potestas ejus, tametsi ratione primatus superior, non tamen sola sit. *Pares Apostoli inter se et in apostolatu* (ait de Marca, *de discr. cler. et laic. cap.* 3. §. 40.) *sed ratione habita ad unitatem ecclesiarum servandam*, Petrus *eximio jure et præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub illo respectu erat caput Apostolorum.* Unde colligas, quam absurda quamque Evangelio inimica sit opinio eorum, qui ipsos adeo Apostolos non à Christo, sed à Petro eam, quam exercebant in ecclesiis à se constitutis, potestatem accepisse comminiscebantur, ut est ab ipso Bellarmino demonstratum. *Lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 23.

Digitized by Google

§. XXVIII.

Gradus hierarchici ex jure divino.

Atque hæc est Ecclesiæ christianæ hierarchia, quam ex divina ordinatione accepimus. Nisi quis addere his fortasse velit etiam *Parochorum* institutionem, quorum similiter, quam in sua quisque plebe exercet, potestatem divinitus ortam et à *Christo* propagatam, tametsi pendentem ab Episcopo, disputant Theologi à Gallia præstantissimi. Nec desunt illis, quibus hanc sententiam probent, argumenta momenti non contemnendi. Leviora certe sunt, quæ opponi solent, atque ita comparata, ut ipsa momentorum infirmitas per se satis gravis esse videatur, quo suspicari quispiam non inepte possit de veritate causæ, quæ rationibus tam infirmis propugnanda est. Sed de his judicent peritiores.

Schol. Conf. Ludovic. Thomassinus *de vet. et nov. Eccles. disciplin. lib. 2. cap. 26.* Lud. Habert *tom. 7. de hierarch. Eccles. cap. 6. quæst. 2.* Petrus Colletus *tract. de ordin. part. 2. cap. 5. tom. 7. pag. 291. seqq.* Gaspar Juenin *in commentar. de sacrament. dissert. 9. quæst. 3. cap. 5. art. 3. pag. m. 454. seqq.* Adde his Claud. Fonteji *dissert. de antiquo Presbyterorum jure in regimine Ecclesiæ.*

§. XXIX.

Ex institutione ecclesiastica.

Secernendi proinde ab hac ceteri sunt gradus, quos Ecclesia subinde usu exigente superioribus adjecit. Nam primum, quum aucto fidelium numero unus omnibus superesse Diaconus rite non posset, atque ob id dividendæ ejus functiones essent, *quo dignius et cum ma-*

Digitized by Google

jori veneratione exerceri posset tam sancti sacerdotii ministerium (1), *instituti sunt* Lectores, *qui libros sacros adservarent publiceque prælegerent*: Ostiarii, *qui ecclesiam custodirent purgarentque, et profanos arcerent*: Exorcistæ, *qui dæmones è catechumenis ceterisque à cacodæmone obsessis ejicerent*: Acolythi, *qui Episcopo à pedibus, mandatisque ejus ac litteris ad alios perferendis præsto essent*: Subdiaconi, *qui Diaconos sublevarent, proximoque gradu essent. Atque hæ sunt origines ordinum, quibus hodienum clerici distinguuntur. Non tamen eadem omnium ecclesiarum facies, nec semper singuli in unaquaque ordines fuere. Aliæ enim vel solos Lectores et Acolythos; aliæ solos Lectores et Ostiarios; aliæ præter hos Cantores habuere. Multæ orientales ecclesiæ etiamnum Subdiaconis destituuntur. Sed inde ab Apostolorum temporibus semper et ubique fuerunt Episcopi Presbyteri et Diaconi.* Fleurius *instit. jur. eccles. part.* 1. *cap.* 3. §. 5.

Schol. Conf. Morinus *de sacris ordinat. part.* 3. *exer.* 11. *cap.* 1. *seq.* et præter Thomassinum, Petavium, Dartis, Hallierium, etiam ex Anglis Jos. Binghamum *origin. ecclesiast. lib.* 3.

§. XXX.

Etiam quoad hierarchiam jurisdictionis.

Ipsi vero Episcopi, etiamsi omnes in principio potestate pares, procedente tempore pro locorum amplitudine aliis alio facti sunt eminentiores, ait *Fleurius*. Nam qui in primaria cujusque provinciæ civitate habitabant, *Metropolitani* seu *Archiepiscopi*, qui autem in civitate à qua plures provinciæ pendebant, *Exarchi*, *Primates*, *Patriarchæ* vocabantur. Accesserunt his *Cardinales*, *Legati*, *Vicarii* sedis apostolicæ, aliaque

(1) *Trid. sess.* 23. *cap.* 2.

Digitized by Google

plura ejus generis officia, de quibus in parte speciali agetur diligenter.

Schol. De singulorum in episcopatu graduum originibus varie viri etiam doctissimi sentiunt. Ego ita statuo: Etsi apostolica ecclesiarum quarumdam institutio ad conciliandam his quamdam præ ceteris auctoritatem nonnihil contulerit, omnem tamen ex illa auctoritatem repeti non posse. Etenim hæc una si causa statuatur eminentioris dignitatis potestatisque, cur Hierosolymitana ecclesia prima omnium, et ab ipso Christo fundata (§. IV.) Cæsareæ subdita sit? cur Antiochena ordine posterior est Alexandrina? cur Constantinopolitana patriarchalibus ecclesiis connumerata? His quidem explicandis vulgata de origine patriarchalium sedium doctrina non sufficit profecto. Ut de Metropolitis Exarchisque diœcesium nihil commemorem, quorum in ecclesiasticis politia adeo congruit cum politia civili imperii Romani Constantino imperatore introducta, ut certum magis quam verisimile videatur, illam ad exemplum istius compositam fuisse. Quare superiori hæc quoque adjugenda est ratio, etsi hanc deinde in novis Metropolibus Ecclesiæ instituendis neglectam interdum, aut parum pensi habitam fuisse non inficier. Jos. Bingham *orig. eccles. lib. 9. cap. 1. vol. 3. pag. 371. seqq.*

§. XXXI.

Conclusio capitis.

Hactenus de Ecclesia christiana generatim. Quam quidem ex iis, quæ duobus his capitibus disputata sunt, facile intelligi potest, societatem esse à Judæorum cœtu à *Christo* ipso sejunctam (§. III. seqq.), vinculo non interiore solum, verum externo quoque fidei et charitatis colligatam (§. VII. seqq.), quæ sub communi Episcoporum (§. X. et XI.), atque unius præcipue

Digitized by Google

Christi in terris vicarii regimine (§. XXII.) christianam religionem colit, ut salutem æternam consequatur (§. VI.).

Schol. Ut appareat, nullam Launojo causam fuisse probabilem, cur *lib.* 8. *epist.* 13 Bellarmino insultaret tantopere, corruptæque notionis à veteribus de Ecclesia traditæ reum ageret. Sed ego hoc in Launojo non miror qui in definienda Ecclesia etiam Cyprianum à vero aberrasse contendebat, nactus imitatorem Just. Henn. Bohmerum, atque etiam laudatorem *in diss.* 8. *ad Plin.* §. 17. *pag. m.* 452.

CAPUT III.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA GENERATIM.

§. XXXII.

Quid sit potestas ecclesiastica.

Omnis societas certum habet sibi propositum finem, in quo obtinendo commune illius bonum situm est (§. VI.). Finis autem sine mediis, aptis illis utique ac proportionatis, obtineri non potest: quæ proinde, si per leges societatis fundamentales determinata non sint, à societate ipsa illove, qui jura societatis sibi tradita exercet, determinentur necesse est. Itaque nulla ne esse quidem societas potest, in qua non insit facultas, qua jure possit atque pro auctoritate omnia decernere, quæ pro locorum, temporum, aliorumque adjunctorum varietate aptissima ad finem efficacissimaque videbuntur. Hæc ego ad societatem Christianorum transferenda esse plane censeo. Non enim huc adduci me patiar, ut credam omnia à divino fundatore in ipsa ejus institutione adeo

Digitized by Google

perspicue definita fuisse, ut nulli locus controversiæ relictus sit, simili huic, quæ vivis adhuc *Christi* discipulis Antiochenam ecclesiam gravi dissidio vexabat. Habet igitur Ecclesia quoque jus determinandi media, quæ ad finem suum obtinendum promovendumque sibi necessaria judicat: hoc jus appello *potestatem ecclesiasticam.*

Corol. Finis Ecclesiæ in cultu Dei ex fide in Christum instituendo, et salute animarum situs est (§. VI.). Itaque Ecclesiæ competit jus *ea omnia determinandi, quæ ad veri Dei cultum ex religione christiana instituendum, promovendamque fidelium æternam salutem pertinent.*

§. XXXIII.

Ejus origo divina est.

Potestas hæc cum ipsa societate nata est (§. XXXII.). ut omnino necesse sit unam fuisse, atque eamdem utriusque originem: scilicet idem, qui prima christianæ civitatis fundamenta jaciebat (§. IV.) *Christus*, necessaria quoque potestate illam instruxerit oportet persequendi finis, cujus gratia eam condidit. Quid enim? an sapientiæ illius? an bonitati putabimus consentaneum, insignem quamdam hominum multitudinem unum in cœtum cogere, eidem scopum præfigere, ad quem conjunctis viribus contendat, destituere tamen medio, sine quo adipisci illum omnino non potest? Et vero satis constat divinis è litteris nihil prætermissum à divino fundatore, quod ad perficiendam illam ac fundandam pertineret. Quo in primis referenda est *potestas clavium* Petro *tradita* (1), ac *potestas ligandi solvendique* omnibus ex æquo *Apostolis* concessa (2), qua plenam disponendi regendique potestatem contineri non modo res ipsa do-

(1) *Matth. XVI.* 19.
(2) *Matth. XVIII.* 18.

Digitized by Google

cet, ac perpetua *Patrum* et consentiens traditio confirmat, verum ipse etiam sacrarum litterarum usus (1) Non enim moror, quæ de clavium usu ex Hebræorum scitis *Seldenus.* monuit, erudite ille quidem, sed ad rem ipsam parum apte ac verisimiliter, id quod jam pridem ab aliis observatum est (§. XXVII. Cor. IV.): Huic autem potestati quia parendi etiam necessitas adjuncta sit, ne suspicari quidem licet: quæ ipsa non ex arbitraria quadam fidelium confœderatione, sed ex ea venit *Dei* lege, qua hierarchicus Ecclesiæ ordo (§. XXI. seqq.) et necessaria ad tuendam unitatem subordinatio nititur (§. X. seq.).

Schol. Ita Cyprianus in epistola ad Cornelium, quæ est apud Baluzium *55. pag.* 81. *Quomodo possunt censuram* Domini *ultoris evadere*, inquit, *qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et* Sacerdotibus, *quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur ::: Quum hæc tanta ac talia, et multa alia exempla procedant, quibus* Sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignatione firmatur; *quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, et contra Ecclesiam Catholicam rebelles nec præmonentis* Domini *commonitione, nec futuri judicii ultione terrentur?* Innumera sunt Patrum loca, quæ hanc regendi parendique divinam legem apertissime confirmant, quæ describere hoc loco et longum est nimis et non necessarium. Eam ipse Christus non obscure indicat, quando omnia, quæ ligata in his terris solutave legitime fuerint, rata in cœlis futura promittebat, seque sperni contestabatur ab iis, qui spreverint illos, quos ipse populi sui gubernatores elegit.

(1) *Isai. XXII. 22. Apocalyp. III. 7.*

Digitized by Google

§. XXXIV.

Quod ipse usus satis probat.

Et amabo, unde illa, nisi à *Deo* sit, in *Apostolos* profecta est potestas, quam post statim quam *Christus* sublimis in cœlum abiit, et promissam ante *divini Spiritus* gratiam in eos effudit, exercuerunt palam ac sæpe, non juncti tantum, ut Hierosolymis, verum singulis etiam in ecclesiis à sese collectis? *Pauli* legite epistolas, et quam sint multa ab hoc uno viro pro data sibi postestate, ut ipse prædicabat, sancita fidelibus præcepta ipsi numerate. Majorem vero quam ceteris *Apostolis* tributam fuisse potestatem *Paulo*, quis tam absurdo est ingenio, ut sibi à quoquam sinat persuaderi? Itaque alterum ex duobus fateamur necesse est: aut hanc, de qua disputamus, à *Christo* collatam in discipulos potestatem fuisse, atque ob id jure *Paulum* violatæ ordinationis divinæ reos egisse, qui Præpositis suis, quod debent, obsequium non præstant; aut insignem fuisse sanctissimorum hominum temeritatem, qui præter *Dei* ac *Magistri sui* disertam voluntatem usurparint potestatem, qua redemptam nuper admodum tam grandi pretio populi Christiani libertatem per summum nefas opprimerent. An hæc autem suspicio magis locum habet in iis, qui proxime post Apostolos ecclesiis Christianis regendis præfuerunt? Viris, qui *Apostolos* ipsos audierunt, cum iis conversati sunt, tanta sanctitate morum, ut infensissimos etiam religionis hostes in admirationem conjicerent? Atqui hos pariter præcipua quadam inter suos auctoritate usos certissimum est: auctoritate nimirum successionis lege per *Apostolos* ad se propagata. Nam et hos *Spiritus Sanctus* posuit Episcopos *regere* Ecclesiam *Dei*: quæ regendi divinitus ordinata auctoritas, nisi adjunctam habeat obsequii necessitatem

Digitized by Google

qualis sit, et quam futura efficax, nihil est necesse ut ego moneam.

Schol. De Episcopis Apostolorum successoribus alibi exponetur. Nunc id moneo, successionem hanc ad auctoritatem pertinere, quæ perpetuum Ecclesiæ regimen spectat; non ad privilegia personalia Apostolis concessa, quæ illorum obitu extincta sunt, quæve in eo versabantur, ait de Marca *de discr. cler. et laic. cap.* 3. §. 5. *Quod Apostoli à Christo ipso in collegium adlecti erant :::: Quod testes fuerunt eorum, quæ docuit, et mirabilium, quæ patravit; quod à Spiritu Sancto in veræ fidei professione eruditi nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum scripto.* Plura numerant alii. Erudite totum hoc argumentum prosequuti sunt Dodwellus, Spanhemius, aliique plures à Fabricio memorati *in bibliogr. antiq. cap.* 13.

§. XXXV.

Originaria Ecclesiæ potestas spiritualis est.

Potestas vero ecclesiastica, quoniam omnis ad mentes hominum in hoc cursu vitæ ad beatiorem olim felicitatem adipiscendam dirigendas pertinet (§. XXXII.), non tantum per doctrinæ christianæ prædicationem, verum etiam per sacras expiationes et censuram divinam, quæ contumacium animos flecteret ad obsequium *Christo* exhibendum, spiritualis esse debebat (1). Et vero hujus generis est potestas, quam *Christus* Apostolis suis tradidit, quæ variis in locis Evangelii descripta, inde hauriri debet, ut vera ejus cognitione imbui possimus. Primus est ac præcipuus in hanc rem locus Evangelii apud *Matthæum* (2), ubi *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gen-*

(1) *De Marca loc. cit.* §. 1.
(2) *Cap. XXVIII.* 18.

Digitized by Google

tes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: quo loco Evangelii prædicandi et conferendi baptismi plenissimam potestatem accipiunt, spiritualem utique, non profanam; cujusmodi etiam est promissa primum *Petro* (1), et in omnes deinde *Apostolos* collata ligandi et solvendi in his terris potestas. Repudianda enim est proculdubio sententia illorum, qui ligandi hanc solvendique potestatem ita laxe interpretati sunt, ut ad rerum etiam profanarum administrationem proferrent: quod sane factum est contra mentem *Servatoris*, quam explicate ipse aperuit apud *Joannem* (2), dum ait: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Hæc quum dixisset, insufflavit*: et dixit eis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Itaque ligandi solvendique potestas eadem est quæ remittendi retinendique peccata, quod egregie è Patribus probatum dedit *Natalis Alexander* (3). De Eucharistiæ in memoriam ejus celebrandæ jure tertius locus est apud *Lucam* (4): *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ quin tota spiritualis sit, nemo est omnium qui dubitet. Neque alterius esse generis putanda est auctoritas coërcendi temeritatem Ecclesiam Christi non audientem (5), edendi leges, ministros instituendi, uno verbo, omnis regendi facultas, ad animas refertur, non ad corpora, docente *Apostolo*: *obedite Præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (6). Cetera prætermitto Apostolorum jura ac dona propria, quippe quæ ad successores in episcopatu nequaquam pertinuisse apud omnes in confesso est (§. XXXIV.).

(1) *Matth. XVI.* 18.
(2) *Cap. XX.* 21.
(3) *Hist. Eccles. sæc. I. dissert.* 4.
(4) *Cap. XXII.* 19.
(5) *Matt. XVIII.* 17.
(6) *Ad Hebr. XIII.* 17.

Digitized by Google

§. XXXVI.

Quod probatur exemplo Christi.

Sicut misit me vivens Pater, inquit *Christus*, *et ego mitto vos* (§. XXXV.). Hujus sententiæ hæc vis est, ut pro certissimo habendum sit, aliam *Apostolis* horumque successoribus potestatem traditam non fuisse, quam quæ in *Christo* tamquam in Ecclesiæ à se collectæ capite ac supremo rectore fuit (§. IV.) Ea vero qualis fuerit, et quo pertinuerit, ex iis intelligitur, quæ *Pilato* respondens *Christus* ait: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non tradèrer Judæis: nunc autem Regnum meum non est hinc:::: Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam* (1). Quod et *Apostolus* monet in epistola ad Titum (2), dum *Christum* scribit venisse, *ut mundus per ipsum salvus fieret: ut salvum faceret, quod perierat: ut testimonium perhiberet veritati: ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Quidquamne dici, aut scribi clarius potuit, ut cognosceretur, regnum *Christi* differre toto genere ab eo, quod est regnum gentium ac populorum, potestatemque cœlesti huic regno propriam nihil habere commune cum potestate, quæ à *Deo* Principibus data est ad populorum suorum temporalem felicitatem promovendam? Quod autem docuit *Servator*, id etiam rebus ipsis ac factis probavit. Non enim fuga tantum elusit consilia Judæorum Regem se creare volentium (3), verum etiam rogatus à quodam de populo,

(1) *Joann. XVIII.* 36.
(2) *Cap. II.* 14.
(3) *Joann. VI.* 15.

Digitized by Google

hæreditatis inter se ac fratrem dividendæ ut arbitrium reciperet, *homo*, inquiebat, *quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* (1) quo doceret hominem, non suam hanc sed aliorum esse potestatem, ut qui à *Deo* missus esset ad spiritualia communicanda, non ad dividenda temporalia. *Bene*, inquit, in hunc locum *S. Ambrosius*, *terrena declinat, qui propter divina descenderat: nec judex esse dignatur litium, et arbiter facultatum.*

Schol. *Non sunt nescius*, inquit Du-Pin, *de antiq. Ecclesiæ discipl. diss. 7. pag. 439. adversarios nonnullis scripturarum et sanctorum Patrum testimoniis niti, quibus probant Christum regem fuisse, regnorum ac regum terrenorum Dominum; verum illa nihil probant de quo inter omnes non constet. Extra omnem quippe controversiam est Christum Dominum, quatenus Deus est, Dominum esse regnorum ac regum omnium: nec quisquam diffitetur, quin ob arctissimam utriusque in Christo naturæ unionem potestas ista, quæ divinitati convenit, possit non secus ac cetera attributa divina homini in Christo per communicationem, ut loquuntur, idiomatum adaptari, et homo Christus dici Dominus regum omnium, quemadmodum dicitur et Creator, quamvis ratione divinæ naturæ tantum id ipsi competat. Quapropter adversarii frustra multis testimoniis probare moliuntur id de quo nullus dubitare potest, nisi Arianus, Photinianus, aut Nestorianus sit. Etenim in hos tantum hæreticos Sancti Patres adducunt scripturæ testimonia, in quibus* Christo *dominium rerum terrenarum tribui videtur, ut scilicet inde inferant*, Christum *esse vere* Deum, *supponentes scilicet eum non habere istud dominium ratione naturæ humanæ. Nam si cum adversariis sentirent*, Christum, *ut homo est, habuisse istud dominium, perperam omnino ex his locis inferrent, in* Christo *præter humanam naturam di-*

(1) *Luc. XII.* 14.

Digitized by Google

vinam esse, ratione cujus rerum temporalium sit dominus. Ergo ea ipsa testimonia, quæ ab adversariis producuntur, ipsorum opinionem everterunt, ostendantque dominium in temporalia Christo *competiisse ratione divinæ naturæ tantum prout Creator est, non ratione humanæ prout Redemptor est, et Ecclesiæ caput: ita proinde quum certum sit* Christum *Ecclesiæ communicasse tantum eam potestatem, quam habuit ut homo, ut Redemptor et Ecclesiæ caput, non autem illam, quam habuit ut* Deus *et Creator, pro certo tenere debemus, nullam potestatem temporalem à* Christo *Ecclesiæ collatam esse.*

§. XXXVII.

Et claris divinarum litterarum testimoniis.

Atque ita est profecto. Quid enim? si *Christus*, si *Apostoli* disertis sententiis omnem ab Ecclesia temporalem potestatem removerunt, annon tum etiam dubitabimus, quæ illi relicta est, eam non esse, præterquam spiritualem potestatem? Illud autem mihi non obscure *Petrus* indicare visus est, quum de officio pastorum, quale esse debeat, exposituros: *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1). Qua in re Magistri secutus est sententiam: *Scitis*, ait Apostolis suis, *quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis* (2). Et iterum apud *Lucam*: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, be-*

(1) *I. Petr. cap. V. 2.*
(2) *Marc. X. 42.*

nefici vocantur. Vos autem non sic (1). E quibus quidem verbis non hoc modo apertum est, quæ in rebus profanis administrandis versatur, potestatem auctoritatemque ad *Apostolos* eorumque successores nihil pertinere, verum illud etiam sacrum Ecclesiæ regimen non dominationis et severi imperii, sed mansuetudinis et charitatis esse regimen, quale scilicet esse decet, quod animorum emendationem ac salutem respicit. Apposite præ ceteris *Origenes*: *Sicut enim omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate: sic et principum spiritualium principatus in dilectione subjectorum debet esse positus, non in timore corporali.*

Schol. Omittere non debui egregium prorsus D. Bernardi locum *ex libro* 2. *de consid. ad Eugen. cap.* 6. tametsi nonnihil longiusculum. Ita autem habet: *Nec enim tibi ille* Petrus *dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum:* Non dominantes, *ait*, in clero, sed forma facti gregis. *Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio*: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; *et infert*: vos autem non sic. *Planum est; Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, et tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohibeberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur* Deus *sic*: Ipsi regnaverunt, et non ex me: Principes exstiterunt, et ego non cognovi. *Jam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum*: Qui major est vestrum, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sicut qui ministrat. *Forma apostolica hæc est: dominatio*

(1) *Luc. XXII.* 25.

Digitized by Google

interdicitur, indicitur ministratio, quæ et commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui sequutus adjungit: Ego autem in medio vestrum sum, tam quam qui ministrat. *Quis se jam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsignivit?* Fatetur quidem Bernardus nihil impedire, quo minus etiam temporalia possideant Romani Pontifices, at hæc ii qua D. Petri successoribus competere disertissime inficiatur: *Esto*, ait, *ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non apostolico jure; nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit.*

§. XXXVIII.

Objecta ecclesiasticæ potestatis quæ sint?

Teneamus igitur pro certo id quod positum est in principio hujus disputationis, originariam Ecclesiæ christianæ potestatem spiritualem esse, et à potestate temporali penitus sejunctam. Quibus autem in rebus determinandis sacra hæc christianæ societatis potestas versetur, haud difficile intellectu est. Nam quum huc tota referenda sit, ut salus fidelium per fidem in *Christum* humani generis liberatorem obtinenda promoveatur (§. XXXII.), quod quidem efficitur potissimum observandis credendisque à *Deo* revelatis tam veritatibus quam præceptis: planum est, ad Ecclesiæ jus pertinere determinationem verbi divini seu scripti seu traditi, quoties illud aut revocatur in dubium, aut nimia disputandi interpretandique intemperantia vera fides humanis pernitiose commentis obscuratur. Neque ego, quod faciunt quidam, Ecclesiæ potestati morum præcepta audeam subducere. Etsi enim talia quæ sunt, humanæ vim rationis prorsus respuant, ac pleraque sint ejusmodi, ut mens rite exculta et præjudicatis opinionibus vacua perspicere illa atque etiam intelligere valeat; infirmius tamen et instabilius humanæ mentis judicium est,

Digitized by Google

quam ut in re tam ad veram beatitatem necessaria adquiescere illi secure liceat.

Schol. Ad hæc firmanda permultum conferre possunt, quæ disputari solent à Theologis, dum id agunt ut Ecclesiam ostendant, controversiarum, quæ de fide ac moribus nascuntur, divinitus nobis datum esse judicem. Melch. Canus *de loc. theologic. lib.* 4. 5. Conf. vir clar. Placid. Fixlmillner *de reip. sacr. orig. div. Exerc.* 2. *sect.* 1. §. 6. *pag.* 39. *seq.* Et necessitatem quidem auctoritatis istius non modo multi ex ipsa Protestantium communione eruditissimi acutissimique viri palam sunt, aperteque professi, (vid. Febronium *tom.* 1. *cap.* 1. §. 9.) sed rebus etiam ipsis ac factis confirmare coacti sunt ut historia Dordrechtanæ atque Charentoniæ synodorum luculentissime docuit. Conf. Bossuet *de variationibus ecclesiarum Protestantium lib.* 14. §. 67.

§. XXXIX.

Ecclesia in rebus fidei ac morum falli non potest.

At his Ecclesiæ de fide decretis licebitne, inquies tuto ac sine erroris suspicione fidem adjungere? Imo vero non licet tantum, verum etiam necesse est prorsus. *Christi* enim ipsius præceptum est, quo hominem jubemur Ecclesiam, quæ *columna est et firmamentum veritatis* (1), non audientem tamquam ethnicum ac publicanum devitare (2). Quod vero citra omnem errandi suspicionem liceat etiam, promissio facit luculenta *Servatoris*, qua sese cum Ecclesia sua futurum usque ad consummationem sæculorum pollicitus est (3), missumque iri divinum Spiritum, à quo omnem edocenda veritatem es-

(1) *1. Tim. III.* 15.
(2) *Matth. XVIII.* 17.
(3) *Matth. ult.* 20.

Digitized by Google

set (1), quod ipsum dudum ante *Isaiæ* vaticinio prænuntiatum est (2). Ecclesiam porro falli nesciam necesse est existimasse *S. Irenæum*, ut qui non aliunde, quam ab illa petendam esse veritatem adseverate contendebat: *Non oportet*, ait, *apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: quum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis* (3). In eam sententiam disputabat *Tertullianus* libro de præscriptionibus (4): *Hinc igitur dirigimus præscriptionem: si* Dominus Jesus Christus *Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit :::: Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit.* Consentiunt his Patres ceteri omnes, *Cyprianus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, alii, quorum sunt testimonia prope innumera, quæ nulli obnoxiam errori auctoritatem Ecclesiæ in his, quæ ad fidem et mores pertinent, non tam probent, quam certissime demonstrent.

(Schol. . Consulendi sunt Theologi, quorum est hanc de visibilis Ecclesiæ infallibilitate controversiam dirimere. Nitide, ut solet, ac docte eam persequutus est eruditissimus vir Petr. Maria Gazzaniga *in prælect. theolog. tom. 4. cap. 5. seqq.*

(1) *Joann. XIV. 16.*
(2) *Cap. LIX. 19.*
(3) *Lib. 3. cap. 4.*
(4) *Cap. 21.*

Digitized by Google

§. XL.

Potestas Ecclesiæ circa disciplinam.

Præter hanc de fide et moribus decernendi potestatem *Paulus* Ecclesiæ *jus* tribuit, curandi atque efficiendi, ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant* (1). Quod quidem jus latissime patet, continetque potestatem non modo certis circumscribendi regulis exteriorem *Dei* cultum, divina lege haud determinatum, cujusmodi sunt ritus ac ceremoniæ, locus, tempus, atque alia his similia, præcipiendique illa, quæ sunt instar medii ad eum promovendum; verum removendi quoque omnia, quæ turbare ordinem atque impedire communem finem judicabuntur. His autem capitibus universa Ecclesiæ disciplina concluditur. Unde colligas, hanc haud minus quam illa superiora potestati ecclesiasticæ subjectam esse, quod ipsum perpetua Christianorum et antiquissima observantia luculentissime confirmat.

Schol. Usus hic Ecclesiæ christianæ tam certus est, ut diligentiæ fuerit minime necessariæ eum petitis ex historia documentis illustrare. Id addo, Bohmerum ipsum, tametsi in removenda omni ab Ecclesia potestate pertinacissimum, non negare prorsus, disciplinæ ordinandæ facultatem Apostolis à Christo tributam fuisse. Vitringæ enim laudat interpretationem (*in diss.* 3. *ad Plin.* §. 7.) quam is dedit (*lib.* 3. *de Sinag. vet. part.* 1. *cap.* 10.) verborum, quibus Christus ligandi et solvendi potestatem discipulis suis impertitus est. Vitringæ autem hæc sunt: *Concedit* Christus *Apostolis suis his verbis potestatem varias leges de licito et vetito, cujuscumque tandem indolis, condendi in usum et commodum Ecclesiæ, ac si dixisset: Quæcumque vos licita aut illicita pronuntiaveritis, quæ vos præceperitis, vel prohibueritis, ea*

(1) *I. Corinth. XIV. ult.*

Digitized by Google

ratihabenda sunt in curia cœlesti :::: Concedo enim vobis potestatem, quam et Petro *jam ante concessi, post meum à vobis discessum talem constituendi disciplinam, quam rerum temporumque conditionem efflagitare censebitis.* Quæ laudata Bohmero, ac probata vehementer, nonne cogunt fateri virum doctissimum potestatem hanc in usum Ecclesiæ concessam Apostolis ad posteros dimanasse, eamque proinde non populi ejus totius, sed eorum, qui in Ecclesia apostolici muneris heredes exstiterunt? Quid? an Titus eam non habuit à Paulo sibi traditam potestatem? Aut quid sibi voluit Apostolus, dum *ideo*, ait; *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas?*

§. XLI.

Quid in ejus usu cavendum?

Qua in re cavendum est primum quidem, ne quid fiat, quod revelatis à *Deo* veritatibus latisque ab eo legibus adversetur: deinde ne qua in re publicarum rerum felicitati vis ulla inferatur. Nihil enim religio *Christi*, nihil salus interna à nobis officiorum exigit, quæ cum temporali vitæ hujus felicitate non amicissime conspirent (§. VI.), quod innuere procul dubio *Christus* videtur, quando *dare* nos *Cæsari* jubet, *quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo.* Quapropter ita in constituenda disciplina versari decet, ad quos ea res pertinet, ut ne quid exinde respublica detrimenti capiat. Cujus rei, quoniam non Ecclesiæ judicium est, sed eorum, qui supremam in regnis potestatem obtinent, dispiciant quam sapienter disputent, qui in definienda ecclesiarum exteriore disciplina nullas summorum Principum partes esse volunt.

Schol. Hæ autem summorum Principum partes, quæ sint, et quo usque jura eorumdem circa sacra pertineant, exponemus sectione altera.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE POTESTATE ECCLESIÆ LEGISLATIVA.

§. XLII.

Habet Ecclesia potestatem ferendi leges.

Ecclesiam suam *Christus* ita constituit, ut potestatem illi non negaverit cuncta determinandi, quæ ad propositum sibi finem securius faciliusque adipiscendum utilia vel necessaria judicaverit. (§. XXXII.) Harum vero Ecclesiæ præceptionum ea vis est, ut simul obsequii necessitatem inferant. (§. XXXIV.) Unde liquet, eas pro regulis habendas esse, ad quarum præscriptam normam omnem vivendi nos agendique rationem attemperare convenit, cujusmodi regulæ, quoniam *legum* trito nomine venire solent, planum est, in potestate ecclesiastica inesse etiam *jus ferendarum legum*, quod jus *potestatem* Ecclesiæ *legislativam* appello.

Schol. Necessitatem legum etiam positivarum in Ecclesia christiana qui neget, nemo est, opinor. Nam quod Cicero sapienter monebat, *sine legum imperio nec domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum universum genus stare, nec rerum naturam omnem, nec ipsum mundum posse* (*lib.* 3. *de legib.*); quippe *quod istud est vinculum, per quod respublica cohæret, ille spiritus vitalis, quem, hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus et præda, si mens illa imperii subtrahatur* (Senec. *lib.* 1. *de Clem.*): id ad Ecclesiam transferre nihil vetat. Etenim societatem Christianorum, quæ orbem terrarum prope universum complexa, tot sinu suo continet, et tam non lingua magis et

Digitized by Google

locis quam moribus atque institutis disjunctas nationes, quisquamne est, qui putet ordine magis carere atque externa per leges directione posse, quam alium hominum quamtumvis proborum, quamtumvis cœtum infrequentem? Quis hoc tam numerosum tamque late patens fidelium corpus apte credat atque debite contineri posse sine quadam veluti compage legum, quæ sua cuique membro officia, suas functiones describant? Conf. Kahkel. *in jur. publ. univers. sect.* 2. *tit.* 2.

§. XLIII.

Hujus juris origo divina est.

Hinc autem porro etiam de origine hujus juris liquet; pars enim est (§. XLII.) potestatis illius, quam Ecclesiæ à *Christo* traditam nuper probavimus (§. XXXIII.): quod ipsum aliis etiam certissimisque argumentis confirmare possumus. Scilicet nova *Christum* mandata dedisse (1), eaque non rationem consiliorum sed legum vim (2) apud omnes gentes habitura (3), divinarum litterarum nobis auctoritate exploratum est. Eam vero potestatem in *Apostolos* subinde collatam (4) vicario jure exercendam (5) usus ipse certissime evincit. Quid enim? An leges *Apostoli* nullas tulerunt? an nullas *Paulus*? (§. XXXIII.) Id ego fatebor quidem non illibenter, ut erant primæ hujus ætatis homines promptissima ad obediendum voluntate, consiliis similiora quam legibus instituta videri apostolica; non consentiam tamen, si quis illa è numero legum eximenda contendat. Nimirum consilii ea natura est, ut optionem, ve-

(1) *Joann. XIII.* 34.
(2) *Joann. XIV.* 21.
(3) *Matth. XXVIII.* 19. *et* 20.
(4) *Joann. XX.* 21.
(5) *Luc. X.* 16.

Digitized by Google

lis an nolis adquiescere, non auferat: *Apostoli* obsequium exigunt (1) quod præcipientis auctoritatem indicat, non lenitatem consulentis. Nec magis possum iis adsentiri, qui pacti nescio cujus, liberæque potius conventionis, quam legis efficaciam in his sibi præceptionibus deprehendisse visi sunt, ea præcipue moti ratione, quod nihil fere rerum illarum, quæ ad salutem totius Christiani cœtus communem pertinebant, sine communi, plebis etiam, suffragatione egisse umquam legantur *Apostoli*. Primo enim hoc perpetuum non fuit: edita quippe ab iis interdum præcepta nulla communis deliberationis facta mentione certum est. Deinde, quæ ex pactis nascitur obligatio, ea quidem non extenditur, nisi in hos, qui sua se ipsi consensione eidem subjiciunt. Cur igitur stringunt apostolica mandata illos etiam, qui numquam consenserunt? *I. Corinth. XIV.* cur, qui alia omnia agunt? *I. Corinth. V.* 6.

Schol. Quod acute observavit vir clar. Plac. Fixlmillner *de reipubl. sacr. orig. divin. Exercit.* 2. *sect.* 2. §. 28. Totus in eo est Just. Henn. Bohmerus, ut Apostolorum statuendi auctoritatem nullam fuisse præcipuam persuadeat. Agit hoc in primis *in diss. de confœderata Christianorum disciplina cap.* 3. §. 12. *seqq.* quæ est tertia inter dissertationes ad Plinium. At enim, quæ adfert, pleraque sunt ejusmodi, ut haud ægre largiri ea Catholici possimus. Alia sunt valde levia atque incerta, ut mirum non sit doctissimum virum ab omnibus, etiam Prostestantibus deseri. Moshemius certe jus ferendarum legum Apostolis aperte adscribit *in Instit. Hist. Eccles. sect.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. §. 3. Hoc idem faciunt Spanheim, Vitringa, Hartmannus, Semlerus, quibus ipse Bohmerus alibi, etsi præter suam opinionem, adsensus est (§. XL.).

(1) *Act. XV.* 41.

Digitized by Google

§. XLIV.

Eademque auctoritate Ecclesiæ competit.

Hæc sane ita comparata sunt, ut *Moshemius*, scriptor gravis minimeque præcipitis judicii, *Apostolis* eam potestatem non adscripserit tantum, verum *considerate* quoque *justisque de causis* adscripserit. Miror autem, lectissimum virum illam *Apostolis* ita vindicasse, ut negaret successoribus. Nam quæ instituendæ primum (§. XLII.), ac conferendæ potestatis causa fuit (§. XLIII.) eadem, ut ad successores in regimine Episcopos nihilo diminuta transiret, nonne prorsus exigebat? Distinguit ille, scio, duplex in *Apostolis* munus, *Doctoris* et *Legati extraordinarii* summa cum potestate divinitus missi, quorum illud quidem ad successores derivatum fatetur, non vero Isthoc etiam (1). Sed qui ita sentiunt, qua ratione conficiant, docendi quidem munus, non etiam statuendi jus perpetuum esse in Ecclesia oportere, ego non intelligo profecto. Nam si, quod necessaria doctrina sit, inde colligunt doctorum necessitatem, cur non æquo nobis jure adfirmare liceat, necessarios esse in Ecclesia latores legum, quippe quæ sine his non magis diu esse felix potest? (§. XLII.) Video enim hoc nec ipsos quidem adversarios revocare in dubium. Qui, etsi jus hoc alius quidem summis Principibus, alius cœtui ipsi Christianorum, alius demum synodis tribuant: in hoc tamen mirifice consentiunt omnes, carere legibus Christianorum civitatem non posse; ac proinde oportere esse aliquem, qui rogandis etiam legibus providere possit, ne quid res christiana publica detrimenti patiatur (2). Hunc autem quem esse rectius statuemus, quam Episcopos, quibus *Christus* ipse regendæ

(1) *Inst. hist. christ. sect.* 1. *part.* 2. §. 3.
(2) *Roerck prænot. jur. eccles.* §. 1.

Digitized by Google

Ecclesiæ curam per *Apostolos* commendavit? (§. XXII.) Nam quæ ex donis *Apostolorum* extraordinariis ratio peti solet, eam, nisi liquido demonstretur, dona hæc ad confirmandam statuendi potestatem, nihil vero ad doctrinam Evangelii animis fidelium suavius insinuandam pertinuisse (quod quidem ut demonstrare quisquam possit, vehementer ambigo) evidens est, ad hanc roborandam opinionem nihil habere momenti, præcipue quum illi adversetur omnium retro sæculorum usus: quem nihil fuisse aliud quam iniquam usurpationem Episcoporum priscæ ætatis, aut seditiosam omnium conspirationem, qui potest, credat; ego à me non impetro (§. XXXIV.) Conf. Greg. Zallwein. *tom. 2. pag. 13. 22.*

Schol. I. Hoc jus Imperatores ipsi tantum abest ut Ecclesiæ Christianæ abjudicarent, ut profiterentur illud etiam palam, legibus suis munirent, coërcendosque sciscerent, qui sacris Patrum institutis malitiose adversarentur. Unum audire juverit Justinianum majestatis suæ minime prodigum Imperatorem. *Si civiles leges* inquit ille *in præf. Nov. 137. quarum potestatem nobis Deus credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum et divinarum legum custodiam quæ super salute nostrarum animarum definitæ sunt?* Et cap. 1. *Si enim illa, quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem et vindictam manere; quomodo à sanctis Apostolis et Patribus super omnium hominum salute canonice statuta despici patiemur?*

Schol. II. Bohmerus *cit. dissert. cap. 4. §. 17.* ut christianæ societatis leges conventionales esse ostenderet, validum sibi præsidium reperisse visus est in epistola Plinii ad Trajanum Imp. in qua de Christianis præter alia refert, *hanc in iis fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque* Christo *quasi Deo dicere secum in-*

Digitized by Google

vicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati denegarent, cet. At infirmum hoc præsidium est ad id, quod Bohmerus intendit, comprobandum, nisi quis furta etiam, latrocinia, adulteria licita fuisse, aut impunita Christianis ante credat, quam sacramento se ad ea vitanda obstringerent, quod absurdum est. Non magis huic opinioni testimonia favent Patrum, qui neminem, nisi prævia sponsione ad sacrum baptisma admissum perhibent. Nam hoc quidem verum est. Nemo ad societatem Christianorum recipiebatur, nisi qui dogmata se Christi ac præcepta omnia servaturum spopondisset. Bingham. *orig. eccles. vol.* 4. *pag.* 270. *seqq.* Sed quid hoc ad causam Bohmeri? Qui civiles societates primi condiderunt, mutua se consensione, viresque suas unierunt ad communem securitatem procurandam, neque cuiquam ad eam societatem viam patere voluerunt, nisi qui in eamdem unionis subjectionisque legem consensum suum accomodasset. Num ob id omnes civiles leges conventionales esse putabimus? Eadem in Ecclesia ratio est. Omnibus enim Christi præceptis qui obedientiam spondet in baptismo, is ea præcepta easque leges non excludit, quibus instituta à Christo hierarchia, et necessaria ad unitatem conservandam membrorum subordinatio nititur, quæ regendi parendique partes ita sapienter distribuit, ut alii præsint, alii vero subsint (§. XIII.). Quæ igitur causa esse potest, quæ nos Ecclesiæ instituta infra legum dignitatem cogat detrudere? Conf. Ans. Molitor *in diss. de potest. eccles. legislat.* §. 2. *n.* 8. *seqq.*

§. XLV.

Objectum hujus potestatis.

Itaque jus Ecclesiæ, quod in rogandis legibus san-

Digitized by Google

ciendisque versatur, firmiore nititur ratione, quam ut eripi eidem, et in alium transferri temere possit: competitque illud non omnibus etiam de plebe Christianis, verum Præpositis ecclesiarum libera quidem atque independente auctoritate; ad ædificationem tamen corporis *Christi*, non ad ejus destructionem exercendum (1). Neque enim canonum ecclesiasticorum vel alius est, quam qui Ecclesiæ *finis*, id est, fidelium interna salus (§. VI.) vel *objectum* aliud, quam negotia fidei ac morum (§. XXXIX.) et disciplinæ ecclesiasticæ (§. XL.) ad eum scilicet modum constituendæ, ut rerum publicarum felicitatem promoveat, non destruat. (§. XLI.) Nullane igitur Ecclesiæ in rebus ac negotiis profanis potestas est, inquies? Est vero, inquam; sed in iis ad æternam salutem *dirigendis*, non etiam pro arbitrio *disponendis*. Spiritualis Ecclesiæ potestas est (§. XXXV.) cui regendas animas commisit *Deus*, regna gubernanda non commisit. Apposite *Osius* ad Constant. Imp. *Tibi Deus imperium commisit*, ajebat, *nobis*, *quæ sunt Ecclesiæ*, *concredidit. Et quemadmodum*, *qui tuum imperium malignis oculis carpit*, *contradicit ordinationi divinæ: ita et tu cave*, *ne*, *quæ sunt Ecclesiæ*, *ad te trahens magno crimini obnoxius fias.* Date, *scriptum est*, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. *Neque enim fas est nobis in terris imperium tenere*, *neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes Imperator.* Apud *S. Athanasium.*

Schol. Hæc ita quum sint, quid iis faciemus canonibus, decretis, constitutionibus, quæ sunt frequenter de rebus mere profanis editæ? dicam quod sentio pro ingenio meo aperte ac candide: constitutiones, quæ juribus Regum ac Principum majestati propriis derogant, nullius esse roboris contendo. *Opinio enim illa*, inquit Natalis Alexander, *quæ Ecclesiæ*, *vel Romano Pontifici potestatem tribuit*, *etiam indirectam*, *in tempora-*

(1) *II. Corinth. cap. XIII.* 10.

Digitized by Google

lia Regum ac Principum supremorum, falsa est, erronea, verbo Dei *et doctrinæ* Patrum *adversa. In Hist. Eccles. sæc. XIII. diss.* 3. *art.* 3. cui junge *diss.* 2. *ad sæc. XII. art.* 9. In ceteris autem interpretandis et ad mentem Ecclesiæ explicandis placent vehementer quæ observavit doctissimus Gibertus *prolegom. part. prior. tit.* 8. *sect.* 1. qui omnino videndus est.

§. XLVI.

Ejusque efficacia.

Vis legum ecclesiasticarum ad omnes Christianos pertinet. Ac de fide quidem ac morum decretis expedita res est (§. VIII. et XXXIX.); canones vero, qui de rebus naturali jure ac positivo divino non vetitis ad ordinem exteriorem componendum feruntur, plerumque non hoc solet consilio edere Ecclesia, ut ubique locorum necessario admittendi sint. Novit enim nec omnium temporum, nec locorum omnium eamdem esse utilitatem. Novit sæpe ipsam consuetudinis mutationem, etsi adjuvet, novitate perturbare (1). Novit denique, quum potestatem sibi conceptis verbis datam non ignoret in ædificationem, non in destructionem (§. XLV.), hac eam utique moderatione exerceri oportere, ut ne quid præter necessitatem obtrudatur fidelibus, quod aliquo pacto offendere illos possit. *Hæc* quippe *christianismi est regula*, inquit *Chrysostomus* (2), *hæc illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens: publicæ utilitati consulere.* Quæ quidem in Ecclesia utilitas disjuncta non est ab utilitate singulorum fidelium (§. VI. Cor. ult.). Neque huic conditioni si civiles leges obnoxiæ non sint, eamdem nobis licebit ab ecclesiasticis removere: amplum enim inter utramque legem

(1) *August. epist.* 54. *alias* 115.
(2) *Hom.* 25. *in prior. ad Corinth.*

Digitized by Google

discrimen intercedit, ut imperium differat à principatu sacro, *qui in dilectione debet esse positus, non in timore corporali* (§. XXXVII.) Quo fit, ut leges, quæ ab hoc principatu proficiscuntur, non necessitate, sed voluntate, non timore, sed dilectione subditorum niti debeant. *Vel maxime id lex nostra et legislator noster sanxit*, ait *Gregorius Nazianzenus* (1), *ut grex non coacte, sed sponte ac libenti animo pascatur.* Quo etiam refero illud *Chrysostomi* utramque potestatem comparantis: *Legibus ac mandatis omnia peraguntur* (scilicet in republica), *hic vero* (in Ecclesia) *nihil tale. Neque enim licet ex auctoritate præcipere*: non quod omnem præcipiendi auctoritatem à societate Christianorum alienam existimet, sed quod ea semper Ecclesiæ Catholicæ mens sit, ut novis disciplinæ decretis obligari nolit ecclesias non sine ratione ab iis recipiendis alienas, aliisque legibus ac consuetudinibus jam pridem addictas, et novarum impatientes. Verissima est *Leonis P. IX.* sententia: *nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes* (2). Et *Gratiani* altera: *Privatis constitutionibus et propriis informationibus unaquæque ecclesia pro locorum varietate, prout cuique visum est, subsistit et regitur: dist.* 11. *can.* 8.

Schol. Conf. de Marca *lib.* 2. *cap.* 16. Dum vero res disciplinam ecclesiasticam spectantes potestati Ecclesiæ penitus subducit Lochsteinius *part.* 2. *cap.* 9. §. 11. (si modo doctissimi viri mentem assequor ego) id fateor, probare non possum. Quid enim tot vetustissimorum conciliorum canonibus faciemus, quorum, quando ad pacem Ecclesiæ conservandam restituendamve opus videbatur, exsecutionem etiam censuris propositis urgebant prudentissimi juxta ac mitissimi Patres? quod pro-

(1) *In Apolog.*
(2) *In Epist. ad Mich.* §. 29. *tom.* 6. *Conc. Hard. pag.* 927.

Digitized by Google

barem, nisi constaret omnibus. Rectius proculdubio de Marca *loc. cit.* §. 16. *Vis ergo et imperium legis à sola Ecclesia pendet, sed exsecutio vim sortitur à consensu eorum, quorum maxime interest.* Quapropter cum temperamento quodam recipienda sunt, quæ Auctor *princip. jur. publ. eccles. cathol. cap.* 6. §. 1. *et* 2. in hunc modum scribit: *Quæ Patribus conciliatis placuerunt, vocabantur canones, id est, regulæ, modesta appellatione provide electa, ne, si leges dicerentur, invidiæ dedissent fomentum imperantibus. Hæ regulæ ubi primum à sacerdotibus fuerunt conditæ, exhibebantur Principi, ut ejus auctoritate transirent in leges et sanctiones.* De qua vid. de Marca. *lib.* 2. *cap.* 10. §. 9. *et* 14.

§. XLVII.

Posteaquam leges publicatæ sunt.

Præter hoc autem, ut effectum sortiantur leges, necessaria *promulgatio* est: nulla enim religione ad observantiam earum teneri potest, qui sententiam juste ignorat. Modum vero ac rationem promulgandi docere nos veteris Ecclesiæ consuetudo potest: quam quum intueor, eam video *Patrum* certam fuisse sententiam, ut canonum in conciliis conditorum necessariam per singulas provincias publicationem crederent. Non est dubium hanc consuetudinem ab exemplo *Apostolorum* sumpsisse originem, quos constat ex actis eorum à *Luca* consignatis legem in causa Antiochenæ ecclesiæ rogatam, non Hierosolymis dumtaxat solemni formula, verum omnibus etiam ceteris, ad quos ea controversia pertinere poterat, promulgasse. *Act. XV.* 22. *seqq.*

Schol. Adscribo locum pluribus de causis memorabilem. *Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba Judam, qui cognominabatur Bar-*

Digitized by Google

sabas, et Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam quum legissent, gavisi sunt super consolatione :::: Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.

§. XLVIII.

Per singulas provincias.

Hinc tractus est mos, quem post deinde à conciliis generalibus conservatum religiose indubitata pristini ævi monumenta probant. *Concilium Arelatense I.* quod ex omnibus pene occidentis provinciis *Constantini* imperio coactum est, post damnatam hæresim Donatistarum, viginti et duobus canonibus disciplinam ecclesiasticam constituit. At quum non censeret æquum iis populum christianum teneri prius quam per provincias publicati fuissent, eam curam *Sylvestro* Pontifici commendabat, ut, *qui majores diœceses teneret*, per eum

Digitized by Google

potissimum omnibus insinuarentur (1). Idem faciebat *Nicæna Synodus* eodem *Imperatore* celebrata, scriptisque ad omnes, qui Concilio non interfuerunt, Episcopos litteris, quæ decreta essent, significabat: *Eaque litteris ad vos perscribere necessarium visum est*, ait, *at intelligere positis, cum quæ ibi in quæstionem et disquisitionem vocata, tum quæ decreta sancitaque sint.* (2) *Sardicenses* vero *Patres*, quæ sibi causa exstiterit, ut definitiones suas ad *Julium P.* mitterent, his verbis explicant: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, in Sardinia, et in Italia sunt, fratres nostri quæ acta sunt et quæ definita cognoscant, et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, quos extra Episcopatum justa sententia declaravit* (3). Unam his addo *Ephesini Concilii* epistolam, qua certiores reddit Episcopos, Presbyteros, Diaconos atque plebem christianam universam de rebus ab se adversus *Cœlestium*, *Pelagium*, *Joannem* Antiochenum ceterosque ejusdem factionis socios gestis, hac subjecta ratione: *Quoniam oportebat et absentes à sancta Synodo morantesque in urbibus et provinciis ob aliquod impedimentum sive ecclesiasticum sive corporeum, non ignorare quæ de ipsis sunt constituta* (4). Eamdem rationem sequutos Patres in conciliis, quæ post hæc habita sunt, et Pontifices quoque in publicandis suis decretis probarem, si probatione diligentiori egeret res omnibus notissima.

Schol. Plura exempla hujus consuetudinis habentur in Codice Theodosiano. Constantius Imperator mittit legem de Romanæ ecclesiæ clericorum privilegiis ad Felicem Papam, ut in ecclesiis Romanæ provinciæ legatur *ann.* 360. *lib.* 16. *tit. de Episc. eccles. et*

(1) *Tom.* 1. *Concil. Hard. pag.* 262.
(2) *Socrates lib.* 1. *cap.* 9.
(3) *De Marca lib.* 2. *cap.* 15. §. 5.
(4) *De Marca loc. cit.* §. 6.

Digitized by Google

cleric. leg. 14. *Omnis.* Lex lata ab Impp. Valentiniano, Valente et Gratiano de vita, honestate, conversatione Ecclesiasticorum et Continentium missa ad Papam Damasum lecta fuit in ecclesiis urbis Romæ *ann.* 370. *Ibid. leg.* 20. *Ecclesiastici.* Lex de foro Episcoporum 23. *Qui mos ibid.* missa ad Episcopos, lecta fuit in ecclesiis. Quam consuetudinem servatam fuisse etiam sub Justiniano Imperatore testatur *Novella* ejusdem Augusti *Constitutio sexta*, quæ data creditur *ann.* 558. in qua, postquam multa de Episcoporum aliorumque clericorum ordinationibus prudenter statuisset, ita decernit: *Sanctissimi siquidem Patriarchæ uniuscujusque diœcesis hæc proponant in ecclesiis sub se constitutis, et manifesta faciant Deo amabilibus metropolitis, quæ à nobis constituta sunt. Illi quoque rursus proponant ea in metropolitana sanctissima ecclesia, et constitutis sub se Episcopis manifesta faciant. Illorum vero singuli in propria ecclesia hæc proponant, ut nullus nostræ reipublicæ ignoret, quæ à nobis ad honorem et ad augmentum magni* Dei *et* Salvatoris nostri Jesu Christi *disposita sunt.* Conf. Petr. de Marca *lib.* 2. *cap.* 15. Gibert *proleg. part. prior. tit.* 9. Van-Espen *in tract. de publicat. leg. eccles.* Petrus Colletus *præl. theol. tom.* 2. *tract. de legib. cap.* 5. *sect.* 4.

§. XLIX.

Et summis Principibus probatæ.

Sed nec prætermittenda nobis est hoc loco temere sanctissimorum veteris Ecclesiæ Præsulum in edendis disciplinæ canonibus consuetudo, qua illos antequam regularentur per provincias, probandos *Imperatoribus* confirmandosque offerre solebant. Res ipsa extra omnem est

Digitized by Google

posita controversia ipso fatente *Baronio* (1), non ex actis veterum conciliorum dumtaxat, (quod *de Marca* ostendit pererudite, ut solet, atque copiose, (2), verum ex Synodis etiam *octava* et *nona sæculo* in *Hispania*, *Gallia*, *Germania* celebratis. Ita *Arelatensis Synodus* sub *Carolo M.* habita: *Hæc igitur*, ait (3), *sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus quam brevissime adnotavimus, et Domino Imperatori præsentanda decrevimus: poscentes ejus clementiam, ut, si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur. Synodi* porro *Moguntinæ* ex eadem ætate præfatio hæc habet: *Quatenus ea, quæ paucis perstrinximus capitulis, à vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit; et quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare* (4). Similia his exstant in *Turonensi*, *Cabilonensi*, *Toletanis* atque aliis permultis ex ea ætate conciliis, quæ adscribere nihil necesse est.

Schol. Atque hoc faciebant tum Patres, quando ipsi sine Regibus suis synodos celebrabant: quod quidem contingebat rarius. Plerumque enim Reges ipsi in synodis, quas regias vocat Benedictus XIV. *de syn. diœc. lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. disciplinæ constituendæ auctoritatem impendebant. De his synodis vid. de Marca *lib.* 6. *cap.* 24. *seq.* Steph. Baluz. in cultissima præfatione ad capitularia Regum Francorum. Hujus generis fuisse synodos sub primis Regibus nostris habitas suo loco probabitur.

(1) *Ad ann.* 856. *n.* 4.
(2) *Lib.* 2. *cap.* 10. §. 7. *seqq.*
(3) *Can.* 26.
(4) *Pagius crit. ad ann.* 813. *n.* 19.

Digitized by Google

§. L.

Cujus probationis quæ vis.

Consuetudinis vero istius quæ vis sit quæve ratio, dum quæritur, non una est eruditorum sententia. *Baronius* agnoscit *factum* (§. XLIX.), sed ut mos est viri illius, *nudum* et cum *violentia* conjunctum potius quam *æquo jure*. *Grebnerus in Germania sacra* (1) laudato perperam in eam rem *Pagio*, *officiorum* hæc esse verba censet magis quam *potestatis regiæ* ac *subjectionis* argumenta. Nempe adulatores hic Episcopos, ille facit *Imperatores* juris alieni iniquos usurpatores. *Henningesius* in libro, quem *de summa Imperatoris potestate circa sacra* inscripsit: *Hoc ultimum*, ait (2), *et summum imperantis judicium decretis atque canonibus tam necessarium est, ut supra consilii nudum nomen ea ad præcepti dignitatem et obligatoriam virtutem elevet.* At huic adversatur et ipse Protestantium communione consultus juris *Breuningius*, qui, *quidquid in suis conventibus statuerit* (Ecclesia) scribit, *non egebit confirmatione, sed sua natura vi pacti obligabit. Approbatione igitur imperantis ad summum ea indigebunt, ut ne sit in his statutis, quo respublica turbari possit* (3). Atque ita est profecto. Vis et imperium legis ab auctoritate Ecclesiæ pendet (§. XLVI.). *Sed quod attinet ad canones*, ait prudentissimus *de Marca* (4), *qui non quidem de fide aut Sacramentorum ritibus, sed de reliqua disciplina feruntur, quia legum perpetuarum vires obtinere debent, et clericorum, imo etiam sæpissime laicorum personas respiciunt, ex qui-*

(1) *Part.* 3. *obs.* 7. §. 3.
(2) *Cap.* 8. §. 17.
(3) *Instit. jur. eccles. univ. cap.* 3. §. 98.
(4) *Loc. cit.* §. 9.

Digitized by Google

bus reipublicæ corpus componitur, novamque aliquando disciplinæ formam constituunt, quam plurimi Principum interest, ut ea decreta mature discutiant, antequam eorum exsecutionem publicam et forensem lege sua indulgeant, ne fortasis aut publicæ utilitati aut tranquillitati adversentur. Confirmati autem à Principe canones vim legis publicæ adipiscuntur, quæ necessaria est, ut per omnes imperii provincias exsecutioni tradi possint, et si qui contradicant, auctoritate publica coërceantur.

Schol. Colligas hinc, non nudum, quemadmodum apparitores solent, exsequendæ conciliorum sententiæ ministerium præstitisse Principes Christianos, verum jure post sententiam Patrum auctoritatem suam adjunxisse, habita cum primis ratione disciplinæ, quæ imperii causam non minus quam Ecclesiæ respiciebat. Atque hoc est, quod etsi obscure ac timidius innuere visus est Muratorius *lib.* 1. *de ingenior. moderat. cap.* 15. his verbis: *Illa autem pars disciplinæ, quæ servatur in politicis legibus, et prospicit rerum temporalium regimini ac distributioni, sæpe, ut valeat, consensu indiget Principum, populorum, aliorumque Episcoporum.* Conf. de Marca *lib.* 6. *cap.* 22.

§. LI.

Dispensatio ecclesiastica.

Hactenus de legibus in Ecclesia condendis earumque efficacia. Nunc de mutandis illis pauca subjicienda sunt. Est autem legum, quibus societas Christianorum regitur, duplex genus. *Unum* earum est, *quas lex æterna sanxit*, ut ait *S. Ivo* (1), *quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eamdem auferunt. Alterum* illarum, *quas posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinen-*

(1) *In præf. Decret.*

Digitized by Google

dam, sed ad eam tutius muniendam. In priori genere legum nullæ sunt Ecclesiæ, præterquam in interpretando, partes (§. XXXVIII.). Quapropter merito reprehenduntur passim canonum illi interpretes, qui glossam sequuti dandæ veniæ potestatem summo Pontifici etiam in divino jure faciebant, si qua eam justa causa suadere possit; quod quidem loquendi genus, nisi ad deliberationem ejus juris referatur, tamquam à ratione alienum prorsus repudiandum esse, verissime *de Marca* præcipit. At quæ ex genere sunt altero, has ob eamdem, quæ peperit, utilitatis et necessitatis causam mutari nihil vetat. Recte *Tertullianus*, *regulam fidei*, ajebat (1), *unam omnino esse, solam immobilem et irreformabilem: hac* autem *lege fidei manente, cetera jam disciplinæ et conversationis admittere novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei.* Canonibus autem sæpe hodie derogatur *dispensatione*, quæ sumitur pro venia legis, quam *providam juris relaxationem* vocant Jurisconsulti. Ejus effectus hic est, ut canone vim suam obtinente, *is, cui indulgetur, à vinculo legis et obligatione pro singulari quodam casu* singulari *auctoritate superioris liberetur*: quo ipso distat à *privilegio*, quo per modum legis perpetuæ quis ab observando canone eximitur.

Schol. Quod hic dispensationem voco, variis tam Græci Patres quam Latini nominibus efferunt, de quibus vid. Franc. Florens *in dissert. de dispensat. eccl. tom.* 1. *pag.* 375. *seqq.* et Petro de Marca *lib.* 3. *cap.* 13.

§. LII.

Quando locum habeat.

Dispensationum ecclesiasticarum et multa sunt et antiqua exempla, *Petro de Marca* et *Florenti* diligen-

(1) *De vel. Virg.*

Digitized by Google

ter et eximio cum judicio collecta illustrataque (1), quæ non tantum veniæ dandæ *potestatem*, verum *usum* etiam potestatis ac modum luculentissime commonstrant. Neque enim pro vero admitti potest, quod recentiorum quorumdam intemperantia statuebat, solutum esse lege omni supremi in Ecclesia Antistitis dispensandi arbitrium (2): quod vanum sordidæ adulationis commentum jam olim *D. Bernardus* egregie refellebat, *dissipationem* vocans non *dispensationem* indulgentiam, quæ cœco atque illiberali impetu profunditur. Et in primis quidem *infracti canonis gratiam* faciebat interdum severa *Patrum* disciplina, veniam infringendi aut numquam aut raro dabat: *neutram*, nisi dum vel necessitas urgebat, vel provocabat utilitas, vel pax et charitas deposcebat. Illam *Bernardus*, hanc etiam *Augustinus* æquam lenitatis causam probabat. Prior ita habet (3): *Quid? prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam quum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* *Augustinus* vero in epistola 185. alias 50. *In hujusmodi causis*, inquit, *ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Nec hoc immerito quidem; *nonne* enim *justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius*

(1) *Loc. cit.*
(2) *Contareni epist. ad Paulum* 3.
(3) *Lib.* 3. *ad Eugen. cap.* 4.

Digitized by Google

demutentur (1). Utilitatem demum canonica dispensatio eam requirit, quæ est Ecclesiæ ipsius, non propriam; publicam, non privatam. Quod gravissimis verbis adfirmantem audivimus *D. Bernardum*: confirmat *Goffridus* Vindocinensis (2). His regulis *Gratiani* adhuc ætate ecclesiastica dispensatio regebatur, quod ex *Decreto* ejus manifestum est. Unde intelligi potest, quam circumscriptus ejus usus per mille et amplius *in Ecclesia Dei* annos fuerit. At recessum ab his est regulis, ex quo, ut ait *Fleurius*, *Pontificum potentia nulla re magis censeri posse videbatur, quam si dispensationes à canonum observantia in infinitum extenderentur. Part.* 1. *Inst. jur. eccles. cap.* 1. §. 17.

Schol. Recessum est, inquam, vitio hominum, non Ecclesiæ ipsius, cui imputare illud iniquum est. Conf. Barthel *dissert. de eo, quod circa libert. religion. justum est, cap.* 8. §. 28. *Nunc vos illud admoneo* (verba sunt Augustini *lib.* 1. *de morib. eccles. cathol. cap.* 34.) *ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ male dicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet.*

§. LIII.

Idem de privilegiis et exemptionibus tenendum est.

Quod de dispensationibus dictum est, id de *privilegiis* atque *exemptionibus* valere hoc magis debet, quo gravius disciplinæ vulnus infertur duratura in perpetuum, quam temporaria et quasi momentanea ejus relaxatione. (§. LI.) De privilegiis, inquam, atque exemptionibus illis maxime, quæ Episcoporum divinitus institutam auctoritatem (§. XXI.), et hierarchiam in ecclesiis subordinationem (§. X.) aut soffodiunt tacite, aut

(1) *Bern. cap.* 2. *de præcept. et disp.*
(2) *De Marca lib.* 3. *cap.* 14. §. 8.

Digitized by Google

aperte agrediuntur. Cujusmodi privati juris, melioribus temporibus non auditi, quum primum in *Cluniacensibus* exemplum prodidit *Gregorius VII.* monarchiæ absolutæ studiosissimus Pontifex, incredibile dictu est quam iniquis novus hic conatus studiis exceptus sit: quod ex *Fulberti*, *Ivonis*, *Joannis Salisberiensis*, *Bernardi*, *Petri Blesensis*, aliorumque ejus ætatis sanctissimorum doctissimorumque hominum querelis testatissimum est (1). Et vero docuit ipsa dies, quam perniciosa christianæ civitati enormis hæc facilitas exstiterit, ut mirum non sit, de tollendis aut mitigandis exemptionibus actum persæpe, emendandoque abusu Ecclesiæ universæ non gravi magis quam noxio (2). Sed ut nunc res sunt, etsi adsuetudine temperatum, nondum tamen deletum est penitus scandalum, quod ex hac graduum perturbatione natum est. Quare licet ob hanc causam tollere exemptiones necesse non sit, quia tamen canonum istæ et severioris disciplinæ remissiones interiorem rerum publicarum tranquillitatem non modice lædunt; non alienum à jure summorum esse Principum, si his incommodis pro ea, qua possunt, auctoritate prospiciant, intelliget, opinor, nullo negotio quisquis res superiori tempore gestas diligenter et vacuo à præjudiciis animo expendere volet. *De Marca lib.* 3. *cap.* 16. §. 8.

Schol. An revocanda igitur privilegia omnino censebimus? De hoc quidem expendant, quibus populi christiani salus à Deo concredita est. Sed si molimina intueor, quibus privilegia exemptionesque suas tueri adgressi sunt homines partium suarum, quam canonum studiosiores: jam eo res adducta videri potest, ut ne reliquum fecerint quidem Ecclesiæ remedium, quo dignitatem suam tueantur. Quum Paulus P. II. bullam Clementis III. qua omnes Mendicantium ordines ad jus commune revocabat, publicare meditaretur, generales ordi-

(1) *Espen jur. eccles. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 4.
(2) *Biga diss. jur. publ. eccles. diss.* 1. §. 13.

Digitized by Google

num eorumdem Præpositi *provocationis ad concilium generale formulam* adjecerunt, ut Raynaldus narrat *ad ann.* 1471. *n.* 69. Et si Bzovio et Wadingo fides adhiberi potest, Innocentio mortis causa exstitit hæc præcipue, quod privilegia ordinum religiosorum paullulum circumscribere ausus esset. Ita scilicet Deo curæ sunt, ut ne monachus Episcopo suo subjiciatur. Rursus in concilio Tridentino, quum de revocandis aut mitigandis saltem exemptionibus ageretur, non placuit exemptiones à summis Pontificibus concessas ab alio quam à Romano Pontifice tolli aut minui. Pontificem autem, nisi suam ipsam dignitatem imprudenter conetur labefactare, id quidem facturum numquam Pallavicinus nos jubet credere *in hist. concil. Trid. lib.* 12. *cap.* 13. §. 8. ubi, *haud inficior*, inquit, *unum ex emolumentis, quæ regularium immunitas secum fert, in eo situm, quod auctoritatem sedis Apostolicæ sustineat, secundum institutionem* Christi *et Ecclesiæ bonum, quum in comperto sit, omne monarchiæ regimen, quo se illæsum tueatur, opus habere in singulis provinciis aliquo prævalido præsidio ejusmodi subditorum, qui Principi per se ac perpetuo illic dominanti nequaquam subjiciantur. Nec alio pacto*, inquit *lib.* 8. *cap.* 17. §. 12. *laudati ordines sustentandæ Lateranensi basilicæ collabenti, hoc est, Ecclesiæ catholicæ opportuni fuissent: vaticinium profecto, quod re comprobatum est, vel ipso* Nicolao Machiavello *fatente.* Ita purpuratus hic historiographus, dum suæ studet causæ, ignarus sedi Romanæ turpissimam maculam inurit. Quanto rectius Ill. Bossuet: *Certo statuimus*, inquit, *numquam Ecclesiæ catholicæ, numquam sedi Apostolicæ suam dignitatem constituturam, nisi defensis canonibus adscitisque Episcopis, quos ipse* Christus *adjutores dederit. In corol. defens. declar. Cler. Gallic.* §. 11. *in fine.*

Digitized by Google

§. LIV.

De jure interpretandi.

A dispensatione porro distat *interpretatio*, quæ non in lege relaxanda, sed in vero ejus sensu eruendo ac determinando versatur. *Authentica* est, dum ab ipso legis auctore proficiscitur, aut ab alio, cui hanc ille potestatem contulit. Ejus faciendæ jus pars est potestatis illius, quæ rogandis legibus exercetur. Quapropter dubitari non potest, quin Ecclesia christiana potestatem habeat interpretandi leges, non suas modo et ad disciplinam exteriorem pertinentes, verum illas etiam, quæ religionis (§. XXXVIII.) et morum dogmata complectuntur (§. XXXIX.). Huc pertinet *Concilii Tridentini* decretum: *Nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. Sess. 4.*

Schol. Conf. Natalis Alexander *in Hist. eccles. sæc. XVI. diss.* 12. *art.* 2. §. 8. *seqq.* Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 4. *cap.* 4. *seqq.* De potestate Ecclesiæ, quam in divino jure tam naturali quam positivo interpretando exercet, nemo est Catholicorum, qui dubitet. Sed *applicationem* ejus juris cum *interpretatione* confundunt multi tam Theologi quam Jurisconsulti, quo fit, ut Ecclesiæ auctoritatem alii plus æquo deprimant, alii vero præter Servatoris voluntatem nimium proferant. In hoc vitio cubat, nisi fallor, Innocentii ratiocinium *in cap.* 13. *de judic.* cujus historiam dedit Jan. à Costa *in comment.*

Digitized by Google

§. LV.

Et abrogandi leges ecclesiasticas.

Restrictior est ejus in abrogandis legibus auctoritas. Naturalium enim vis immobilis est (1). Nec quæ à *Deo* revelatæ sunt, novi testamenti leges ulla vi humana tolli possunt (§. LI.) Itaque humanæ relinquuntur, et ab Ecclesia ipsa profectæ leges, quas ex causa etiam abrogari interdum nihil vetat. *Quis nesciat*, ait *Augustinus* (2), *ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati :::: cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat?* Verum hac tamen moderatione Ecclesia christiana Pastores suos uti semper voluit, ut conservata statutis *Patrum* reverentia tot sæculorum felici usu roborata, canonibus tam antiquandis quam condendis temperate indulgerent. Neglecta vel obruta potius veteris disciplinæ memoria, et novarum legum jam ipsa sibi pridem gravis moles quantum in Ecclesiam incommodi, detrimenti in res publicas invexerit, ignorare, nisi qui volet, nemo potest.

Schol. Conf. Van-Espen *in dissert. de vet. canon. stabilit. et usu.* Et auctor libelli, cui titulus: *Jura Ecclesiastica à Sacris Scripturis deducta. Aug. Vindel. ann.* 1773. 8.

(1) *Lactant. div. Inst. lib. 6. cap.* 8.
(2) *Lib. 2. de Bapt. cap.* 3.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE POTESTATE ECCLESIÆ JUDICIARIA.

§. LVI.

Quid sit potestas Ecclesiæ judiciaria? seu jurisdictio in specie?

Pars illa sacræ potestatis, quæ in cognoscendis causis Ecclesiæ definiendisque exercetur, *jurisdictio ecclesiastica* in specie vocatur, *facultatemque* indicat *jus dicendi in negotiis ecclesiasticæ potestati subjectis.* Dicitur autem *civilis*, quum in tribuendo singulis jure proprio versatur; *coërcitiva*, dum pœnas sumit de iis, quæ adversus leges ecclesiasticas temere admissa sunt. De hac proximo capite.

Schol. Vocabulum *jurisdictionis* ambiguum est. *Jurisdictionem* ab imperio distinguunt Romani juris interpretes, de quo discrimine Noodt et Averanius fortasse accuratissime exposuerunt. Nostro jure jurisdictionis nomine interdum potestas Ecclesiæ universa intelligitur: alias eam dumtaxat partem indicat, quæ in jure dicundo versatur: quo sensu *in cap.* 16. *de offic. judic. ord.* accipi evidens est, dum *jurisdictio causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium cum censuris ecclesiasticis* à ceteris Episcopatus juribus aperte secernitur: et *in cap.* 18. *eod. causarum examinatio et decisio, atque emendæ*, seu multæ *ad legem jurisdictionis* pertinere dicuntur, quam ætas recentior à *lege diœcesana* separavit. Conf. Bohmer *in jur. eccles. Protest. tit.* 31. §. 11. *seqq.* Gasp. Barthel. *de jure reformat. antiq. tom.* 1. *pag.* 134. Neller *in diatrib. inaugur. de jur. diœcesan. Mogunt.* 1751.

Digitized by Google

§. LVII.

Eam Ecclesiæ competere probatur.

Juris vero dicendi facultas competatne Ecclesiæ christianæ, et quo jure competat, aut difficile conjectu est. Nam quum naturali quadam ratione potestati ecclesiasticæ insit (1), removeri illa ab Ecclesia non magis potest quam potestas ipsa, ad quam refertur. (§. XXXII.) Sed nec alia ejus *origo* quam hujus censenda est (§. XXXIII.), *divina* scilicet è jure clavium repetenda, quas Ecclesiæ suæ impertitus est divinus fundator. Huc enim respexisse *Christum* arbitror apud *Matthæum* (2), quando Ecclesiæ jussit denuntiari refractarios, ut quos privatæ et familiares fratrum cohortationes minime flecterent, auctoritas illius ad saniorem mentem compelleret et æqui juris observantiam. Et vero, nisi hanc demus christianæ societati tributam à *Domino* potestatem, quo jure *Paulus* oratione tam acerba *Corinthios* sua in communione retinentes incestuosum hominem neglectæ disciplinæ reos arguebat, seque de illo, etsi absentem, jam tulisse *judicium* ajebat, *ut qui sic operatus esset, traderetur satanæ in interitum carnis*? (3) Idem *Paulus*, dum monet *Timotheum*, ne adversus Presbyterum accusationem reciperet nisi sub duobus tribusque testibus, dum hortatur *Titum*, ut quæ deesse in Ecclesia sibi commissa judicaret, pro arbitratu suo corrigeret: nonne hanc potestatem divinitus tributam Episcopis probat apertissime? (§. XXII.) Ut taceam litem Antiochenos inter fideles natam, quam *Apostoli* ipsi cognitam synodali definitione Hierosolymis composuerunt. (§. XLVII.)

(1) *Fixlmill. Exercit. 2. sect.* 14. §. 44.
(2) *Cap. XVIII.* 15. 16. 17.
(3) *I. Corinth. V.* 3. 4.

Digitized by Google

Schol. Bohmerus quidem *in dissert. 3. ad Plin.* §. 71. nihil exemplo huic inesse momenti putat, ut judiciorum ecclesiasticorum consuetudinem ex praxi apostolica derivare liceat. In sententiam synodi pro *lauda*, ut juris consultorum verbo utar, habet, censetque Antiochenos per modum *compromissi* causam hanc controversam decisioni *Apostolorum* et matricis ecclesiæ submisisse. Apparet vero plura hic à doctissimo viro sumpta esse, quam ut fide ejus probare possimus. Primum enim Antiochenos controversiam non Apostolorum tantum, verum totius etiam ecclesiæ Hierosolymitanæ judicio subjecisse statuit, quod est aperte contrarium iis, quæ Lucas *cap. XV.* 2. memoriæ prodidit. Deinde quis hoc putet ferendum, quod fateri omnino cogimur, hanc si placet interpretationem sequi, Apostolos in hac dirimenda controversia non fuisse nisi honorarios ex consensione disceptantium electos arbitros? *Erant illi divinitus creati judices ejusmodi controversiarum de Religione: neque liberum ideirco Antiochenis erat, utrum ad eos litem suam deferre vellent, nec ne? verum jus ipsum divinum jubebat eos ad Apostolorum tribunal accedere*: ut Moshemius verissime docet *de reb. christ. ante Constant. M. sæc. I.* §. 56. Ipsa denique Hierosolymitani decreti verba, *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, satis, opinor, indicant, sententiam ab Apostolis pronuntiatam fuisse judicis auctoritate præditi, non honorarii et pro arbitrio adsciti sententiam.

§. LVIII.

Etiam in usu.

Quam hoc primum exemplo habendorum judiciorum formam quasi consecrabant *Apostoli*, eam retinuit diu apostolici moris tenacissima *Patrum* religio. Non desunt nec ex prima quidem ætate hujus generis conventuum

Digitized by Google

judiciorumque celebratorum vestigia à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Eusebio* litteris consignata traditaque memoriæ posterorum, rariora licet et interdum suboscura. Nec enim dissimulaverim, caute admodum et temperate Christianorum Præsules jure suo iis precipue temporibus usos fuisse. Suadebat eam moderationem ipsa temporum ratio, ne in suspicionem venirent usurpatæ potestatis non suæ, quam vitare prudentiæ fuit in tanta gentilium criminandi persequendique et licentia et libidine. At vix hæc silere jussa est, suæque reddita libertati Ecclesia, quum sua illico divinitus tradita jura explicare apertius, majoreque cum fiducia cœpit: quæ tantum abest ut religiosi *Principes* ad se revocarent, majestatemque suam iis exercendis lædi quererentur, ut editis etiam constitutionibus Ecclesiæ adjudicarint, non conferentes illi quam non habebat potestatem, sed quam divino jure habebat, et agnoscentes, et pro ea qua pollebant suprema auctoritate confirmantes.

Schol. Huc refero illa Constantini dicta magnifice in concilio Nicæno, quæ Ruffinus *lib.* 1. *cap.* 2. descripsit: *Quum resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur, aperiens ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, et ideo nos à vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium, et vestra jurgia, quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen.* Abutuntur hoc quidem loco certe, qui eum hoc consilio proferunt, ut quam ea ætas nondum novit, Episcoporum in temporalibus causis divinitus concessam immunitatem persuadeant: sed probandæ Episcoporum jurisdictioni sacræ peridoneus est, præcipue quum ei adstipulentur constitutiones Imperatorum non paucæ: veluti Valentiniani et Gratiani *leg.* 23. *Cod. Theod. de Episc.* Honorii et Theodosii *leg.* 41. *Cod. Theod. de*

Digitized by Google

Episc. Arcadii et Honorii *leg.* 1. *Cod. Theodos. de relig.* Valentiniani, Theodosii et Arcadii *leg.* 3. *tit.* 12. *ad calc. Cod. Theod.* Justiniani *Novell.* 83. *cap.* 1.

§. LIX.

Et Imperatorum confessione.

Hujus juris adeo sibi conscii fuerunt Ecclesiæ christianæ Antistites, ut, dum patientes doctrinæ severioris Principes nacti essent, nihil revererentur vel admonere, vel etiam reprehendere, si quando pravis suorum consiliis huc se adduci passi sunt, ut rebus se ac negotiis religiosis contra, quam fas erat, ingererent. *Desine, quæso te*, ajebat Osius Constantio Imperatori, *et memento, te mortalem hominem esse: time judicii diem, teque ipsum innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcipe, sed à nobis potius disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit* (§. XLV.). Et Ambrosius in epistola ad Valentinianum Jun. (1) *At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in* causa fidei, *in* causa, *inquam*, fidei Episcopos *solere de* Imperatoribus *Christianis, non* Imperatores *de* Episcopis *judicare? Eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate provectior, et tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis jus sacerdotale substernit.* Cujus juris non ignarus *Thedosius Jun.* in litteris ad *concilium Ephesinum* (2): *Igitur Candidianum*, inquit, *præclarissimum sacrorum domesticorum Comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege et conditione, ut cum* quæstionibus *et* controversiis, *quæ circa* fidei dogmata *incidunt, nihil quidquam commune*

(1) *Epist.* 21. *n.* 4. 5.
(2) *Tom.* 1. *Concil. Hard. pag* 1346.

Digitized by Google

habeat: nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere. Similiter *Valentinianum Imp.* quum ad synodum indicendam sollicitatus esset ab Episcopis orientis, quo fides de consubstantialitate, quam pene labefactabit *Constantius*, restauraretur, præclarum hoc responsum dedisse *Sozomenus* testatur (1): *Sibi, qui unus è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes et Episcopi*, inquit, *quibus hæc curæ sunt, seorsim per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.* Vid. *Ill. de Marca lib. 2. cap. 5. 6.*

Schol. Bohmerus *in observatione ad cap. 4.* Petri de Marca *lib. 2.* cognitionem de causis fidei largitur, *decisionem* negat. Hanc Principi summo adjudicat. Qua in re nescio, an ipsi Augustanæ confessioni adhæreat: ita enim illa habet *art. 7. Quum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi et Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinam, et doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, et impios, quorum est nota impietas, excludere à communione Ecclesiæ sine vi humana, sed verbo. Hic necessario et de jure divino debet eis Ecclesia præstare obedientiam, juxta illud: Qui vos audit, me audit.* Quod si autem necessario et de jure divino Episcopis de doctrina cognoscentibus obedientia præstari debet, amabo, quid est, quod ad vim judicii decisivam præterea desiderare possis?

(1) *Lib. 6. cap. 7.*

Digitized by Google

§. LX.

Sed in causis tantum ecclesiasticis.

Ex his porro testimoniis liquido constat, potestatem Ecclesiæ judiciariam *propriam* illam atque, ut ajunt, *essentialem* non in causis profanis facinoribusque contra civiles leges perpetratis, sed in fidei ac morum ecclesiasticæque disciplinæ controversiis dirimendis exerceri (§. XXXVIII.). Apertissime in hanc sententiam est *Arcadii* et *Honorii* AA. laudata nuper constitutio: *Quoties de religione agitur, Episcopos convenit judicare: ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri.* Quam repetens Valentinianus III. *constat*, ait, *Episcopos et Presbyteros forum legibus non haberi: nec de aliis causis secundum* Arcadii *et* Honorii *divalia constituta :::: præter religionem posse cognoscere.* Religionis vero causam laxius nonnihil interpretatur constitutio *Theodosii*, ita, *ut causas* universim *ecclesiasticas* Episcopali judicio subjectas esse declaret. *Continua lege sancimus*, ait (1), *nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicum pertrahatur: habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi.* Quod omnino consentaneum est indoli principatus sacri atque exemplo *Christi* reprehendentis hominem, qui se rogabat, ut ad dividendam secum paternam hæreditatem fratrem compelleret (§. XXXVI.). Unde S. Bernardus: *Non monstrabunt, puto*, inquit (2), *ubi*

(1) *Lib.* 16. *tit.* 12. ad calcem *Cod. Theod. leg.* 3.
(2) *Lib.* 1. *de cons. cap.* 6.

Digitized by Google

aliquando quispiam Apostolorum *judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego ::: Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, et non propter has accepistis claves regni cœlorum: prævaricatores utique exclusuri, non possessores :::: Habent hæc infima et terrena judices suos, Reges et Principes terræ. Quid fines alienos invaditis?*

Schol. Multa Baronius *in ann. ad ann. 57. n. 24. seqq.* de judiciaria Ecclesiæ potestate disputabat, et ut appareret, Paulum *in I. Corinth. cap. VI. 4.* ita capiendum statuebat, ut videatur omnino prohibuisse Christianis jus suum coram ethnico Magistratu prosequi: jussisse autem causas omnes, tametsi maxime civiles, ad Episcopum deferri, ejusque adquiescere sententiæ. Quam doctissimorum annalium ecclesiasticorum scriptoris interpretationem egregiam vocat vir clar. Placid. Fixlmillner *Exercit. 2. sect. 4. §. 44. not.* censetque à mente Pauli quam longissime aberrasse Espenium, Basnagium, Bohmerum, qui eum textum intelligendum volebant de arbitrio, seu judicibus litigantium communi compromisso electis, atque adeo publica nequaquam auctoritate præditis. Atqui hæc tamen communis est catholicorum, paucis demptis, loci istius interpretatio, quam nihil video, cur deserendam putemus. Audi enim D. Thomam in eum Apostoli locum: *Sed videtur*, inquit, *esse contra id, quod dicitur I. Petri II.* Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. *Pertinet enim ad auctoritatem Principis judicare de subditis. Est ergo contra jus divinum prohibere, quod ejus judicio non stetur, si sit infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti in eorum judicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subjectionem, quæ de*

Digitized by Google

betur Principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium judicium.

§. LXI.

Audientia Episcoporum.

Non repugnabo, si quis mature in Ecclesia invaluisse consuetudinem contendat, qua Christiani pacis quam jurgiorum amantiores oborta inter se dissidia Episcoporum arbitriis componenda committere sunt soliti. *Sidonius Apollinaris* persæpe consuetudinis istius meminit (1), et *Synesius* partem Episcopalis sui muneris non postremam id ipsum esse dicit (2). *Ambrosius* porro et *Augustinus*, quanta adsiduitate audiendis fidelium controversiis componendisque vacaverint, ipsi de se testes sunt (3). Occasionem pio mori præbuit prior *Pauli* ad Corinthios epistola, in qua *Augustino* auctore (4) Christianis omnibus præcipiebat, ut dissidiis, si qua nascerentur, dirimendis è suis potius arbitros eligerent, quam non sine quadam Christiani nominis proditione fora gentilium fatigarent. Quod tandem officium ad Episcopos devolutum consuetudine, *Constantinus* edita lege confirmavit, *permittens litigantibus*, ut *Sozomenus* narrat (5), *ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent; eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis prævaleret, perinde ac si ab ipso* Imperatore *data fuisset: utque, res ab Episcopis judicatas Rectores provinciarum eorumque officiales executioni mandarent.*

Schol. Exstat ad calcem Codicis Theodosiani lex,

(1) *Lib.* 3. *epist.* 12. *lib.* 6. *epist.* 2. 4.
(2) *In epist.* 105.
(3) *Ambros. epist.* 24 *August. epist.* 213. *alias* 110.
(4) *De op. Monach. cap.* 29
(5) *Lib.* 1. *cap.* 9.

Digitized by Google

quam nonnulli pro hac ipsa lege habent, cujus Sozomenus et Eusebius quoque *de vita* Constantini *lib.* 4. *cap.* 27. meminerunt. Eam Seldenus genuinam credidit *de uxor. hebr. lib.* 3. *cap.* 28. quæ si sententia vera est, amplissima jam tum potestas Episcoporum in judicandis causis fuerit, necesse est. Cautum enim in illa est, uti, *si quicumque litem habens sive possessor sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive quum negotium peroratur, judicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* Ea etiam probata est in Capitular. Reg. Franc. *lib.* 6. *cap.* 366. Refertur porro ab Ivone *part.* 16. *decret. cap.* 312. Gratiano *caus.* 11. *quæst.* 1. *can.* 35. *et* 36. et tandem ab Innocentio III. velut à Theodosio edita, et à Carolo M. recepta *in cap.* 13. *de jud.* Sed validiora sunt Gothofredi argumenta, quam ut eam à Constantino perlatam fuisse credi possit. Bingham *orig. eccles. lib.* 5. *cap.* 2. §. 3. Espen *part.* 3. *jur. eccles. tit.* 1. *cap.* 2.

§. LXII.

Confirmata legibus.

Confirmarunt autem etiam ceteri deinde *Imperatores*; verum ita, ut appareat, nullam ad Episcopum civilem causam delatam fuisse, nisi quum litigantes sponte eum tamquam arbitrum elegissent. Declaravit hoc disertis verbis *Honorius* (1): *Si qui ex consensu apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur illius in civili dumtaxat negotio* more arbitri *sponte residentis judicium.* Et iterum (2): *Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sa-*

(1) *Leg.* 7. *Cod. de Episc. aud.*
(2) *Leg.* 8. *eod.*

Digitized by Google

cerdotibus elegerint, eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam decernit, *quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per judicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni exsecutio tribuatur.* Nemo igitur ne quidem contra clericos coram Episcopo experiri cogebatur. In quorum causis, quum circa medium quinti sæculi jurisdictionem suam plus æquo Episcopi extendere niterentur, *Valentinianus III.* (1) edita lege edixit: Episcopos potestatem non habere judicandi ne quidem clericos, nisi ex consensu eorumdem per modum arbitrii; neque enim dubium esse, quin nullum Episcopi forum habeant legibus constitutum (2). Primus omnium *Justinianus* fuit, qui fori quoddam privilegium Ecclesiæ ministris indulsit, quod arctis satis in principio limitibus circumscriptum eas procedente tempore vires accepit, ut ægre dignitatem suam potestatemque ipsi adeo *supremi Principes* tuerentur, præcipue ex quo invaluit *veteribus* toties improbata opinio, qui à sæculari transeunt ad statum clericorum, eo ipso à sæculari potestate eximi. Quam divini juris regulam *Paulus* ignoraverit necesse est, quando in epistola ad Romanos *omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse* scribebat. *Chrysostomus* quoque *ostendit*, inquiens, *quod ista imperentur omnibus et Sacerdotibus et monachis, non solum sæcularibus. Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit* Omnis anima::::: *etamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Homil. 23. in epist. ad Rom.*

Schol. Conf. Fleurius *diss. 7. ad Hist. eccles.* Espen *loc. cit. cap. 3. seqq.* Sunt, qui olim elericis omnino interdictum fuisse existimant adire judices sæculares, idque canonibus sæpissime cautum esse. Nec ego diffi-

(1) *Novell. tit. 12. tom. 6. part. 2. Cod. Theod.*
(2) *Fleurius diss. 7. ad Hist. eccles. §. 4.*

Digitized by Google

teor, Ecclesiam magis in ministris suis quam in ceteris fidelibus exegisse illam in litigando modestiam, quam Corinthiis tantopere commendabat Apostolus (Espen *loc. cit.*) tulisse tamen, modo id Episcopo consentiente fieret, certum est. Concilii Andegavensis Patres *can.* 1. ita habent: *Clericis non liceat inconsultis Sacerdotibus suis*, id est, Episcopis, *sæcularia judicia expetere.* Licebat igitur illis consultis: quod etiam ex concilii Agathensis *can.* 32. liquet: *Clericus nè quemquam præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente, pulsare.* De *actore* enim clerico legendus est canon, non de *reo*, ut Gratianus *caus.* 11. *quæst.* 1. *can.* 17. Addit canon: *Sed si* (clericus) *pulsatus fuerit* (apud judicem sæcularem), *respondeat, non proponat.* Quam Sirmondus lectionem genuinam esse probat ex *can.* 11. concilii Epaonensis, qui sic habet: *Sed si pulsati fuerint clerici, sequi ad sæculare judicium non morentur.* Ex his discas, *clerico* quidem *actori* non licuisse sine adsensu Episcopi *laicum* in jus vocare ad sæcularem judicem, licuisse autem laico actori clericum etiam non obtenta venia. Quorum canonum ea videtur ratio fuisse, quod clericus liberæ suæ voluntati relictus est, utrum judicio velit contendere, quam libertatem non habet, dum ipse convenitur. Sed non multo post etiam laicis interdictum est reum agere clericum in foro sæculari absque consensu Pontificis, ut ex Concilii Aurelianensis III. *can.* 32. et Aurelianensis IV. *can.* 20. constat. Conf. Franc. de Roye *instit. jur. can. lib.* 3. *tit.* 4. §. 4. *seqq.* Jan. à Costa *lib.* 2. *tit.* 1. *pag.* 279.

§. LXIII.

Tandem in propriam jurisdictionem abiit.

Sed et civilis in laicos jurisdictio multum subindè statutos à *Patribus* limites prætergressa est. Postea-

Digitized by Google

quam enim aucta primum per episcopalem audientiam (§. LXI.), *imperantium* deinde beneficio in veram ac propriam jurisdictionem abiisset (§. LXII.), usu demum et diuturna observantia Ecclesiæ *plena immunitate* adquisitam, non defuerunt juris quidem colores, quibus inducti ecclesiastici judices potestatem in dies magis diminutum ibant. Nam ut de clericis nihil dicam, quorum à foro sæculari exemptionem (qua modeste *Patres* utebantur et ad modum publicis legibus constitutum) immoderate proferebant (1); ceterarum etiam, quæ laicos concernunt, causarum nullum plane genus est, cujus non potiorem partem suæ cognitioni vindicabant. Cui abusui diversas, speciosas interdum, prætexebant rationes, *peccati*, quæ denuntiationem evangelicam peperit (2), *jurisjurandi* religionem firmandis rebus gestis adjectam (3), *qualitatem* personarum miserabilium (4), *justitiam* in foro sæculari vel protractam vel denegatam (5), *nexum* ecclesiasticæ causæ cum profana, aliaque his non absimilia, quibus effectum est, ut fori regnum omne diu penes Ecclesiam esset. Sed, ut fit, abusus querelis locum præbuit, causamque non iniquam investigandis stabiliendisque remediis, quibus constituto fori utriusque æquo limite, et tranquillitati publicæ et dignitati civilium magistratuum utcumque consultum est.

Schol. De Germaniæ institutis vid. *Capitul. Cæs. novissa. art.* 14. §. 4. 5. Faber *Staats-Canzley tom.* 4. *pag.* 656. 696. de Gallia et Belgio. Espen *loc. cit.*

(1) *Fleurius diss.* 4. *in Hist. Eccles.* §. 7.
(2) *Cap.* 13. *de jud.*
(3) *Cap.* 3. *de foro comp. in* 6.
(4) *Cap.* 15. *de foro comp.*
(5) *Cap.* 6. 10. 11. *eod.*

Digitized by Google

§. LXIV.

Quæ sit jurisdictio Ecclesiæ interna.

Præter *externam* Ecclesiæ jurisdictionem, de qua actum est hactenus, alia est quam *internam* vocant, et in potestate remittendi retinendique peccata sita est, juxta illud *Servatoris* (1): *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed de hac Theologi.

Schol. Conf. vir. clar. Plac. Fixlmillner *exercit.* 2. *sect.* 4. §. 51. *pag.* 132. *seqq.*

CAPUT VI.

DE POTESTATE ECCLESIÆ COERCITIVA.

§. LXV.

Potestas coërcitiva Ecclesiæ competit.

Jurisdictionis sacræ pars altera, quæ in coërcendis delictis salutem Ecclesiæ lædentibus (§. VI.), corrigendisque pravorum moribus, aut in facinorosis penitus è Christianorum societate ejiciendis sita est, *potestatis coërcitivæ* nomen habet. (§. LVI.) Constat vero duplici jure, pœnas scilicet *decernendi*, et *exsequendi* decretas *remittendive*. Illud *jus puniendi*, hoc *jurisdictionem* Ecclesiæ *criminalem* vocant. Potestatem hanc in Ecclesia christiana non postremis demum sæculis, verum prima quoque et puriore, ut ajunt, ætate receptam fuisse,

(1) *Joann. XX.* 22. 23.

Digitized by Google

atque interdum exercitam, nemini hactenus, opinor, dubium fuit: adeo enim perspicua hujus rei exempla historia sacra prodidit memoriæ, ut in controversiam adduci nullo modo possit. Sed causa juris quæ sit, cui exercitium illius competat, quove in genere pœnarum versetur, hæc sunt, de quibus varie acriterque disceptatum est.

Schol. Exercitæ potestatis varia eaque illustria exempla veterum temporum memoria suppeditat. Collegit complura ex Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Theodoreto ipse Pfaffius *orig. jur. can. pag. m.* 122. *seq.* quibus addi permulta possunt alia, si opus esset. Ceterum non hoc mihi nunc propositum est, ut universam Ecclesiæ disciplinam explicem, quam pro temporum diversitate aliam atque aliam in hoc capite obtinuisse satis constat omnibus. Quod moneo, ne sit argutulus quisquam, qui in vitio ponat, si nihil hoc loco repererit eorum, quæ de *pœnæ* ac *censuræ* discrimine, hujusque variis speciebus acute magis quam vere scholastici disputant. Sciunt qui vetera norunt, nova hæc esse junioris ætatis inventa, enutrita in scholis, ex quibus in forum demum prolata sunt non sine insigni disciplinæ mutatione. Olim crimina etiam ad synodum delata non plectebantur, nisi in ordine ad sacramentalem absolutionem. Nullum ea ætate *fori externi* atque *interni* discrimen, neque alius illi, huic alius præficiebatur judex, qui delictis inquirendis coërcendisque auctoritatem impenderet, quod Morinus *de administr. pœnitent. lib.* 1. *cap.* 9. *et* 10. probavit. Inventi hujus discriminis laus est propria sæculo duodecimo. Quo recepto semel probatoque, planum fuit eo delabi, ut quæ majores ad *correctionem* maxime *pœnitentiamque* injungebant gravioribus etiam facinorum reis, hi per modum *pœnæ* ad *publicam vindictam*, pronuntiataque ex formula judiciorum sententia, infligerent exsecutionique darent: quo ipso præcipua sinceræ disciplinæ ratio mi-

Digitized by Google

rifice turbata est. Conf. Fleurius *dissert.* 3. *in Hist. eccles.* §. 16. *seqq.* et *dissert.* 7. §. 9. *seqq.* Espen *in tract. histor. can. de censur. cap.* 2. §. 2. 3. et *part.* 3. *jur. eccles. univ. tit.* 11. *cap.* 1.

§. LXVI.

Fundamentum hujus potestatis.

De causa juris istius atque origine in primis vehemens est ac pertinax controversia. Mihi quidem potestatem hanc Ecclesiæ divinitus tributam esse certum est ac perspicuum quam maxime. Quum omnis Ecclesiæ sollicitudo huc pertineat, ut ad religionem fideles virtutisque veræ studium perpetuo colendum informet; eniti utique illam oportet omni, quo licet, modo, ut ne impietati malisque moribus grassari in populo christiano impune liceat, ac pravis exemplis imbecilles animos corrumpere, inque parem turpitudinem pellicere: maxime quod *Christus* ipse hoc ei officium disertis verbis imposuerit, adjecta potestate ejiciendi etiam è societate Christianorum, si qui essent animo tam inflexili, ut ambiguam sanioris consilii spem facerent. *Si peccaverit in te frater tuus*, inquit (1), *vade et corripe eum inter te et ipsum solum :::: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ob hujus officii neglectam curam *Christi* ipsius reprehensionem meruit Episcopus Pergami (2); et *Apostolus* minatus *Corinthiis* (3) divinitus se instructum potentia ait ad ulciscendam omnem inobedientiam, qua usurum se adversus illos non dissimula-

(1) *Matth. XVIII.* 15. *seqq.*
(2) *Apocal. II.* 14. 15.
(3) *I. Corinth. IV.* 21.

Digitized by Google

bat, nisi obsequentes se monitis præbuerint (1). Eademque auctoritate *Paulus* præcipit *Timotheo* ac *Tito*, increparent inobedientes dure arguerentque cum omni imperio (2), ac Corinthium incestus reum segregari ab Ecclesia jubet, quo et ipse verecundia tactus ad frugem redeat, et saluti Ecclesiæ consulatur (3). Hæc sane, nisi totus fallor, potestatem coërcendi facinorosos, atque etiam è societate ejiciendi Ecclesiæ divino jure competentem manifesto indicant. Nec alia *Patrum* sententia fuit. Nam dum censuram divinam *Tertullianus* vocat (4), ex jure clavium *Cyprianus* (5), ex ligandi ac solvendi potestate *Augustinus* eam repetunt (6): nonne hoc ipso divino eam jure divinoque consilio Ecclesiæ tributam aperte confitentur? Vanam enim fore persæpe legum sacrarum obligationem (§. XLVI.), inefficax Ecclesiæ judicium (§. LVII.) pulchre video, nisi quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere *Dei* Ecclesiam (§. XXI.) instructos à *Christo* ea demus auctoritate, qua effici possit, ut decretis eorum ac judicatis obedientia præstetur, conservetur unitas, hæreses ac schismata cohibeantur, et contumaces redigantur ad obsequium.

Schol. Negat Bohmerus in laudata sæpe *diss. de confœderata christ. discipl. cap.* 2. his sacræ Scripturæ locis quidquam inesse ponderis ad eam, quam volumus, Ecclesiæ auctoritatem probandam. Negarunt ante illum Seldenus ac Lightfootus, quos suæ habet auctores sententiæ. Sed Bohmeri interpretationem accurate refellit Pfaffius *in originibus juris canonici pag.* 7. 19. 65.

(1) *II. Corinth. X.* 8. *XIII.* 10.
(2) *I Tim. V.* 20. *Tit. I.* 13. *II.* 15.
(3) *I. Corinth. cap. V.*
(4) *Apol. cap.* 39.
(5) *Epist.* 27.
(6) *Gratian. caus.* 24. *quæst.* 1. *can.* 6. *quæst.* 3. *can.* 1.

Digitized by Google

§. LXVII.

Quibus in Ecclesia competat.

Hinc porro illud quoque manifestum esse reor, ut clavium jus (§. XXXIV.), ita arguendi coërcendique potestatem non cœtui universo, sed iis præcipue à sapientissimo Fundatore mandatam esse, ad quos gubernandi populi sui auctoritatem voluit pertinere (§. XXI. seqq.). Etsi enim haud diffitear, eam primæ ætatis *Pauli*, ut videtur, exemplo (1) receptam fuisse disciplinam, ut in resecandis præcipue à sano corpore morbo infectis membris consilio Episcopi ac suffragatione non presbyterorum dumtaxat ac reliqui cleri, verum plebis etiam christianæ uterentur; ejusque disciplinæ *Cyprianum* aliquoties (2), *clerum* etiam *Romanum* in ea, quæ est ad *Cyprianum*, epistola (3) disertam injecisse mentionem non ignorem: potestatem tamen ipsam hujusque exercendæ facultatem ad Episcopos ecclesiarum eminenti quodam jure pertinuisse, res est *Patrum* traditione, atque observantia ipsa Christianorum adeo certa, ut nullus videatur ne suspicioni quidem relictus locus. Et vero nititur hæc observantia non ambiguo *Christi* præcepto de corrigendo privatim fratre, eoque, si Ecclesiam non audierit, prorsus vitando (§. LXVI.); cui continuo subjiciens, *Amen*, *amen dico vobis*, *quæcumque alligaveritis super terram*, *erunt ligata et in cœlis* (4), satis aperte innuit, *Apostolis* potissimum, et per hos futuris populi Christiani Rectoribus ejus rei curam auctoritatemque à *Servatore* fuisse impositam.

Schol. Ligandi enim et solvendi potestatem seu di-

(1) *Loc. cit.*
(2) *Epist.* 9. 57.
(3) *Epist.* 31.
(4) *Matth. loc. cit.*

Digitized by Google

mittendi retinendique peccata extraordinariam fuisse, et Apostolis propriam, quod Bohmerus *loc. cit.* contendebat, negant ingenue eruditissimi quique è Protestantium communione Theologi: Fechtius cum primis, cujus *in diss. de clav. ligant. et solv. sect.* 1. §. 14. hæc verba sunt: *Claves regni cœlorum in genere designant omnem sacri officii potestatem. Hæc potestas licet radicaliter penes totam Ecclesiam resideat, patet tamen, Salvatorem certas quasdam personas ordinasse, quæ potestatem hanc administrarent ::: Erant igitur inter ejusmodi Christi servos primi quidem et principes Apostoli, quibus claves cœli datæ fuere, non privative, ut loqui amant doctores, exclusis aliis conservis aut successoribus, sed cumulative, ita ut præter duodecim Christi discipulos ::: alii plures mediate vel immediate vocati ministri hac facultate fuerint instructi.* Scio quam contentiose Fechtium impugnaverit Gundlingius *in prælect. ad Cervinum lib.* 4. *tit.* 43. Sed Fechtii doctrinam suam ecclesiæ doctrinam esse asfirmavit intelligentior harum rerum Pfaffius *in arig. jur. canon. pag.* 20.

§. LXVIII.

Coercet Ecclesia pœnis tantum spiritualibus.

Potestatem autem puniendi ecclesiarum Præpositis (§. LXVII.) divino jure competere (§. LXVI.) quum dico, id vero *de spiritualibus pœnis* tantum, non *de civilibus* velim intelligi. Ut enim tota, quam a Christo habet, Ecclesiæ potestas mere spiritualis est (§. XXXV.), ita etiam spiritualibus tantum armis exercetur pœnisque, quæ soli divino jure ad Ecclesiam materiali gladio destitutam pertinent, ac bonis privant ab ejus dispensatione pendentibus. Præclare *Chrysostomus* (1): *Regi*, inquit,

(1) *Hom.* 4. *in illud Esaiæ*: vidi Dominum.

Digitized by Google

corpora *commissa sunt*, *sacerdoti* animæ: *Rex maculas corporum remittit*, *sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit. hic exhortatur: ille necessitate*, *hic libera voluntate: ille habet arma sensibilia*, *hic arma spiritualia.* Et in eamdem sententiam *S. Anselmus*: *Sunt*, ait (1), *et ministri sæculares à quibus temporalia*, *et spirituales à quibus debent tractari spiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus*, *spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit Regibus*, *quod ad stolam pertinet*, *sic nec Episcopus*, *quæ Regis sunt*, *exercere debet. Quod quia* Petrus, *qui figuram spiritualium gerit*, *materialem gladium quodammodo exercuit*, *dum auriculam servi amputavit*, *á* Domino *increpari meruit.* Publicum peccatorem indignum consortio fratrum pronuntiare jussit *Servator* (§. LXVI.), sed vim majorem non modo non indulsit, verum prohibuit etiam conceptis verbis, reprehendens acriter discipulos ignem è cœlo in Samaritanos, qui eum non receperunt, educere volentes: *Nescitis*, *cujus Spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere*, *sed salvare* (2). Quo ipse *Christus* aperte nos docere voluit, alienam esse à spiritu evangelii violentiam, quæ ad extorquendam religionem adhibetur. *Nihil tam voluntarium est*, *quam religio*, inquit Lactantius (3), *in qua si animus sacrificantis aversus est*, *jam sublata*, *jam nulla est.*

Schol. Conf. Du-Pin *de antiq. eccles. discipl. dissert. 7. cap. 1. §. 5.* Lactantii illum, quem descripsi, locum *in nullis se ejus scriptis invenire potuisse* scribit Jos. Ulheimer *in Comment. de potestate punitiva ecclesiastica et sæculari §. 35. pag. 17.* At exstat is tamen integer libro quinto divinarum institutionum capite vicesimo in editione, qua utor, *ann.* 1525. Quod quidem to-

(1) Auct. *enarrat. in Matth. cap. XXVI.* quæ Anselmo attribuuntur. Coloniæ Agrip. 1560.

(2) *Luc. IX.* 55. (3) *Div. inst. lib. 5. cap.* 20.

Digitized by Google

tum disertissimi scriptoris caput, vellem, *Licentiatus hic juris* semel atque iterum legat diligenter. Similis est viri istius oscitantia in loco Chrysostomi, opinationibus ejus permolesto. Verba Sancti Patris hæc sunt: *Neque enim possunt quilibet homines pari facilitate curari, ac pastor curat ovem. Hic enim opus perinde est ligare, ab alimento abigere, urere, secare; sed potestas medicinæ accipiendæ non penes illum est, qui remedium admovet, sed penes illum, qui morbo laborat. Hoc enim quum nosset admirandus ille vir, Corinthiis dicebat:* Non enim dominamur fidei vestræ, sed adjutores summus gaudii vestri. *II. Corinth. I. 23. Christianis enim* sacerdotibus *minime omnium licet lapsus peccantium vi corrigere. Exteri quidem judices facinerosos homines, qui secundum leges deliquerunt, magna cum auctoritate cohibent, ac vel invitos à moribus pristinis arcent: hic autem non vim adferre, sed suadere tantum oportet:::: Neque enim nobis facultas à legibus data est ad delinquentes coërcendos; ac ne, si data esset, haberemus ubi vim hujusmodi potentiamque exercere possemus, quum Christus eos æterna corona donet, non qui coacti, sed certo animi proposito à peccatis abstinent. Lib. 2. de Sacerd. cap. 3.* Quid ad hæc Ulheimerus? Ait se in operibus Sancti Chrysostomi hæc invenire nullibi potuisse, *licet diversas*, inquit, *eorum editiones non sine insigni labore evolverim ipse, atque idem ab aliis fieri curaverim:::: ut adeo hunc anonymi locum, quem sancto huic Patri adscribit, pro ipsius ingenti partu merito habeam.* Papæ!

§. LXIX.

Non etiam per se civilibus.

Et vero nihil prope magis contestatum est, quam in ea semper Ecclesiam christianam sententia fuisse, ut nul-

Digitized by Google

lam sibi crederet datam divinitus facultatem, qua ipsa per se jure quemquam posset vi adhibita ad obsequium compellere, inque eos, qui dicto parum audientes essent, corporalibus pœnis bonorumque temporalium privatione animadvertere. Docere, hortari, suadere, objurgare, movere gradu ecclesiastico, Sacramentorum usu arcere, et publicum peccatorem Christianorum communione indignum declarare, hoc sui esse muneris, sui juris censuit: quæ si omnia parum proficerent, gravioribusque remediis ad pacem tuendam arcendosque improbos opus esset, licere quidem sibi existimavit Principum ac Magistratuum implorare auctoritatem, qua, quorum ipsa non posset, frangeretur contumacia (1); sed ipsa sibi decernendæ pœnæ facultatem non sumebat (2). Diu post *Imperatorum* beneficio factum est, ut eo jure Episcopi monachorumque superiores ornarentur, non ad publicam exercendam *vindictam*, sed ad corrigendos paterna severitate filios (3), intra quem modum adhibitam castigationem non existimabant vel adversam lenitati Evangelii, vel pietati veræ inimicam (4). Non potest error metu corrigi, fateor; sed *erroris* causa sæpe, *contumaciæ* vero semper in voluntate posita est, quam interdum non infeliciter temperata castigatio emendat (5). Itaque habet Ecclesia potestatem à *Christo* sibi traditam coërcendi facinorosos mediis spiritualibus, habet jus paternæ castigationis, habet decernendæ pœnæ etiam corporalis facultatem summorum Principum beneficio tributam, sed ad modum legibus publicis constitutum exercendam. Quam si migravit ætas recentior, si beneficii dudum immemor alienam tamquam propriam sibi jurisdictionem arripuit, si hanc exercuit, non ut emendaret,

(1) *Bingham orig. eccles. lib. 16. cap. 2. §. 3.*
(2) *Tract. de potest. eccles. et civ. art. 1. prob. 4.*
(3) *Ayrman de Monast. cast. sect. 1. cap. 1.*
(4) *Barthel de eo, quod justum est ex lege div. cap. 11.*
(5) *Barthel loc. cit. §. 16. seqq.*

Digitized by Google

sed ut plecteret, idque suo arbitratu, non intra modum legibus canonibusque præstitutum: nonne æquum est, ut Principes ad eam judices ecclesiasticos moderationem revocent, quæ cum mente Evangelii omnem dominatum abhorrente, cum religionis ac virtutis non simulatæ natura, suaque ipsorum suprema potestate conjungi potest?

Schol. Haud ægre hinc æstimare unusquisque potest, quo genere pœnarum jure proprio Ecclesia uti possit, quo pro ea potestate, quam sibi creditam habet ab Imperantibus Christianis. Evidens est enim, nisi legibus id publicis cautum sit, jus eam non habere quemquam privandi *bonis*, *pœna pecuniaria* coërcendi, mulctandi *exilio* (quod non diffitetur ipse Pontifex *cap.* 10. *de jud.* Conf. Espen *part.* 3. *jur. eccles. tit.* 11. *cap.* 1.) carcere plectendi, aliisque ex eodem genere atrocioribus pœnis, de quarum rigore jam sæculo decimo quarto querelam ad Joannem Franciæ Regem delatam Fleurius narrat ad *ann.* 1351. Quid nostra ætate actum sit, docet Rauttenstrauch. *Inst. jur. eccles. publ.* §. 48. *seq.*

§. LXX.

Nullo modo capitali.

Si scholam audis, nullum est genus pœnæ, quo Ecclesia jure suo animadvertere non possit. Corpus, bona, famam, jura tam munerum quam successionum omnia illi subjicit. Nihil illa Principibus vult in acceptis referre. Nec mirum, quoniam et ipsos privari regnis posse Principes aperte docet. *Neque enim esset*, inquit Jo. de Dicastillo (1), *satis Ecclesiæ provisum, si careret potestate puniendi pœna temporali: ac proinde si aliquis* Princeps *defecit à fide, summus Pontifex illum privare regno, et alium substituere potest.* Et ne quid deesset ad doctrinæ istius absurditatem, exstitit *Ulhei-*

(1) *Tract. de censur. disput.* 1.

Digitized by Google

merus nuper, cui, *natura rerum spectata, Ecclesiæ quoque competere jus immittendi pœnam capitalem visum est* (1); *eodem jure in veteri testamento usos esse sacerdotes*: immemor fortasse illius, quod est à *Cypriano* in epistola ad *Pomponium* scriptum egregie: *Interfici* Deus *jussit sacerdotibus suis non obtemperantes, et judicibus à se ad tempus constitutis non obaudientes. Et tum quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritalis esse apud fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur* (2). Quod et *Augustinus* postea docuit in libro de fide et operibus (3): *Phinees Sacerdos*, inquiens, *adulteros simul inventos ferro ultore confixit, quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum est, esse faciendum hoc tempore, quum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.*

Schol. Ac ne quis exempla nobis opponat Pontificum hanc sibi auctoritatem vindicantium, adscribo Petri Damiani egregium prorsus responsum *lib.* 4. *epist.* 9. ad Older. Firman. Episcopum: *Sicut ipse* Dei Filius *cuncta mundi obstacula non per districti examinis ultionem, sed per invictam superavit inconcussæ patientiæ majestatem; ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel lædenti læsionibas respondere, præsertim quum inter regnum et sacerdotium propria cujusque distinguantur officia, ut et Rex armis utatur sæculi, et Sacerdos accingatur gladio spiritus, qui est verbum Dei:::: Si ergo pro fide, qua universalis vivit Ecclesia, nusquam ferrea corripi arma conceditur, quomodo pro terrenis ac transitoriis Ecclesiæ facultatibus loricatæ acies in gladios debacchantur? Porro sancti viri quum prævalent,*

(1) *Cit. diss.* §. 37. 38.
(2) *Epist.* 62. *edit. Baluz.*
(3) *Cap.* 2.

Digitized by Google

hæreticos, idolorumque cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis pro fide catholica perimi non refugiunt :::: Ad hæc si quis objiciat, bellicis usibus Leonem *se frequenter implicuisse Pontificem, verum tamen sanctum esse; dico quod sentio, quoniam nec* Petrus *ob hoc apostolicum obtinet principatum, quia negavit, nec* David *idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri invasit; quum mala et bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus judicari. Numquid hoc legitur vel egisse vel litteris docuisse* Gregorius, *qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum est feritate perpessus? Num* Ambrosius *bellum Arianis se suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur ecclesiastici cujuscumque negotii leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta concilii, ne quod gerendum est in tribunalibus judicum, vel ex sententia debet prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum.*

§. LXXI.

Maxima in Ecclesia pœna est excommunicatio.

Itaque summum coërcitionis genus, quo in suos alieno destituta præsidio jure uti Ecclesia potest, *excommunicatio* est, per quam *jure christianæ societatis* privamur (1). Quæ quidem ipsa pœnæ istius severitas facit, ut ei locus non sit in peccatis levioribus (2), verum in iis dumtaxat, quæ conjuncta cum scandalo pacem Ecclesiæ perturbant, et in publicum perniciosa sunt (3). Ac ne in his quidem summam hanc disciplinæ

(1) *Cap.* 10. *de jud. caus.* 24. *quæst.* 3. *can.* 17.
(2) *Caus.* 11. *quæst.* 3. *can.* 8. 41. 42.
(3) *Espen part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 7. 8.

Digitized by Google

severitatem adhibendam censebant majores nostri, si vel laterent (1), vel probata legitime non essent (2), si proposita animo ac decreta melius consilium impediit (3), si præter voluntatem vi majore extorta sint (4), levioribusve remediis locus esse possit (5), si denique socia criminis multitudo metusve schismatis, aut alterius cujusdam gravioris incommodi usum illius dissuadet (6). Unde intelligi potest, quam circumspecta morum censura esse debeat, dum de summis Principibus eorumque ministris ab Ecclesia arcendis agitur. Etsi enim de jure satis constet, nec hujus severitatis in eos exercitatæ melioribus etiam temporibus fortasse desint exempla (7); fieri vix umquam posse, ut telum isthoc in Principes conjiciatur sine ingenti tam reipublicæ quam Ecclesiæ ipsius perturbatione superiorum temporum memoria docet luculentissime.

Schol. Conf. Du-Pin *in diss.* 3. *de antiqua Eccl. discipl. pag.* 279. *seqq.* Auct. *tract. de potest. eccles. ac temporal. pag.* 13. *seqq.* Jos. Bingham *loc. cit. pag.* 145. *seqq.* quibus junge (est enim operæ pretium) vir. clar. de Riegger *Instit. jurispr. eccles. part.* 4. §. 581.

§. LXXII.

Quæ jure societatis sacræ privat.

Excommunicationem Christianorum *Seldenus* existimabat similem fuisse illi, quam inter Judæos *Apostolorum* temporibus obtinuisse à Rabbinis traditum est (8),

(1) *Caus.* 2. *quæst.* 1. *can.* 19.
(2) *Loc. cit. can.* 11. 18.
(3) *Concil. Neoc. can.* 4.
(4) *Concil. Ancyr. can.* 3.
(5) *Trident. sess.* 25. *cap.* 3.
(6) *Bingh. lib.* 16. *cap.* 3. §. 6. *seqq.*
(7) *Bingh. loc. cit.* §. 5.
(8) *Fixlmill. Exerc.* 2. *sect.* 3. §. 32. *seqq.*

Digitized by Google

civili nimirum, non sacrorum communione privantem. *Bohmerus* contra per illam sacrorum tolli communionem, non civilem contendebat, eamque in externa dumtaxat à cœtu fidelium separatione constitisse: quod posterius quidem adversum est *Tertulliano*, *Cypriano*, *Augustino*, ipso doctissimo viro non diffitente (1); etsi non eam esse Ecclesiæ potestatem iidem Patres docuerint quam sæpissime, ut ligare coram Deo quemquam possit, quem pura conscientia nullius anguit reum criminis (2). Nempe res hæc est. Divinam institutionem si spectes, hi quos indignos fratrum consortio Ecclesia declaravit, eo nobis loco habendi sunt, quo ethnici et publicani, quibuscum nulla publici cultus divini communio esse potest. *Itaque primus ac præcipuus, immo si stricte ac proprie loqui velimus, unicus excommunicationis effectus est privatio officiorum spiritualium*, inquit Du-Pinius (3), *non eorum, quæ jure naturali, gentium, aut civili debentur*. Ejusmodi quæ sunt, adeo negari excommunicatis non possunt, ut præstari etiam necessario debeant. Verum exiguo admodum tempore intra hos tam angustos limites constitit disciplina Christianorum ut communione in rebus sacris dumtaxat, non civili atque externa conversatione interdiceret. Nam quod ad officia attinet libera amicitiæ, mutui convictus, aliaque hujus generis; *licet non videantur jure divino prohibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in usu fuit hæc excommunicatis denegare* (4); tum ut peccatoribus incuteretur verecundia, aliosque exemplo suo terrerent; tum ut devitaretur contagio malorum, in quorum mores facile transformat arctior amicitia (5). Quare omnino repudianda est eorum sententia, qui hanc per-

(1) *Jur eccles. lib. 5. tit. 39. §. 19. 20.*
(2) *Espen loc. cit. cap. 6. §. 12. seqq.*
(3) *Cit. loc. pag. 293.*
(4) *Du-Pin loc. cit.*
(5) *Bingham lib. 16. cap. 2. §. 12.*

Digitized by Google

se censuræ ecclesiasticæ inesse vim statuunt, ut quæ quis non ab Ecclesia sed à civitate jura habet, eorum usu legitimo privet. Nam *quod postea inter Christianos excommunicati, nisi resipiscant, sint infames, intestabiles, ad quædam vitæ civilis officia inhabiles, id ex eo ortum est, quod Christiani Principes, quoad fieri potest, leges suas ad bonos mores atque evangelicam disciplinam aptent, non quod excommunicatio per se ullo temporali jure bonoque privet.* Bossuet *in defens. cler. gallic. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 22.

Schol. Omnem itaque sacræ potestatis modum prætergressus est Gregorius P. VII. quando omnes, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento obstricti sunt, apostolica auctoritate à juramento absolvit, et ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibuit apud Gratian. *caus.* 15. *quæst.* 6. *can.* 4. Conf. Bossuet *in defens. cleri gallic. lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 7. *seqq.* Natalis Alexander *in Hist. ecclesiast. sæc. XI. diss.* 2. *art.* 8. *seqq.* et *sæc. XVI. diss.* 6. *art.* 6. §. 5. Plura de excommunicatione ceterisque Ecclesiæ pœnis alibi. Unum hic moneo, negasse perperam Bohmerum *lib.* 3. *jur. eccles. Protest. tit.* 41. §. 43. minorem, quam vocant, excommunicationem ante Innocentium III. cognitam fuisse, ut docuit Bingham *lib.* 16. *cap.* 2. §. 7. *et* 8. Id autem omnino ferri vix potest, quod doctrinæ suæ testes Espenium laudet et Christ. Lupum. Quid? Espenius minorem excommunicationem olim receptam fuisse perhibet? Vide, si lubet, ejusdem capitis (1), ad quod Bohmerus provocat, §. 22. *et* 23. ac tum, si potes, cum Bohmero in §. 20. sentire Espenium existima. Conf. vir clariss. Plac. Fixlmillner *exerc.* 2. *sect.* 3. *pag.* 118. *seqq.*

(1) *Part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 4.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE IMPERIO SACRO.

§. LXXIII.

Est aliquod in Ecclesia imperium.

Esse aliquod in Ecclesia *Christi* imperium mihi quidem certum est. Enimvero potestatem illi à *Servatore* in ipsa institutione traditam (§. XXXIII.), cui jus inest ferendi leges (§. XLII.), et orta de negotiis sacris dissidia pro auctoritate componendi (§. LVII.) coërcendique pœnis, si qui decretis ejus rebusque judicatis obsequium detrectant adhibere (§. LXV.), imperium vocare quid vetat? quando ipse etiam *Apostolus* hoc ad eam designandam vocabulo usus est (1): et *Gregorius Nazianzenus* in oratione illa percelebri, qua minis Præfecti Cæsarei jacentes civium suorum animos erigere conabatur: *Quid vero*, ait, *vos Principes et Præfecti? .... Quid igitur dicitis? .... Nam vos quoque imperio meo ac throno* lex Christi *subjicit.* Imperium *enim et nos gerimus; addo etiam præstantius ac perfectius imperium.* Apte vero atque apposite imperium hoc *sacrum* est appellatum: nam et societas Christianorum, cui regendæ præest, sacrorum societas est, et sacer quoque finis, utpote in interna animarum salute positus (§. VI.).

Schol. Genus hoc loquendi ab usu *Scripturæ* alienum non esse, in qua *imperare* idem sæpe valet, quod

(1) *Ad Tit. cap. II. 15.* Adducit quoque Lackius ex Ignatii epistola ad Trallianos hæc verba: *quid aliud est Episcopus quam is, qui omni principatu et imperio superior est?* Ceterum non inveniuntur in vera et genuina epistola, sed in interpolata.

pascere, observat vir clar. Plac. Fixlmillner *exercit. 2. sect. 2. §. 23. pag. 81. seq.* Nec adversantur, quæ ajo, placitis philosophiæ novissime probatis. Gunnerus *in prælectionibus ad Dariesii Inst. jurispr. univers. §. 667. Jus*, ita is ait, *pertractandi ea, quæ suapte natura facultate pollent intellectiva aut alia ad certum quemdam præfinitumque finem, dicitur Principatus aut Imperium.* Jus itaque liberas Christianorum actiones dirigendi ad æternam felicitatem consequendam, non invito Gunnero, *imperium* ecclesiasticum vocari potest. Habet autem Ecclesia, qua societas est, jus determinandi ea, quæ pertinent ad finem sibi propositum obtinendum et promovendum: (Bohmer *in princ. jur. canon. §. 7.*) habet igitur et imperium. Rursus Ecclesia *jus habet adornandi cultum divinum tum ratione actuum sacrorum, tum ratione modi, temporis, loci; jus determinandi ea, quæ instar medii se habent ad eumdem finem promovendum; jus removendi impedimenta finis communis.* Bohmer. *loc. cit. §. 8.* Atqui vir clar. Henr. Schei Demantel *in libro de Regim jure ac ratione, cet. §. 61. imperium* in specie à *directorio* in hoc distare ait. Verba ejus sunt: *Is qui frœna regit imperii, aut potestate viget imperandi ex arbitrio, ut quæ in animo habet facile exsequatur; vel id tantum præstare potest, ut advigilet quo jam statuto leges ac jura serventur. Ens signa, ad quæ discernitur dominium seu imperium in specie à regimine seu à directorio.*

§. LXXIV.

Origo imperii sacri et objectum.

De *origine* imperii istius atque *objecto* nulla jam nobis esse potest disceptatio. Omnia quippe, è quibus componitur, jura divina ex institutione orta sunt (§. XLIII. LVII. LXVI.), iisdemque in rebus exercetur, in quibus

Digitized by Google

potestas clavium quæ tota spiritualis est (§. XXXV.), et in negotiis quæ salutem spectant, dirigendis versatur (§. XXXVIII.). Neque enim audiendi sunt nobis homines acuti illi quidem, sed interdum acuti plus æquo, qui res omnes ac negotia, maxime licet profana, imperio sacro *indirecte* saltem subjecta esse oportere præcipiunt, spiritualiumque in numero censenda, ubi ad finem supernaturalem referuntur. Quo commento nihil fingi ineptius potuit. Quid enim? an religio *Christi*, qua ad continendos in officio cives nullum validius esse vinculum boni omnes profitentur, in rebus profanis habenda est, quum ad rerum publicarum securitatem tuendam confertur? Quid est aliud cum ratione insanire, nisi hoc est? Nimirum placuit *Christo*, cui ordinandæ Ecclesiæ potestatem plenam dedit *Pater*, etsi in populo hebræo id obtinuit quandoque, ut genus rerum utrumque sacrarum et profanarum unius curæ gubernationique commissa essent, ea ita partiri, ut summis Principibus alterum, alterum Sacerdotibus commendaret. *Fuerint hæc*, inquit egregie *Gelasius P.* (1), *ante adventum* Christi, *ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges exsisterent, et pariter Sacerdotes :::: Sed quum ad verum ventum est eumdem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicavit :::: Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit ::: ut et Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret in cursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille re-*

(1) *De anath. vinc. tom.* 2. *conc. Hard. pag.* 929.

Digitized by Google

bus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus. Hæc ille.

Schol. Atqui hoc, inquiunt, ita est profecto, si aliud nihil deposcat necessitas. At si in quibusdam implexis temporum circumstantiis spirituale imperium Ecclesiæ sine jure in bona ac res temporales subsistere vix aut nullatenus possit, indubitatum nobis esse debet, quod ad finem sibi propositum, etsi spirituàlem, immo hoc ipsum, quia spiritualis, ac proinde superior est, imperium suum Ecclesia exerceri possit ac debeat etiam in temporalia; quum utique Christus, qui jus ad finem dedit, ad media necessaria jus negare minime potuerit. Anne vero etiam indubitatum? Vide, nec pigebit, Natalem Alexandrum *Hist. ecclesiast. sæc. XVI. dissert. 6.*

§. LXXV.

Omnes fideles huic imperio subsunt.

Huic Ecclesiæ summo imperio nemo non fidelium subest. Nemo hic vel pastorum vel ovium immunitate gaudet: ac ne is quidem, qui primum inter Christianos ac præcipuum locum obtinet, Romanus Pontifex. *Constanter dico*, ait *Sylvester P. II.* in epistola ad Episcopum Parisinum, *quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit, hic inquam Romanus Episcopus præcepto Dei est habendus sicut ethnicus et publicanus.* Considerate *Sylvester* Romanum quoque Antistitem clavium potestati subjectum esse adseverat, idque præcepto divino, secundum quod Ecclesiam non audiens monitus ligari etiam ab illa possit, non utique citra sententiam in eum legitime pronuntiatam. Eamdem subjectionem conceptis verbis professus est *Cœlestinus P. I.* in epistola ad Episcopos Illyrici, in qua *dominentur no-*

Digitized by Google

bis regulæ ait, *non regulis dominemur: simus subjecti canonibus.* Quorum exsequendorum officium nullam magis sedem decere *Gelasius* scribit, quam primam: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus, non aliquam magis exsequi sedem oportere, quam primam* (1). Quis *Gelasium* hæc talia et tam adseverate scribentem neget credidisse, haud minus se, quam alium quemquam è cœtu Christianorum Antistitem ad custodienda Ecclesiæ instituta obligatum esse? Quorum auctoritas quanta fuerit *Gregorio M.* hæc ejus verba indicant (2): *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor ::: Cunctas vero, quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt.* Et ne vos diu morer, ita *Innocentius*, ita *Leo M.*, ita *Julius I.*, ita ceteri demum Pontifices senserunt omnes, qui primis sæculis rei christianæ præfuerunt (3), quorum de se potestateque sua ingenuam ac moderatam confessionem dum expendo, eamque contendo cum studiis doctorum quorumdam junioris ætatis, sæpe illud venit in mentem *Card. à Turrecremata* præclare dictum: *Mirum est, quod sancti Pontifices loquantur moderate de potestate eis data, et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi æquiparare* Deo.

Schol. De qua re lectu omnino dignissima est Card. Contareni epistola Paulo III. inscripta. Non sum ego tam temere petulans, ut in horum censum referam Card. Orsium scriptorem eruditissimum; sed nescio tamen, an non humani aliquid passus sit, quando *in diss. de Ec-*

(1) *In epist. ad Episc. Card.* (2) *Epist. 25. lib. 1.*
(3) *Du-Pin diss. 6. §. 3. pag. 398.*

Digitized by Google

cles. monarch. forma pag. 634. veterum Romanorum Pontificum testimonia, qui se non violatores et infractores, sed custodes et exsecutores canonum profitentur, non alio spectare disputat, quam ut ostendant, Pontifices æque ac supremum quemque Principem, quum apostolicum thronum conscendunt, ad suum profiteantur officium pertinere custodire canones diuturna observantia consecratos, et ut ab omnibus observentur, vigilem curam impendere. Est hæc quidem haud dubia, eaque præcipua primatus illius pars, ut alibi doceo; at vereor tamen, ne dum nimium emollire interpretando veterum dicta conatur, et in suam detorquere, quam propugnare adgressus est sententiam, efficiat id, ut videantur dixisse nihil, saltem non pro eo tempore, quo scribebant. Gregorius M. in epist. 18. lib. 5. ad Joannem Constantinopolitanum: *Ego*, inquit, *quidquid facere humiliter debui, non omissi, sed si in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.* Nonne manifestum ex his est, majus esse atque superius Ecclesiæ tribunal tribunali Pontificis? Certe quidem manifestius, quam ut commentitia vindicis Anti-Febronii interpretatione vis ejus infringi possit. Conf. illum *part.* 2. *diss.* 4. *cap.* 6. §. 13.

§. LXXVI.

Differt ab imperio civili.

Qui omne ab Ecclesia imperium removere maxime student, eos video plerosque in hoc eniti potissimum, ut imperium, quale in rebus publicis obtinet, in Ecclesia nullum esse probent. Quod quidem probare est id, de quo nulla esse potest disceptatio. Quis enim non fateatur, quod est perspicue à *Christo* ipso traditum, quod *Patres* centies docuerunt, quod res ipsa et na-

Digitized by Google

tura christianæ societatis prorsus deposcit? Distat imperium sacrum à civili, non *origine* quidem, nam utrumque à *Deo* est; sed *fine* primum, quippe illud quidem æternam humani generis, hoc autem temporalem vitæ istius felicitatem spectat (§. VI.); tum *mediis*, quæ in Ecclesia *spiritualia* sunt et *lenia*, in civitate *corporalia*, et quum res efflagitet, *violenta* interdum, præcipue vero administrandi *modo*. Ecclesia volentes regit, non invitos; non terrore subjicit, sed doctrina; nec corpora custodit ad mortem, verum animas ad vitam servat (1). Abest ab illa omnis dominatus: abest *dominium*, quod vocant, et *potestas eminens* (2): imperium relinquitur *charitate* temperatum et *ministerio* simile ad exemplum *Servatoris*: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (3). Quod respiciebat *Origenes hom. 6. in Isai.* ajens: *Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ :::: Quia in Ecclesia servus sit omnium, qui præest, suadeat tibi ipse Salvator et Dominus, qui talis tantusque factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans.* Neque hæc tamen tanta imperii istius moderatio quidquam impedit, quo minus ut est ita, verum etiam imperium dici possit (§. LXXIII.).

Schol. I. Verum imperium non oritur, nisi dum omnes subditi voluntatem suam in unius voluntatem resolvunt (Canzius *in discipl. moral.* §. 1109.): qualis voluntatum resolutio in Ecclesia locum habere non potest, ut quæ ad colendam religionem inita est, in qua pacto subjici conscientia nequit. Breuning. *in prim. lin. jur. eccles. cap.* 1. Turpe enim est omne de religione pactum, per quod quis fidem suam in alterius hominis confert arbitrium. Virtutis, pietatis, religionis to-

(1) *Hieron. epist.* 34.
(2) *Luc. cap. XXII.* 26.
(3) *Luc. loc. cit.* 27. *II. Corinth. IV.* 5.

Digitized by Google

tius principium est honesti rerumque divinarum intelligentia, quæ suaderi quidem et docendo instrui potest, imperio ac vi extorqueri non potest. Nettelblatdt *in elem. jurispr. natural. part.* 2. *lib.* 3. §. 736. Hæc fere sunt, aut ad hæc reduci saltem possunt omnia, quæ objici imperio sacro cum aliqua specie possunt; de quibus vid. Gasp. Barthel *in tract. de eo, quod circa liber. exercit. relig. ex lege div. justum est cap.* 9. Schmidt *Inst. jur. eccles. cap.* 1. *sect.* 1. §. 1. *et* 2.

Schol. II. Nam quod alii ad verum imperium jus etiam vitæ necisque desiderant, id vero nescio quam recte fiat. *Dicant hi nobis* (verba sunt Zalweinii *tom.* 4. *princ. jur. eccles. pag.* 86.) *quare potestas imperii necessario jure gladii vitæ et necis debeat esse armata? Quid si Dominus Deus, qui solus est auctor vitæ et necis, sibi soli jus gladii reservasset, de cetero autem imperium aliis mediis compulsoriis armasset, et in imperantes cetera omnia jura alias majestati adnexa transtulisset? Dicant nobis, quare solum jus vitæ et necis potestatem imperii constituat? Si dicant, quod hoc solum sit medium, quo homines in suo officio contineri, et ipsa respublica contra injustos adgressores conservari valet et debet; replicamus, ne quidem hoc ipsum remedium esse sufficiens ad hominum malitiam coërcendam. An non dantur homines facinorosi, fures, raptores, homicidæ, qui ne quidem pœnam mortis curant? Deinde si id ad conservandum statum necessarium esse dicamus, omnes profecto respublicæ minores cessabunt esse respublicæ, quia necessario debent succumbere civitatibus majoribus præpotentia prævalentibus, hoc ipso quod efficacibus resistendi remediis destituantur. Suscipit ergo potestas imperii majus et minus, nec consistit in indivisibili. Quare ergo ille non deberet habere potestatem imperii, qui habet jus ferendi leges, dictandi pœnas, sola mortis pœna excepta, ejiciendi, proscribendi è communitate, omnibus-*

Digitized by Google

que juribus ad cives et membra reipublicæ pertinentibus privandi?

§. LXXVII.

Ecclesiam efficit societatem inæqualem.

Verum autem in Ecclesia sua imperium si *Christus* instituit, in aperto est, societatem Christianorum *rectoriam* esse et *inæqualem* societatem, in qua proinde sint alii quidem qui imperent, alii qui obediant (§. XIII. seq.). Ac *Bohmerus* sane non diffitetur, jam ævo *Cypriani* id moris passim fuisse receptum, ut Episcopi cœtibus suis præessent cum imperio. Tot enim sunt ac tam luculenta *S. Martyris* in hanc rem testimonia, ut in aliam sententiam nulla possint interpretatione commode detorqueri (§. XXXIV.). Verum reperit *Bohmerus*, quo à se auctoritatem *Cypriani* everti posse sperabat: scilicet ætate *Cypriani* id factum ait vir doctus ambitione Episcoporum, *ut schema politicum in ecclesias introducere sensim niterentur* (1). Sed non animadvertit *schema* hoc, quod ille *politicum* vocat perperam (§. LXVII.), multo *Cypriani* temporibus esse antiquius, atque ad ipsa Apostolorum tempora referri oportere (§. XXI.). Nihil enim apud *Irenæum*, *Ignatium Martyrem*, ac *Clementem Romanum*, imo ipsum *Apostolum* frequentius, quam *obediendum* esse Præpositis Ecclesiarum; illis nos *subditos* esse oportere; sine sententia eorum nihil in Ecclesia esse faciendum (2). Quæ si, quod *Bohmerus* non negat, in epistolis *Cypriani* potestatem Episcoporum verumque imperium designant: è duobus alterum fateatur necesse est, aut ipso jam *Apostolorum* ævo regimen à *Christo* institutum Episcoporum ambitione turpiter corruptum fuisse, quod absurdum est; aut

(1) *In obs. ad Petr de Marca lib. 1. cap. 3.*
(2) *Bingham orig. eccles. lib. 2.*

Digitized by Google

id ipsum, de quo testis est *Cyprianus*, imperium à *Christo* traditum *Apostolis* ad horum successores dimanasse. Nempe ut in Carthaginensi concilio III. de baptismo legitur: *Apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.*

Schol. I. Si quis potestatem initio in nuda sitam directione, sensim auctam, et jam ævo S. Cypriani in aliqu m imperii speciem abiisse dicat, *is profecto parum aut nihil dixerit*, inquit Zallwein, *tom. 4. princ. jur. eccles. pag. 95. Siquidem imperceptibile est, quod amplissima illa potestas Apostolis concessa, et sine ulla contradictione ab illis liberrime in usum deducta consultis sanioribus philosophiæ et jurisprudentiæ regulis, maxime si ea omnia, quæ Apostoli ordinarunt et disposuerunt, in unum veluti cumulum conjiciantur, fuerit mera potestas directiva omni imperio destituta; ubinam terrarum illa societas, in qua est tanta potestas directorum, ut ipsis solis, non consultis sociis jus æquale habentibus, omnia et singula ordinare, disponere, statuta condere, negotia publica privative administrare, et magistratus constituere liceat? In omnibus collegiis et societatibus æqualibus ex communi praxi, consuetudine, et observantia frequentiores habentur conventus, et in his communi suffragio tractantur negotia, deciduntur causæ, conduntur statuta, dispensantur officia, distribuuntur ministeria, et bono societatis ac sociorum omni meliori modo providetur, quin Directoribus præter jus relationis cum prærogativa voti informativi aliud jus competat, ut adeo ad ipsos nihil aliud pertinere videatur, quam ut ad conventus referant, proponenda proponant, negotia dirigant, decreta exsecutioni simpliciter mandent. Anne tale quid factum legimus à* Christo *et* Apostolis? *Non nisi semel, aut ad summum bis celebrarunt concilium, et ad id vel totum cœtum, vel seniores convocarunt, cetera omnia excluso cœtu privative disponunt.* (§. XXXVII. *in sch.*)

Digitized by Google

Schol. II. Amplius itaque aliquid, quam jus nudæ directionis in Apostolos collatum fuisse negari vix potest. Neque enim verum est, omne penitus imperium in sacris improbasse Christum *Luc. XXII.* 25. 26. dum ait: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. et qui præcessor est, sicut ministrator.* Quod non diffitetur præter alios è Protestantium communione Phil. Jac. Hartmannus *de rebus gest. christ. sub Apostolis cap.* 3. *Si* Christus *omnem imperantium ordinem in sua republica, id est, Ecclesia sublatum voluisset*, ait, *Apostoli hoc itidem placito stringerentur: sed cum gentilium solum mores in imperando damnavit, ordo imperantium æque ab Apostolis quam ab aliis fidelium geri potuit, modo non gentilem in modum civilique cum rigore gereretur, uti contextus ipse hanc mentem esse Servatoris legenti suggeret.* (§. LXXVI.) Quapropter nihil nobis hic locus obest, etsi demus id, quod scribit Canzius *in discipl. moral.* §. 2413. *Ecclesiam non contineri imperio stricte dicto, clarissimis verbis* Christus *significat Luc. XXII.* 25. 26. *ubi manifeste Apostolorum officium* imperio civili *opponitur.* Conf. Natalis Alexander *sæc. I. dissert.* 4.

§. LXXVIII.

Unde omnis Christianorum cœtus duplici potestate regitur.

Potest itaque societas christiana non inepte respublica ecclesiastica appellari (1), nec erat, cur ob eam rem tam acri multorum censura dignus putetur *Marcus de Dominis.* Neque repugnabo pertinacius, si quis sacram hanc rempublicam à civili sejungere, (§. LXXVI.) at-

(1) *Zallwein loc. cit. pag.* 86.

Digitized by Google

que ita duas constituere velit, alteram alteri in rebus sui juris minime subjectas, ut fieri video à plerisque disciplinæ istius magistris. Malim tamen ego ob eum, qui quoties civilis quædam societas ad *Christum* accedit, inter utramque intercedit mutuæ caritatis nexum arctissimamque fidei communionem, *unam* dicere rempublicam Christianorum, cui duo præsint Rectores suprema præditi potestate: quorum alter quietem publicam, alter felicitatem æternam humano generi procuret *Apostolo* testante (1). In hunc sensum inquit *concilium Parisinum sub Ludovico Pio* celebratum (2): *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut à sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus.* Et concilium *ad Theodonis-villam* ejusdem ætatis cap. 2.: *Quia bene nostis ab illo, qui solus merito et Rex et Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur.* Similiter *Isidorus Pelusiota* (3) jam dudum ante *ex sacerdotio et regno* ajebat *rerum administrationem conflatam esse. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc veluti corpus) ad unum tamen et eumdem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem.* De Marca *de conc. sac. et imp. lib. 2. cap. 2.* Hanc eruditissimi Præsulis sententiam non videtur penitus adsequutus *Hen. Bohmerus obs. 1. ad cit. loc.*

Schol. Ita ego Patrum ingenuam simplicitatem potius quam ætatis nostræ subtile acumen sequutus vitare mihi posse videbar perplexas illas et ambiguas plerumque disceptationes, quæ de duarum inter se rerum ublicarum habitu agitari solent; utra scilicet earum sit pn altera? quæ prior? quæ posterior? an altera alteri

(1) *I. Tim. cap. II. ad Ephes. cap. IV.*
(2) *Lib. 1. cap. 3. tom. 4. conc. Hard. pag. 1297.*
(3) *Lib. 3. epist. 249.*

Digitized by Google

subordinata? an sibi coordinatæ? Quæ quidem omnes sacram Ecclesiæ politiam nihil illustrant, obscurant autem et implicant permultum, occasionemque præbent hominibus ingenio validis comminiscendi multa, quæ difficilem quandoque ingenuis etiam viris veritatis explicationem efficiunt. Ingeniose hoc in argumento ludit Auctor *Anti-Febronii vindicati part.* 1. *diss.* 2. §. 13. ubi inter alia vultu prorsus ad docendum composito, *Ecclesiam, si rem adcurate perpendimus, statu antiquiorem esse* lectorem suum jubet credere. *Immo quæ post beatissimum* Christi *adventum constituta est Ecclesia, quum eadem sit, quæ præteritorum temporum Ecclesia,* (§. IV.) *ubi imperium aliquod regnumve ingreditur falsis religionibus deditum, nonnisi jus suum recuperat, quod idolorum cultus ac superstitio illi eripuerat. Nam quum homines vera religione deserta Ecclesiam; in cujus gremio societatem inierant, per summum nefas ejecerint, Ecclesia in regiones superstitioso cultu contaminatas invecta non tam illas adire dicenda est, quam eo redire, unde malitia hominum facta fuit extorris.* Scire ego pervelim, an eruditus vir hoc quoque à sanctis Patribus traditum acceperit?

§. LXXIX.

Quarum utraque summa est et independens.

Supremam utriusque Rectoris potestatem deliberate dixi justaque de causa: utraque enim *Deo* immediate, neutra alteri subjecta est in his, quæ sunt sui juris. Ita enim *Gelasius P.* in epistola ad *Anastasium Imp.* apertissime docuit (1): *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.* Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri

(1) *Tom.* 1. *concil. Hard. pag.* 893.

Digitized by Google

obnoxia est (1): quod ipsum etiam in libro de anathematis vinculo adfirmat luculentissime. (§. LXXIV.) *Gelasio* adsentitur prorsus *Symmachus* in apologetico adversus *Anastasium* (2): *Conferamus*, inquit, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas, postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat: itaque, ut non dicam superior, certe æqualis honor est.* Eadem disertissime tradit *Gregorius II.* in epistola ad *Leonem Isaurum* (3): *Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum, quoniam* Christi *sensum nos habemus. Alia est ecclesiasticarum ordinationum institutio, alia intelligentia sæcularium. In administrationibus sæculi quem habes sensum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non potes. Et ecce tibi scribo discrimina palatii et ecclesiarum, Regum et Pontificum. Agnosce illa et salvare, nec contentiosus esto :::: Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, et electiones in clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque sacerdotis opera. Sed unusquisque nostrum, in qua vocatione vocatus est à* Deo, *in ea maneat.* Nihil dici, nihil scribi explicatius potuit, ut intelligeretur, duas istas potestates ita muneribus, atque officiis à *Christo* disjunctas esse, ut ne temporalis potestas in temporalibus ecclesiasticæ, nec ecclesiastica in ecclesiasticis temporali ullo modo subjecta sit.

Schol. Neque ex eo, quod Reges *pro æterna vi-*

(1) *Espen in comment. ad Gratian. ad dist. 96. can. 10.*
(2) *Tom. 5. conc. Labb. pag. 426.*
(3) *Tom. 4. concil. Hard. pag. 15.*

Digitized by Google

ta Pontificibus indigent, ut ait Nicolaus P., *et Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus utuntur*, recte quis colligat, potestates ipsas sibi mutuo in ordine rerum vel spiritualium vel temporalium subditas esse, ut scite advertit Du-Pin *de antiqua Eccles. discipl. diss. 7. in præloq. Magnum* enim *discrimen est*, inquit, *inter ipsam potestatem et eum qui potestate utitur, ita ut fieri possit, ut is, qui potestate utitur, sit subjectus alteri potestati, quamvis potestas illa, quam exercet, nulli potestati subjecta sit*, cet. Quapropter inscienter Auctor *Anti-Febronii vindicati part. 1. pag.* 243. ex hoc quod Principes in rebus sacris formam Ecclesiæ sequi debeant, ut Pelusiota dicebat, et Gelasius *in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis judicare* scripserit, argumentum ducebat, ut ostenderet, civilem potestatem *ecclesiasticæ* in his, quæ spiritualia sunt, obnoxiam esse, ac proinde statum esse in Ecclesia: inscienter, inquam, hæc scripta sunt, perinde ac si ego, quod Nicolaus P. doceat Pontifices pro *cursu temporalium rerum imperialibus legibus uti*, et Chrysostomus omnes et Sacerdotes et Monachos sublimioribus potestatibus subditos esse tradiderit, hinc colligam, potestatem ecclesiasticam in temporalibus obnoxiam esse civili, atque adeo Ecclesiam esse in statu, non statum in Ecclesia. Non itaque falsæ sunt præconceptæ opiniones politicorum, ut vir hic politus scribit, sed falsa est et ridicula *Anti-Febronii* opinatio, quæ traditioni adeo non consentit, ut nulli rei magis adversetur.

§. LXXX.

Quod nihil repugnat.

Ergo duæ erunt, ais, eadem in republica summæ potestates? Ego vero ajo, inquam. Nam geminam eam-

Digitized by Google

que independentem in eodem genere potestatem ponere, habet aliquid repugnantiæ; duas tametsi summas in diverso genere, quid quæso habet adversum rectæ rationi? *Wolfius*, quem post *Leibnitium* in hac parte philosophiæ principem omnes, qui sapiunt, reputant; *Wolfius*, inquam, ipse hoc ingenue adserit: *Qui absurdum putant* ait (1), *jus circa sacra separatum ab imperio civili esse, quasi respublica in republica fingatur, judicium omnino præcipitant, nec absurditatem domonstrare valent. Sane in republica Hebræorum jus circa sacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem, et uterque jus suum habebat plena jure ac independenter ab alio. Ecquis vero dixerit, hoc institutum fuisse absurdum, etiamsi seponas, quod fuerit divinum.* Conf. Zalwein *tom.* 3. *quæst.* 2. *cap.* 5. §. 10. cujus tamen omnia nolim mea facere.

Schol. Sed ita *status* tamen *in statum inducetur*, quod imperio civili majestatique summorum imperantium vehementer adversum est. Ego vero adversi video prorsus nihil. Scio, qui isthoc catholicis objiciunt, quid sibi velint. Statum scilicet ecclesiasticum, in quo sacrorum Antistites præter religionem animarumque salutem rerum temporalium et negotiorum partem maximam suæ jurisdictioni subjiciunt; personas, res, bona ecclesiastica omnia imperio civili penitus subducunt; se suosque divino jure exemptos contendunt; jurium bonorumque civilium communione se excludi non ferunt, respuunt autem onerum tributorumque omne genus; postremo Reges etiam summos ac regna suæ potestati directe vel indirecte abnoxia esse volunt; Reges deponunt; regna dividunt: hunc inquam statum cum civili statu componi nullo modo posse contendunt, quod quidem faciunt æquo Jove, consentientibus è communione catholicorum doctissimis tam Theologis quam Jureconsultis. Sed hic status nec à Christo est institu-

(1) *Part.* 8. *jur. nat.* §. 955.

Digitized by Google

tus, nec à SS. Patribus traditus: neque talem umquam Ecclesia sibi Catholica vindicavit. Hunc temporum barbaries et ignavia peperit, aluit ignorantia, et scholasticorum otiosa sedulitas ornavit, renitentibus nullo non tempore doctissimis juxta ac sanctissimis hominibus. Status sacri, qualem Servator esse voluit, lex hæc est fundamentalis: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo.* Secundum quam relicta summis Principibus integra rerum profanarum cura et administratione, religionis tantum et salutis internæ negotia ad suum principatum revocat; imperium Regibus à Deo commissum ipsi etiam religionis Antistites tamquam subditi colunt, leges eorum veterantur, tributum pensitant, ceteraque faciunt omnia boni civis officia, à quibus nullam clementia Principis immunitatem est impertita. Talis autem quum sit Ecclesiæ christianæ status, quum *non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit* Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. *Item:* Quis constituit me judicem, aut divisorem super vos? *Et Paulus ait Phil. III.* Nostra politia in cœlis est. *II. Corinth. X.* Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destruendas cogitationes, cet, *ad hunc modum* quum Ecclesia nostra *utriusque potestatis officia discernit, utramque honore adficit, utramque* Dei *donum et beneficium esse agnoscit* (1); possuntne eum Protestantes repudiare, nisi majorum una suorum confessionem *de potestate ecclesiastica* Augustæ Vindelicorum editam repudiare velint, aut opiniones hominum vitiaque per summam injuriam Ecclesiæ ipsi catholicæ imputare?

(1) Verba sunt mutuata è *confess. Augustana* ann. 1530.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE FORMA IMPERII SACRI.

§. LXXXI.

De subjecto imperii sacri.

Ecclesiam *Christi* societatem esse rectoriam ac summa quidem potestate præditam, quæ usitato in sacris nomine *clavium potestas* dici solet, superiore capite demonstratum est. Restat, ut penes quem sacrum hoc ac supremum imperium resideat, et quæ sit canonica ecclesiastici regiminis formula, investigemus.

Schol. Imperii forma quum varia esse possit pro arbitratu eorum, qui in societates coëunt, tum vero triplex præcipue in rebus publicis usitata est, *monarchica* scilicet, *aristocratica* et *democratica*. Hæ dicuntur formæ *simplices*. Quæ ex tribus aut duabus saltem aliquid participant, *mixtæ* vocantur, cujusmodi est *monarchico-aristocratica*. Distat ab hac *monarchia limitata*, quæ non ex divisione jurium, sed ex eorum circumscripto legibus exercitio nascitur. Factum esset utique et rectius et utilius, si, qui de regimine sacro Ecclesiæ commentati sunt, exemplo sanctorum Patrum ab his vocum profanarum notionibus ad rerumpublicarum formam quam Ecclesiæ declarandam aptioribus abstinuissent. Quoniam tamen in usum semel receptæ sunt, utemur iis et nos, ea tamen cautione, ut non putemus, ullam ex his satis congruam esse ad eam exprimendam regiminis formulam, quam Christum Ecclesiæ suæ præscripsisse à Sanctis Patribus traditum est.

Digitized by Google

§. LXXXII.

Veterum quorumdam Theologorum sententia.

Clavium potestatem *Christus* in quem *proxime*, ut ajunt, atque *immediate* contulerit, non una est nec Theologorum nec Jurisperitorum sententia. Una veterum est quorumdam, sed paucorum *Turrecrematæ* fortasse (1) et *Jacobatii* solius (2), quibus *Apostolos* non à *Christo* immediate, sed à *Petro* potestatem, quam exercuisse leguntur, jurisdictionemque accepisse, totumque adeo imperium sacrum in unum *Petrum* collatum fuisse à *Domino*, serio creditum est. Hanc opinionem refellit *Bellarminus* (3) non immerito: est enim, si qua alia divinis litteris adversa liquidissime. *Apostolos* instituit *Christus* vocans discipulos suos, et eligens duodecim ex ipsis, *quos et Apostolos nominavit* (4). His ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (5): his ligandi peccata solvendique potestatem ipse Dominus impertitus est (6). Unde *Paulus* se Apostolum dicebat *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum* (7). Conf. *Tournellius*, *Colletus*, *Juenin*, et alii Theologi recentiores.

§. LXXXIII.

Quàm et quidam recentiores non prorsus deserunt.

Hæ itaque sententia prorsus repudianda est. Alios

(1) *Sum. de eccles. lib.* 2. *cap.* 54.
(2) *Lib.* 10. *de conc. art.* 7.
(3) *Lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 23.
(4) *Luc. cap. VI.* 13.
(5) *Joann. cap. XX.* 21.
(6) *Matth. cap. XVIII.* 18.
(7) *Gal. cap. I.*

Digitized by Google

quod nimis esset perspicue in sacris litteris traditum, quam ut posset in dubium revocari, potestatem clavium *Apostolis* ab ipso esse collatam *Servatore* (§. LXXXII.), aliam eamque geminam viam ingressos reperio. *P. Viator à Coculeo*, qui sub commentitio *Itali* nomine volumen epistolarum haud exile adversus *Just. Febronium* elucubravit, potestatem clavium, quam *Christus* immediata missione iis tradidit, non tam spectasse ait jurisdictionem fori *exterioris* quam *interioris* (1): quæ interpretatio à superiore illa *Jacobatii* refutata à *Bellarmino* haud multum distat, sed nec minus à veritate aliena. Ecquis enim *Sanctorum Patrum* in sacræ Scripturæ memoratis locis interpretandis hoc uspiam discrimine usus est, ut relicta Apostolis ceteris interna jurisdictione (§. LXIV.) uni *Petro* externam adjudicet? Imperii sacri vim summam in jure excommunicandi sitam esse ex *Matthæo* constat (§. LXXI.): id autem jus, quod procul omni dubio ad exterius forum pertinet, *Apostolis* à *Domino* immediate tributum esse ex iis manifestum est, quæ subjiciuntur proxime apud Evangelistam: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Quid *Paulus*? Ecclesias ordinat, Episcopos instituit, leges rogat, delicta coërcet. Quo jure? nempe jure apostolatus, quod se non ab homine, verum à *Jesu Christo* accepisse contra æmulos probat (§. LXXXIII.) An hæc quoque *Italo* huic Theologo interius magis quam exterius forum spectasse videntur?

§. LXXXIV.

Contra Patrum mentem.

Et quid tandem bonus vir hic *SS. Patribus* faciet illis, qui quas *Christus* dedit *Petro* principaliter, eas-

(1) *Pag.* 39.

Digitized by Google

dem claves *Apostolis* quoque ceteris datas fuisse disertissime tradiderunt? Innumera sunt in hanc sententiam eorumdem testimonia, ex quibus adscribo pauca. *Cyprianus* in libro de unitate Ecclesiæ: *Loquitur Dominus ad Petrum*: Tu es Petrus :::: Tibi dabo claves regni cœlorum :::: *Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, sicut misit me Pater, et ego mitto vos:::: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit* Petrus, *pari consortio prædiți honoris et potestatis.* Basilius (1): *Petre, inquit, amas me plus his? pasce oves meas. Et omnibus deinde pastoribus ac magistris eamdem tribuit potestatem.* Ambrosius (2): *Dominus dedit Apostolis peccata solvenda:::: Audi dicentem*: Tibi dabo claves regni cœlorum:::: *ut et solvas et liges:::: Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur.* Hieronymus (3): *At dicis: Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni cœlorum accipiant.* Similia Augustinus (4): *Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos pene ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit*: Tibi dabo claves regni cœlorum. *Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ :::. Num ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis*: Accipite Spiritum Sanctum, *et continuo*, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cujus tenueritis, tenebuntur. *Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, quæ*

(1) *Monast. Const. can.* 22.
(2) *Enarr. in Psal. XXXIII. n.* 37.
(3) *Lib* 1. *cont. Jovin. n.* 26.
(4) *Serm.* 295. *alias* 108. *de div. cap.* 2.

Digitized by Google

solveritis in terra, cet. Nonne perspicua sunt hæc in primis, minimeque ambigua? quid igitur? an potestas clavium tributa *Petro* forum dumtaxat internum spectabat? aut si hæc non, cur magis reliquorum Apostolorum?

Schol. Addi his possunt Cyrillus Alexand. *lib.* 12. *in Joann.* S. Leo *serm.* 3. *in annivers. assumpt. suæ.* Eucherius Lugd. *homil. de natali Petri.* Beda *lib.* 4. *cap.* 16. *in Matth.* aliique prope innumeri. Du-Pin *de antiq. Eccles. discipl. diss.* 6. §. 1.

§. LXXXV.

Bellarmini et aliorum sententia.

Peropportune his intercedit *Actor vindicati Anti-Febronii. Vere*, inquit ille (1), *Patres adserunt, claves fuisse non soli Petro, sed ceteris etiam Apostolis traditas; sed aliæ claves sunt, quas Petrus cum Apostolis accepit, aliæ quæ uni ipsi fuerunt concessæ.* Et ne diu nos suspensos teneat, *claves*, pergit, *Apostolis commissas fuisse claves extraordinariæ cujusdam potestatis, quæ in ipsis quemadmodum apostolatus, cui intrinseca fuit, extinguenda erat: contra ordinariæ potestatis in ipsos quoque Apostolos fuisse claves Petri, quæ proinde ad ejus successores, ac per hos etiam ad Apostolorum successores Episcopos in perpetuum universæ Ecclesiæ commodum permansuræ transmitti debuerunt. Nam vel ipsa*, ait porro, *episcopalis potestas, quæ extraordinariæ illius pars magna fuit, etsi cum Apostolis interire non debuit, sed semper in Ecclesia perstare* (*quo illa* Christi *spectant*: ecce ego vobiscum, *id est, cum illis quoque, qui post vos pastorum munere fungentur*, usque ad consummationem sæculi) *non tamen per Apostolos transferri debuit,*

(1) *Part.* 1. *diss.* 2. *cap.* 2. §. 6.

Digitized by Google

sed per Petrum, qui claves solus ceteris (*præter Apostolos*) communicandas accepit.

Schol. Quæ acuti vindicis dicta quo pertineant, facile quisque, qui vel modice in his est studiis versatus, potest animadvertere. Huc nempe, ut ex quo è vivis sublati sunt Apostoli, omnem regendæ Ecclesiæ potestatem à Christo perpetuam institutam penes unum Ecclesiæ Romanæ summum Antistitem constitisse lectoribus persuadeat: quæ jam dudum Baronii, Bellarmini, Charlasii aliorumque sententia fuit. Omne itaque, si his viris credimus, imperium sacrum Romano Præsuli à Christo traditum est: quandoquidem autem unus superesse cœtui universo non possit debite, cogitur ille quidem plures alios in partem vocare pastoralis sollicitudinis, sed potestate instruendos pro arbitratu arctiore laxioreve, eaque ab imperio summi Pastoris in omnibus dependente. Quo efficitur, ut quemadmodum unus est dumtaxat pastor, unus grex, ovile unum, unumque imperium; ita una etiam sit tantum totius orbis diœcesis, in qua sub uno summi Pontificis episcopatu ceteri omnes tamquam vicarii suam quisque dominici gregis portionem pascit. Atque, ut dicam paucis, in uno illo Romani Pontificis episcopatu stabiliendo hæc cuncta desinunt: quem, qua est ecclesia Romana modestia et in sorores suas æquitate, nec nunc sibi vindicat, et olim per Gregorium M. non sine quadam indignatione repulit. Conf. Petr. Collet. *Instit. theol. tom.* 2. *tract. de Eccles. quæst.* 5.

§. LXXXVI.

Refellitur ex Patribus.

Quæ quam procul absint à sincera Patrum traditione, nullo potest negotio demonstrari. Ac primum quidem, claves *Apostolis* commissas extraordinariæ cujus-

Digitized by Google

dam potestatis fuisse apostolico muneri intrinsecæ, ita ut cum eo extingui illam necesse fuerit, sine omni justa ratione contendit *Anti-Febronii* sui vindex. Contra autem eas omnibus, qui post deinde futuri essent Christiani populi rectores, in *Apostolis* traditas fuisse, communis omnium *Patrum* doctrina est. *Non hæc jacto*, inquit Cyprianus (1), *sed dolens profero; quum te judicem* Dei *constituas et* Christi, *qui dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit; et qui me audit, audit eum, qui me misit.* Ob eam rem S. Ambrosius (2): *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Et Nicolaus P. I. *Subiturus tamen ad cœlos hanc* (Ecclesiam) *Apostolis commendavit, ac per eos tamquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores et Episcopos ac Pontifices super ipsum constituit.* Ex quo quidem loco apertum est, quam vere scriptum sit à *P. Zacharia*, episcopalem potestatem cum *Apostolis* quidem extinctam non esse, nec tamen per *Apostolos* transferri ad successores eorumdem Episcopos, sed per *Petrum* unum debuisse. (§. LXXXV.) Quid enim? an Episcopi non sunt *Apostolorum* successores? Atqui hoc adfirmat *Cyprianus*, quum alibi sæpe, tum etiam in epistola ad Cornelium (3): *Laborare debemus, ut unitatem à Domino, et per Apostolos nobis successoribus traditam obtinere curemus.* Firmilianus (4): *Hostes unius Ecclesiæ catholicæ, in qua nos sumus, qui Apostolis successimus.* Concilium Carthaginense: *Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos*

(1) *Epist.* 69.
(2) *Lib.* 2. *de pœnit. c.* 2.
(3) *Epist.* 42.
(4) *Epist.* 75. *inter Cyprianicas.*

Digitized by Google

successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes. Hieronymus (1): *Ubicumque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii :::: ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii :::: omnes Apostolorum successores sunt.* Episcopi igitur, qui ex sententia *Cypriani, vice Christi* funguntur, et *ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione præponuntur, et vicarii Domini* sunt, ut *Sanctus Ambrosius* ait, quippe *ex Jesu Christi sententia per terræ terminos definiti*, quod *Ignatius Martyr* confirmat: Episcopi, inquam, potestatem episcopalem successionis jure, atque immediate à *Christo* principali Ecclesiæ suæ capite accipiunt, non per *Petrum* nec à Romano Pontifice, ut *Bellarminus* disputat. Quod etiam ex *Apostolo* non obscure colligas Episcopos admonente, attenderent sibi, atque universo gregi, in quo eos *Spiritus Sanctus* posuit Episcopos regere Ecclesiam *Dei* (2); etsi non nesciam, quantum operæ dederint *Vargas, Charlasius*, alii, ut testimonii hujus vim, si fieri posset, infringerent. Conf. *Anti Febr. vindic. part. 1. dissert. 3. cap. 2. §. 6.*

Schol. Juvat adscribere verba Theologi, quo nemo felicius Thomassino judice in hujus doctrinæ penetralia invasit. Ea hæc sunt: *Christum refert Episcopus, et vicem ejus in terris gerit, ut sæpe docent Sancti Patres. Sicut ergo* Christi *sacerdotium vim omnem sacerdotalem perfectamque pascendi gregis potestatem complectitur, ita ut varias in ea plenitudine et perfectione conclusas potestates distinguere quidem discernereque liceat, dissociare vero et inter se quodammodo discindere sit piaculum; non secus ac* Divinitatis *ipsius dotes perfectionesque ita distinguimus, ut non dividamus: sic episcopatus plenitudinem sacerdotii et pastoralis muneris perfectionem natura sua continet :::: Christus enim perfectionem sacerdotii à* Patre *accepit, quando ab*

(1) *Epist. 146. edit. Veron. alias 85.*
(2) *Act. XX.*

Digitized by Google

illo missus est: perfectionem deinde ejusdem sacerdotii seu episcopalem utramque potestatem simul dedit Apostolis, *quando misit eos, sicut ipse à* Patre *missus fuerat: eamdem denique perfectionem ipsi tradiderunt Episcopis, mittentes eos, sicut ipsi missi fuerunt à* Christo. Conf. Nov. et veter. Eccles. discip. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 14.

§. LXXXVII.

Objectionibus.

Atque hæc diu constans fuit omnium sententia. De episcopalis potestatis causa proxima in Romani Pontificis suprema in Ecclesia auctoritate quærenda, dogma est *priscis Ecclesiæ sæculis inauditum: decimo tertio sæculo invehi* demum *cœpit in theologiam, postquam scilicet philosophicis ratiocinationibus agere, quam Patres consulere plerumque maluerunt*, ut ait Illust. *Bossuetus* (1). Verum hæc unam probant scriptoris istius confidentiam, inquit *vindex Anti Febronii. Nonne ex* Patrum *traditioni nostram doctrinam invicte probavimus?* Optatum *protuli*, ait, de Petro scribentem (2): *Præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit.* Recitavi *S. Gregori Nysseni* verba (3): *Per Petrum Episcopis dedit clavem cœlestium honorum. Innocentium I.* produxi, quum in epistola ad Carthaginense concilium, tum in altera ad Patres Milevitanos: in quarum altera, *à Petro ipsum Episcopatum et totam auctoritatem nominis hujus emersisse* ait; in alterâ vero, *præsertim* inquit, *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coëpiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere.* Addidi Stephani La-

(1) *Lib.* 8. *cap.* 11.
(2) *Lib.* 7. *de schism. Donatist. contr. Parm.*
(3) *Adv. eos, qui cast. agr. fer.*

Digitized by Google

risæi verba in epistola ad Bonifacium II. *Quia Domino dicente tertio, amas me? pasce oves meas, tradidit prius vobis mandatum ostendens, et per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis ecclesiis condonavit.* Ac tandem *Leonem M.* adduxi tum in epistola decima, tum in sermone tertio de sui adsumptione ita ajentem: *Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Hæc certe, nisi in alienum omnino sensum detorquantur, illud ipsum significant, quo *S. Thomas* episcopalem jurisdictionem à Petro ejusque successoribus immediate proficisci denotavit, cum scripsit promissas *Petro* fuisse claves, *ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem* (1). Post hæc autem quid restat aliud quam ut cum *Joanne* Episcopo Revennate in epistola ad *Gregorium M.* (2), *Petri sedem universali Ecclesiæ sua jura transmittere*; et cum Rhemensis synodi Patribus (3) *auctoritatem Episcopis* per beatum Petrum *principem Apostolorum divinitus collatam* fateamur?

SCHOL. Ita P. Zacharia *part.* 1. *Anti-Febr. vind. dissert.* 3. *cap.* 2. §. 3. *pag.* 439.

§. LXXXVIII.

Respondetur.

Restat vero, atque illud in primis, quod valde vereor, ne si hæc nimis urgeant adversarii, illud consequatur, quod nimis confidenter *Jacobatius* disputabat, negat autem *Zacharia* (§. LXXXV.), me ipsos qui-

(1) *Lib.* 4. *cont. gent. cap.* 76.
(2) *Lib.* 3. *epist.* 57. *alias* 55.
(3) *Tom.* 6. *concil. Hard. pag.* 466.

Digitized by Google

dem sanctos *Christi* discipulos aliunde potestatem suam quam à *Petro* accepisse. (§. LXXXII.) Ut ne tamen, quam repudiant, consecutionem invitis obtrudam, ajo, omnibus his *Patrum* testimoniis plus non posse conficì, quam apostolatus æque ac episcopatus instituendi initium in *Petro* factum esse, seu ut *Syricius P.* (1) scribit: *Per Petrum et apostolatus et episcopatus in* Christo *cœpisse exordium*; et Cæsarius Arelatensis in epistola ad Symmachum: *A persona beati Petri Apostoli episcopatum sumsisse initium.* Quod quidem et verum est, et interpretationem efficit perspicuam ejus, quod ait Innocentius: *A Petro episcopatum omnemque auctoritatem ejus nominis emersisse* (2); nempe tunc, quando *Christus* illi personam Ecclesiæ gestanti claves regni cœlorum pollicitus est. Non enim ut præcipua ad *Petrum*, ita ad eum solum hæc promissio, verum ad omnes etiam reliquos *Christi* discipulos horumque in regenda Ecclesia successores pertinebat, *Augustino* docente (3): *Quum omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus:::: et ei dicitur: Tibi dabo claves:::: Cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tamquam personam gerens unitatis accepit.* Unde fit, ut quum Optatus *solum*, docet, Petrum *accepisse claves ceteris communicandas*, et *per Petrum Episcopis datas cœlestium bonorum claves* Gregorius Nyssenus: non is sit horum verborum sensus, quasi vel Apostoli auctoritatem suam à *Petro*, vel Episcopi à summo Pontifice habeant, quod utrumque traditioni adversum est (§. LXXXVI.); sed quod, ut *Ambrosius* explicate docet, dominicum gregem non solum tunc *beatus Petrus*, verum et Apostoli, et universum pastorum collegium, consensione tamen et charitate indivulsa cum capite suo, in quo comprehensi et

(1) *Epist. 5.*
(2) *Rauttenstr.* §. 406.
(3) *Tract.* 118. *in Joann.*

Digitized by Google

quasi complicati omnes erant, quando divina illum hac potestate ornavit *Christus*, pascendum susceperint (§. LXXXIV.).

Schol. Elegantissimus in rem meam est Leonis M. locus *in epist.* 14. * *Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præmineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluëret, et nihil usquam à suo capite dissideret.* Cujus unitatis conservationem à Domino per Apostolos omnibus Episcopis traditam Cyprianus commendat in epistola ad Cornelium P. his verbis: *Hoc vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem à Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Conf. Lud. Thomassinus *de veter. et nov. eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 50.

§. LXXXIX.

Episcopi potestatem suam quando adipiscuntur.

Quærit autem porro *Zacharia*, ne sola pugnet

* Editionis Balleriniorum, quorum lectionem sequuti sumus. Videantur ad hunc locum.

Digitized by Google

auctoritate, quandonam velimus Episcopos à *Christo* jurisdictionis potestate donari. *An in consecratione? at tum potestas quidem ordinis confertur*, inquit, *non jurisdictionis, quam ab electis et confirmatis Episcopis, licet non consecratis jure exerceri posse, superiore capite vidimus* (1). *Nisi forte adversarii velint tributam prius jurisdictionem iterum in consecratione conferri, quod inane figmentum esset ad declinandum, si fieri posset, hujus vim argumenti solummodo excogitatum :::: Aut quum eligitur quis et confirmatur in Episcopum, designari personam, cui* Deus *jurisdictionem ante episcopalem consecrationem impertiatur, quæ opinatio viam aperit absurdis figmentis* (2). Verum nihil his tot figmentis opus est. Ajo itaque, in consecratione potestate non tantum *ordinis*, sed et *jurisdictionis* Episcopos à *Christo* immediate donari. Leve enim est, et ex disciplina sumptum junioris ætatis (3), quod jurisdictionem Episcopi licet nondum consecrati jure exerceant confirmata electione. Vetus Ecclesia confirmationem non sejungebat à consecratione (4): muniis fungi jurisdictionis episcopalis, qui ordinem nondum esset adeptus, patiebatur neminem (5); non ignara scilicet, potestatem episcopalem, tametsi ad varia et multiplicia officia pertinentem, unam tamen esse, indivisam ac perfectam à *Christo* institutam, ut divelli in partes ac scindi non possit. Proinde jurisdictio, quam per confirmationem indipisci hodie dicuntur Episcopi, non est jurisdictio episcopali ordini à *Christo* ipso adnexa et hierarchica, quam sola tribuit consecratio, sed *vicaria* quædam et *administratoria*, qualem ipsa indicat confirmationis formula *Espenio* descripta *in jur. eccles. part.* 1. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 11.

(1) *Anti-Febr. vindic. part.* 1. *diss.* 3. *cap.* 1
(2) *Cap.* 2. §. 4.
(3) *Cap.* 15. *de elect.*
(4) *Espen part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 1.
(5) *Espen loc. cit. cap.* 4.

Digitized by Google

Schol. At si jurisdictio, inquies, divino jure adnexa est ordini episcopali, consequens est, ut et Episcopi titulares jurisdictionem habeant; ut jurisdictio Episcoporum restringi, adimi, ampliari non possit; ut ea privati valide tamen peragant omnia, perinde ac valide ordine suo funguntur. Hæc autem cuncta tam falsa sunt quam á canonibus Ecclesiæ aliena. Ita est profecto: sed tu vide sis Petr. Colletum *prælect. theolog. tom. 7. part. 2. tract. de ordin. cap. 4. pag. m. 354. seqq.* Rauttenstrauch. *Inst. jur. publ. eccles.* §. 408. *seqq.* et alios passim Theologos recentiores, Gallos præcipue, et Jurisconsultos Germaniæ.

§. XC.

An inter se quoad potestatem episcopalem differant?

Ita vero sequatur necesse est, inquit *Bellarminus*, ut Episcopi, sicut ordo est idem omnium, ita etiam jurisdictionis *æqualem* omnes potestatem acceperint, eamque non certis diœcesium limitibus circumscriptam, sed per universam Ecclesiam pertinentem, qualis *Apostolorum* fuit, quorum illi locum obtinent. Atqui hoc ita est profecto. Æqualem omnibus Episcopis à *Christo* datam fuisse potestatem, sicut æqualis (salva Petri prærogativa) data fuit *Apostolis* sanctorum Patrum testatissima doctrina est (1), quam post *Nic. de Cusa*, *Franc. de Victoria*, *Dom. Sotum*, *Card. Bellarminum* ipsum, aliosque veteres Theologos vehementer probant *Petr. de Marca* (2) *et Lud. Thomassinus* multis in locis apertissime. Ut paci mutuæ et populorum saluti consuleretur, amplitudo hæc potestatis ad diœceses singulas canonibus coarctata est quidem; verum *etsi*, inquit *Epiphanius* (3),

(1) *Vid. caus. 24. quæst. 1. can. 18.*
(2) *De sing. prim Petr. §. 4.*
(3) *In epist. ad Joann. Hierosolym.*

Digitized by Google

singuli ecclesiarum Episcopi habent sub se ecclesias, quibus curam videntur impendere, et nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Christi, *in qua nulla simulatio est.* Rationem *Cyprianus* dabit in epistola ad Stephanum (1), *copiosum corpus est Sacerdotum*, ajens, *concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, et gregem* Christi *lacerare et vastare tentaverit, subveniant ceteri:::: Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas* Christus *sanguine suo et passione quæsivit, colligere et fovere debemus.* Quocirca apte *unum esse episcopatum* dicebat (2), *cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Neque est, quod sibi de primatu metuat *Bellarminus*, quasi cum jurisdictione Episcoporum immediate à *Christo* accepta cohærere non possit: quam vanam suspicionem jam olim tertio Ecclesiæ sæculo proscripsit *S. Cyprianus.*

Schol. In eodem de unitate libro, dum sic ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: super hanc petram::: Tibi dabo claves:::: Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata:::: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Conf. Gasp. Juenin. *in comment. de sacram. diss. 9. quæst. 1. art. 3.*

(1) *Edit. Baluz. 67.*
(2) *Lib. de unit. Ecclesiæ.*

Digitized by Google

§. XCI.

Subjectum immediatum imperii sacri quodnam est?

Enimvero honoris istud auctoritatisque par consortium nihil impedit eam potestatis discretionem, quæ exsistit ex primatu: (§. LXXXVIII.) cujus quidem vis hæc est, ut etsi suam singuli Episcopi à *Christo* potestatem habeant immediate, eamque in parte dominici gregis sibi à *Spiritu Sancto* commissa in solidum exerceant; (§. XC.) cum quadam tamen ad primatum subordinatione, et in ea, quæ est catholicæ Ecclesiæ propria, (§. XII. XIII.) tum inter sese, tum etiam cum visibili corporis totius capite sancta communione exercere debeant (1). Hoc enim est, quod S. Hieronymus *ex æquo super omnes Apostolos Ecclesiæ fortitudinem solidari* ajebat (2); *unum* tamen *inter duodecim electum fuisse, ut schismatis tolleretur occasio*: seu *ut*, quod *Optatus* scribit (3), *in una cathedra Petri unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Atque hoc ipsum Episcoporum universum corpus per fidem et charitatem in suo capite conjunctum, ea est *unitas*, cui à *Domino* imperium à *Patre* sibi creditum immediate collatum fuisse *Augustinus* præ ceteris luculentius adseruit: *Has claves*, inquit, *non homo unus, sed* unitas *accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est.* Et alibi: *Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ*

(1) *De Marca, de sing. Prim. Petr.* §. 5. *seqq.*
(2) *Lib.* 1. *adv. Jovin. n.* 26.
(3) *Lib.* 2. *schism. Donat. contr. Parm.*

Digitized by Google

catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, quum Petro datæ sunt. Et quum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? pasce oves meas (1). Similia sunt alia his adeo multa ab eodem dicta *sancto Doctore*, adeo constanter, ut *Natalis Alexander inconcussum manere principium illud ex S. Scriptura et traditione acceptum, et à* S. Augustino *aperte, frequenter, perseveranter traditum, et inculcatum claves toti Ecclesiæ à* Christo *datas immediate ipsi collatam à sponso auctoritatem ligandi et solvendi, potestatem jurisdictionis in tota universitate Ecclesiæ principaliter residere* scripserit.

Schol. *In Hist. eccles. sæc. XV. et XVI. diss.* 8. *art.* 3. §. 53. à quo non dissentiunt Habertus et Tournelius, quorum ille *part.* 2. *de hierarch. eccles. cap.* 5. §. 5. *quæst.* 2. scripserat: *Potestas clavium data est Ecclesiæ, hoc est, Pontifici et Episcopis, et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri successorem.* Hic vero *de Eccles. quæst.* 5. *art.* 2. *Datæ sunt etiam immediate unitati, id est, omnibus Apostolis eorumque successoribus Episcopis.* Ad hanc sententiam accesserunt novissime viri clar. Schrodt. *Inst. jur. canon. lib.* 1. *tit.* 33. §. 749. et Rauttenstrauch *Inst. jur. publ. eccles.* §. 1. et 76. Monet autem uterque differre hanc, quam amplexi sunt, doctrinam ab ea, quæ Edm. Richeri esse dicitur in libello *de Eccles. et polit. potestate* tradita, ut qui Ecclesiam sumpserit, ait Schrodt, *pro tota multitudine fidelium*, cui jurisdictionem ecclesiasticam proprie atque essentialiter competere docuit. Eadem repetit Rauttenstrauch. Richerii manes nolim ego vindicare, sed hoc tamen, quod de Richerio hic dicitur, quam

(1) *De agone christiano n.* 32. Insignis præterea locus est *serm.* 149. *alias* 26. *de divers.* ubi S. Doctor pro in dubitato habet accepisse à Domino claves Paulum, Joannem, Jacobum, ceterosque Apostolos. Et concludit: *Quod uni* Petro *datum est, Ecclesiæ datum est.*

Digitized by Google

absit non à mente tantum, verum etiam ab eo ipso libello, sciunt omnes, qui eum legerunt. Ipse jam questus est Richerius nec uno loco adfinxisse sibi Vallium eam doctrinam, tamquam si docuisset, *claves datas etiam laicis, bajulis et cerdonibus.* Quam alienus ab hac doctrina vir ille fuerit, ipsa docere potest inscriptio capitis secundi, quæ hæc est: *Christus immediate et per se claves sive jurisdictionem ordini hierarchico contulit per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum, pag.* 3. Hoc autem quid aliud significare potest, quam quod ait Schrodtius, se Ecclesiam intelligere regitivam, quæ in Apostolis et Episcopis collective sumptis spectatur? quod quidem multo etiam lucidius apparet ex iis quæ scripsit *pag.* 4. in hæc verba: *Quando igitur missio vera et realis est collatio jurisdictionis auctore Apostolo ::: Christus autem omnes Apostolos atque discipulos, qui episcopalem et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue et collective misit, sicut à Patre suo, id est cum justa et spirituali auctoritate ad regendam Ecclesiam necessaria, missus fuerat: consurgit, totum ordinem hierarchicum, episcopali et sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate tamen atque subordinate, suam potestatem et jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam à* Christo *derivare.* Haud minus vel obscura sunt vel ambigua, quæ habet in fine demonstrationis secundi capitis, *pag.* 11: *Summa hujus disputationis est, ordinem hierarchicum collective sumptum claves cum sacerdotio Christi immediate habere à Domino.* Egone vero, quum hæc tam perspicue à Richerio tradita lego, mihi à quoquam sinam persuaderi, Ecclesiæ nomine ab illo non Ecclesiam regentem, quæ ex Apostolis et Episcopis collective sumptis constituitur, sed universam fidelium multitudinem acceptam fuisse? Ne, si Petavius quidem hoc testetur.

§. XCII.

Quæ forma imperii sacri?

Atque hinc æstimare nobis licet, opinor, quam ex iis, quæ nuper expositæ sunt, (§. LXXXI.) imperandi formis ecclesiasticum regimen proxime referat. Nam quum huic *Christus* non solum summum Pontificem, tametsi ampla quadam atque eminenti auctoritate præditum, (§. XXIII.) verum Episcopos etiam præfecerit immediate ornatos potestate, subordinata illa quidem, et intra diœcesium limites reducta, propria tamen et ordinaria: (§. LXXXVIII.) planissimum est, Ecclesiæ christianæ regimen nec *pure* esse *aristocraticum*, in quo primatus sacri potestas præter modum ac rationem deprimitur; nec *absolute monarchicum*, quippe quod et cum ordinaria ac propria Episcoporum divino jure competente auctoritate non cohæret, et praxi apostolicæ, multorumque sæculorum notissimæ cunctis observantiæ perspicue adversatur; sed esse *monarchicum aristocratice temperatum*, in quo primatialis dignitas ad conservandam unitatem divinitus instituta ita eminet, totiusque Ecclesiæ saluti curam ita impendit, ut de potestate ac dignitate Episcopis omnibus ac singulis à *Christo* in solidum commissa nihil penitus detrahatur.

Schol. I. Conf. Petrus de Marca *in dissert. de discrim. cleric. et laicor.* Nec si quis in rebus publicis gubernandis optimam contendat perfectissimamque regiminis formam absolute monarchicam, eamdem ego continuo cum Card. Orsio ad ecclesiasticam societatem transtulerim: non ob hoc tantum, quod alia civitatum, alia sit Ecclesiæ christianæ ratio: verum etiam quod hæc res omnis non tam ex philosophiæ humanæ placitis, ut ait doctissimus Rauttenstrauch. (§. LXXXII.) quam ex una Christi ceu institutoris Ecclesiæ suæ

Digitized by Google

voluntate metienda sit. Quæ quidem cujusmodi fuerit, non ex iis tantum liquet, quæ adhuc dicta sunt copiose, sed et in primis ex usu primitivæ Ecclesiæ tamquam voluntatis illius divinæ interprete omnium gravissimo. De quo vide Tournelium *tom.* 1. *curs. theolog. pag.* 544. Rauttenstrauch. *loc. cit.* §. 83. *seqq.*

Schol. II. Aristocratia vero, an monarchia prævaleat, si quis rogat, et si recte moneat laudatissimus Rauttenstrauch, nihil esse necesse omnia ad scholasticum loquendi modulum tam anxie exigere; neque vero rerumpublicarum quidquam intersit, utro modo res suas agant Prælati Ecclesiarum, modo suos se intra limites contineant: tamen si quis prima Ecclesiæ tempora cum iis comparet, quæ Gregorio VII. P. posteriora sunt, animadvertet is, opinor, temperatius olim multo, quam post deinde sacram Ecclesiæ monarchiam administratam fuisse. Conf. Joa. Mod. Pichler *systema regiminis ex Christi institutione* §. 14. *pag.* 45.

Digitized by Google

SECTIO II.

DE POTESTATE CIVILI

EJUSQUE AD ECCLESIAM HABITU.

CAPUT I.

DE POTESTATE CIVILI

IN SE SPECTATA.

§. XCIII.

Quid potestatis civilis nomine veniat?

Duæ sunt supremæ potestates, quæ unicuique Christianorum cœtui præsident, sacra et civilis (§. LXXVIII. LXXIX.) De illa diximus sectione superiore. Restat altera hoc nobis loco curatius evolvenda. *Civitatis* nomine etiam intelligo *hominum sui juris multitudinem, quæ sub communi quodam imperio in unam coit societatem causa securitatis.* Nulla igitur civitas est sine *imperio*, seu *jure actiones civium arbitrarias ad communem securitatem tam internam quam externam dirigendi*: quod jus etiam *majestas* appellatur, et *jura*, quæ imperio civili insunt, *majestatica*. Is, cui in civitate majestas competit, *imperans* dicitur.

Schol. De summo civitatis imperio, juribusque huic adnexis pro dignitate exponere, nec hujus loci est, nec consilii mei. Habet hæc disciplina magistros suos, à quibus qui volent (velle autem debent omnes, qui utiles se olim patriæ cives præstare cupiunt) eam disce-

Digitized by Google

re possunt. Quæ à studio nostro abesse omnino nequeunt doctrinæ istius dogmata, ea mihi dumtaxat animus est hoc loco prosequi, et sacrarum litterarum sanctorumque Patrum firmare auctoritate, ut intelligat junior ætas, vanas esse criminationes hominum, qui id sibi datum negotii solum putant, ut quæ nesciunt ipsi, aut privatæ rei studio capti aversantur, dum refellere non possunt, de novitate accusant, suspecta plerisque in rebus, ut fere ajunt, et ingrata maxime in causa religionis.

§. XCIV.

Civilem potestatem à Deo institutam probatur.

Ex ea, quam nuper instituimus duarum potestatum collatione, (§. LXXIX.) confici egregie possunt complura ad civilis imperii majestatem illustrandam peridonea. Atque hoc in primis, quod ipsa etiam naturalis ratio docet (1), civilem Regum potestatem perinde à *Deo* institutam esse ac spiritualem Pontificum. Quod principatus sint, ait *Chrysostomus* (2), *et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis divinæ esse sapientiæ dico. Ideo:::: dixit Apostolus*: Non est potestas nisi à *Deo*. Similiter *Isidorus Pelusiota*, *potestatem*, inquit (3), *hoc est, imperium et regnum à Deo formatum atque institutum esse profitendum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret.* In eamdem sententiam *Theodoretus Cyri Episcopus* (4): *Deus communis ordinis curam gerens hos quidem imperare, illos vero parere instituit, veluti quoddam*

(1) *Irenæus lib. 5. cap. 20. 24.*
(2) *Homil. 23. in epist. ad Rom.*
(3) *Lib. 2. epist. 216.*
(4) *In epist. ad Rom.*

Digitized by Google

frænum iis, qui injuste agunt, imperantium timorem incutiens. Adeo vero persuasum hoc sanctis Patribus fuit, ut eam plerique non institutam modo divino consilio, verum etiam conferri singulis tam piis quam impiis regibus, et crederent ipsi et docerent. Ut ceteros prætermittam, *Augustinus* hoc in libris de civitate Dei conceptis verbis adseruit (1): *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis:::: Qui Augusto imperium dedit, ipsi et Neroni; qui Vespasianis suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo: et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Juliano.* Non ineleganter itaque Tertullianus (2): *Inde est Imperator, unde et homo antequam Imperator, inde potestas illi, unde et spiritus.*

Schol. *Nolo ire per omnia veterum scripta*, inquit de Marca *de concord. sacerd. et imper. lib. 2. cap. 2. §. 2. ut rem apud illos certissimam probationibus inde haustis evincam adversus eas opiniones, quæ in* Aristotelis *officina conflatæ, magno studio etiam à Christianis arreptæ sunt, ut maximum discrimen ex eo capite constitueretur inter potestatem ecclesiasticam et regiam; quum illa ab ipso* Christo *per manus ordinationis conferatur Episcopis, qui antea suffragiis cleri et populi sunt electi; hæc autem à populis per suffragia in Principem electum transcribi dicatur. Par enim utrique ex hoc capite reverentia debetur; etsi spiritualis in se dignitate præcellat, et ejus origo conceptis verbis in Evangelio à* Christo *sancita sit: quia perinde in Reges singulos ac in Episcopos hæc auctoritas à* Deo *immediate derivatur.* Ego quidem de hoc mihi nolim à quoquam litem moveri: neque enim repugnabo vehementer, si quis *mediate* dumtaxat eam in

(1) *Lib. 5. cap. 21.*
(2) *Apol. cap. 30.*

Digitized by Google

Reges à Deo auctoritatem derivari contendat. Id moneo, vetustiorem multo Illustrissimi Præsulis sententiam esse, quam ut ad Ludovici Bavari tempora revocari possit, ut Bohmero placuit.

§. XCV.

Et solidam rerum temporalium administrationem illi demandatam.

Haud minus porro inde perspicuum est, humanarum rerum solidam administrationem regiæ huic potestati demandatam esse. Ut enim eorum, quæ sunt Ecclesiæ, curam Episcopis imposuit *Christus* (§. XXXVIII.) ita et omnia, quibus civilis societas eique proposita temporalis hominum salus continetur, Regibus à *Deo* ac Principibus commissa sunt. *Hæc auctoritas ita accipienda est*, inquit de Marca (1), *ut Reges in rebus humanis administrandis nec ipsius ecclesiasticæ potestatis consortium admittant, quæ ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere non possit.* In his vero administrandis, ut nullius alterius humanæ potestatis consortium admittunt, ita Deo soli subsunt Reges, soli illi reddituri olim rationes, quidquid gestum ab iis est, seu recte seu perperam. Quod etsi ipsa cuique propriæ vis rationis persuadere possit, juverit tamen *Patrum* firmare auctoritate eorum gratia, qui quum rationem omnem abjiciunt, hanc repudiare non audent. Itaque Tertullianus: *Sed etiam quod temperans majestatem Cæsaris infra* Deum, inquit (2), *magis illum commendo, cui soli subjicio: subjicio autem cui non adæquo. Sciunt* (3) *Imperatores quis illis dederit imperium:::: Sentiunt eum* Deum

(1) *Lib.* 2. *cap.* 2. §. 10.
(2) *Apol. cap.* 33. (3) *Cap.* 30.

Digitized by Google

esse solum, in cujus solius potestate sunt, *et à quo sunt secundi, post quem primi.* Et alio loco (1): *Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, et quidquid est, à Deo consequutum, et* solo Deo *minorem. Hoc et ipse volet: sic enim omnibus major est, dum* solo *vero* Deo *minor est.* Cui plane consentit Optatus Milevitanus (2): *Super Imperatorem*, inquiens, *non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* Unde vicem *Dei* agere eleganter dicitur *Hilario Diacono* in commentario epistolæ ad Romanos (3): *Sciant* (Christiani) *non esse se liberos, sed sub potestate degere: Principi enim suo*, qui vicem Dei agit, *subjiciuntur.* Ob hanc rationem David Rex soli se Deo peccasse ajebat (4). In cujus loci expositione Casiodorus *de populo* scribit: *Si quis erraverit, et* Deo *peccat et* Regi. *Nam quando Rex delinquit,* soli Deo *reus est: quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet. Merito ergo Rex* Deo *tantum se dicit peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere.*

Schol. Quæ etiam S. Ambrosii et ceterorum omnium interpretatio est. Vid. Du-Pin *antiq. Eccles. discipl. diss. 7. cap. 2. §. 2.* Scite igitur Gregorius Turonensis *lib. 5. Hist. Franc. cap. 19. Si quis de nobis,* inquit, *ò Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam?* Nam *quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt,* (scribit S. Ivo *epist. 171.*) *et Basilei, id est, fundamentum populi et caput existunt; si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis graviter exa-*

(1) *Lib. ad Scap. cap. 2.*
(2) *Lib. 3. cap. 3.*
(3) *Cap. 13.*
(4) *Psalm. L.*

Digitized by Google

sperandi, sed ubi Sacerdotum admonitionibus non adquieverint, divino judicio sunt reservandi.

§. XCVI.

In qua si delinquent, à solo Deo puniri possunt.

Ex hoc autem confectum esse plane arbitror, Regem in rebus publicis administrandis delinquentem pœna temporali adfici non posse, nisi à Deo solo, cujus solius judicio *sancti* eum *Patres* subjectum esse tradiderunt. (§. XCV.) Idem *Cassiodorus*, qui negavit in his terris quemquam esse, qui Regis possit admissa discutere, eumdem etiam à solo Deo puniri posse præcipit: *Quia Rex omnibus superior est, et à Deo solo puniendus.* Quod ipsum et *S. Ivo* adserit; nam quum Reges dixisset divino judicio reservandos, ubi sacerdotum admonitionibus non adquieverint, continuo subjicit: *Ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii.* Eamdem habet Otto Frisingensis in epistola ad Fridericum Imp. *Soli Reges utpote constituti supra leges divino examini reservati sæculi legibus non cohibentur. Unde est illud tam Regis quam Prophetæ: Tibi soli peccavi.* Quod ipsum Davidis dictum Innocentius III (1) in rem nostram ita est interpretatus: *Sic diceret manifestius; peccatum meum tibi soli relinquitur puniendum, eo quod non alium habeam superiorem, qui me possit punire, quum ipse sim Rex ... Aliud est in aliquem peccare, et aliud alicui: in aliquem peccat, qui committit in illum offensam: alicui peccat, qui ejus subjacet ultioni. Rex utique soli Deo, et ceteri vero et Deo peccant et Regi.* Ex quo loco in hunc sensum ab antiquis omnibus Ecclesiæ scriptoribus explicato manifestissimum est, in solius Dei esse potestate Reges, et ab eo solo acta horum

(1) *In Psalm. pœnit. IV.*

Digitized by Google

judicari, prava corrigi, ac pœnis temporalibus coërceri posse.

Schol. Nihil autem est, quod nonnulli hæc ad statum veteris legis ita pertinere contendunt, ut ad hunc legis novæ transferri minime debeat. Hoc, inquam, nihil est; *quippe sancti Patres*, ut recte observat Du-Pin, *ex hoc loco non tantum concludunt Reges Israël haud fuisse subditos Sacerdotibus judaicis, sed universim Reges nulli nisi Deo subjectos esse, quod et ipsum sonat scripturæ locus. Dum enim dicit* David, *se* soli Deo *peccare, satis indicat, regalem potestatem in causa esse, ut à* solo Deo *pendeat, non autem sacerdotii judaici imperfectionem:::: Nam quod nonnulli negantur rationem discriminis inter vetus et novum testamentum hanc esse, quod in antiquo fœdere regnum sacerdotale fuerit, in novo vero sacerdotium regale; puerile plane commentum est, quod refutatione non indiget. Nec enim verum est, aut Reges veteris legis fuisse Sacerdotes, aut Sacerdotes novæ legis esse Reges. Nec illud pertinet* B. Petri *dictum*: Vos autem estis regale sacerdotium, gens sancta: *quod de omnibus omnino Christianis dictum est. Diss. 7. cap. 2. §. 2.*

§. XCVII.

Non autem ab Ecclesia.

Errant itaque procul omni dubio tam illi, qui *majestatem* nescio quam *realem* commenti populo coërcendorum Regum potestatem faciunt, si qua in re delinquunt atrocius (1), quam hi etiam, qui à conciliorum quorumdam sanctionibus inducti (2), et factis paucorum Pontificum moti (3) eam Ecclesiæ auctoritatem obtrudunt,

(1) *Scheidemantel jus pub. part. 1. sect. 1. cap. 1. §. 65.*
(2) *Anti-Febr. vindicat. part. 1. diss. 2. cap. 5. §. 5.*
(3) *Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 8.*

Digitized by Google

ut non punire tantum Reges, verum regnis etiam exuere, et liberare subditos possit nexu, quo Principibus suis ac patriæ adstringuntur. Obtrudunt, inquam, invitæ ac reluctanti. Novit enim illa traditam sibi à *Christo* potestatem totam esse mere spiritualem, (§. XXXV.) animarum saluti procurandæ addictam, (§. XXXVIII.) non rerum humanarum administrationi, quam integram ac solidam Regibus à Deo commissam non ignorat. (§. XCV.) Novit illa porro, summos rerum publicarum Rectores, etsi fideles, Principes tamen esse majestate instructos soli Deo subjecta, (§. XCIV.) qua si abutantur, à Deo solo puniri possunt. (XCVI.) Novit denique imperium in se collatum esse imperium lene, non violentum, (§. LXXVI.) cujus vis summa in excommunicando sita est, (§. LXXI.) id est, spiritualium bonorum privatione, (§. LXXII.) non in adimendis iis, quæ quis non ab Ecclesia, sed à civitate obtinuit. Hæc, inquam, omnia et novit Ecclesia, et credit; et non tam verbis quam rebus ipsis et factis publice aperteque professa est. Cur igitur infamamus illam commentis nostris, quibus non indiget? Cur tam anxio studio propugnamus sententiam, quam omni retro antiquitati inauditam ævi medii calamitas illustri quidem, sed tristi ad memoriam exemplo primum consecravit? (1) an nihil nos movent tot mala? nihil fusus largiter humanus sanguis? nihil liberorum adversus parentes bella? (2) nihil structæ à fanaticis vitæ Principum insidiæ? nihil tot aliæ calamitates, quas hæc una opinatio peperit? Non sunt tam iniquus ego, ut impia hæc consectaria doctissimis adversæ sententiæ patronis probari censeam. Sed cum hæc non sine quodam horrore leguntur, cur non abjiciunt ratiocinia, cur tantopere confidunt factis quibusdam, quæ, ut alicubi *Natalis Alexander* ait, *ad parracidalem et impiam conclusio-*

(1) *Natal. Alexander sæc. XI. diss. 2. art. 9.*
(2) *Pereira diss. histor. de gestis ac scriptis Gregor. in Henr.*

Digitized by Google

nem vel invitos compellunt? Conf. Fleurius *diss.* 3. *ad Hist. eccl.* §. 18.

Schol. Non possum itaque, quin communem gallicani cleri de potestate ecclesiastica declarationem anno superioris sæculi octuagesimo secundo editam vehementer probem: *Reges scilicet et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati subjici, neque auctoritate clavium directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientia ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque doctrinam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam esse.* Quam doctrinam jam ante erudite propugnatam à Wilhelm. Barclajo *in lib. de potestate Papæ in temporalia Principum*, et Joanne Barclajo Wilhelmi filio *in vindiciis pro Regibus ac Principibus adversus Bellarminum*, egregie præ ceteris prosequutus est Illustrissimus Bossuetus Episcopus Meldensis quatuor libris prioribus immortalis operis, quod *defensionem declarationis cleri gallicani de ecclesiastica potestate* inscripsit. De eodem argumento præter Natalem Alexandrum locis præcipue nuper citatis permulta scitu dignissima congessit Anonymus Auctor libri: *Histoire du droit canonique tom.* 2. *cap.* 20. et *in diss.* eidem adnexa *sur le droit des Souverains.*

§. XCVIII.

Sancta est majestas civilis et inviolabilis, ex sacris litteris.

Adeo vero Reges moveri gradu suo regnisque spoliari non possunt, ut nefas sit Christiano adversus illos vi, vel religionis causa uti. Auctorem habeo doctrinæ istius ipsum *Apostolum Petrum*, qui, quum nos *sub-*

Digitized by Google

jectos esse jubet, *sive Regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis :::: quia sic est voluntas Dei ::: Servi*, ait (1), *subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et* Christus *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ac ne quis hoc de solis dictum dominis putet, *Augustinus* vetat, id ipsum de omnibus Regibus interpretans his verbis (2): *Ille forte impius est et iniquus, tu jam fidelis et justus: indignum est, ut justus et fidelis serviat iniquo et infideli :::: Quod autem dixi de domino et servo, hoc intelligite de potestatibus et Regibus, de omnibus culminibus hujus sæculi. Aliquando enim potestates bonæ sunt et timent Deum; aliquando non timent Deum.* Julianus *exstitit infidelis Imperator, exstitit apostata, iniquus et idololatra. Milites Christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam* Christi, *non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat. Si quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum, quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.* In eumdem sensum accepit D. Thomas (3): *Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis :::: Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos* Petrus, *non bonis tantum et mo-*

(1) *I. Petr. II.* 13. 18. (2) *In Psalm. CXXIV.*
(3) *In lib. ad Reg. Cypr. cap.* 6.

Digitized by Google

destis, verum etiam discolis dominis reverènter subditos esse :::: Unde quum multi Romani Imperatores fidem Christi *persequerentur tyrannice :::: non resistendo, sed mortem patienter et armati sustinentes pro* Christo *laudantur.*

Schol. Germanum hunc S. Thomæ fœtum esse erudite probat Echardus *in Bibl. Ordin. Prædicator. tom.* 1. *pag.* 337.

§. XCIX.

Exemplo Christianorum sub Imperatoribus ethnicis.

Nec ab hoc *Domini* præcepto aliena fuit veterum Christianorum consuetudo, optima illius interpres. Nam etsi pessimi interdum homines imperium obtinerent; nec deessent, qui liberandæ reipublicæ obtentu in eorum perniciem conjurabant: eo tamen semper erga crudelissimos etiam fidei persecutores obsequio fuerunt Christiani, ut nefas sibi ducerent, non dicam moliri quidquam in Principes suos, sed ne velle quidem male iis, quibus se Deus ipse subjecisset. *Iidem sumus Imperatoribus*, ait Tertullianus (1), *qui et vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id ne in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per* Deum *tantus est.* Idem in libro adversus Scapulam (2): *Christianus*, inquit, *nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à* Deo suo *constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit :::: Itaque et sacrificamus pro salute Imperatoris.* Unde quum sæpe Christiani læsæ majestatis rei agerentur ab

(1) *Apol. cap.* 36.
(2) *Cap.* 2.

Digitized by Google

inimicis, eam calumniam non *Tertullianus* modo (1), verum alii quoque ejus ætatis *Patres* tamquam à Christiana religione prorsus alienam summo studio repellebant, contestantes palam, nihil magis à Christianorum pietate abhorrere, quam esse quemquam Imperatori suo inimicum. *Jubet* enim *Scriptura sacra*, inquit Theophilus Antiochenus (2), *ut magistratibus et potestatibus subjiciamur, ac pro iis precemur, ut tranquillam et pacatam vitam agamus. Ac omnibus omnia reddere docet; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum: nec quidquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.*

Schol. *Quare Christianis veteribus* (Grotii verba sunt *de jure belli et pac. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 9.) *qui recentes ab Apostolorum et apostolicorum virorum disciplina eorum præscripta et intelligebant melius et perfectius implebant, summam injuriam fieri puto ab iis, qui quo minus ipsi se defenderent in certissimo mortis periculo, vires putant illis, non animum defuisse. Imprudens certe et impudens fuisset* Tertullianus, *si apud Imperatores, qui ejus rei ignari esse non poterant, ita confidenter ausus esset mentiri.* (Apol. cap. 37.) *Si enim hostes et apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomani ipsique Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci et suarum finium gentes, quam totius orbis? Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere?* Vide etiam Cyprianum ad Demetr. et Augustin. *de civit. Dei lib.* 22.

(1) *Apol. cap.* 35.
(2) *Lib.* 3. *ad Autolycum.*

§. C.

Exemplo eorumdem sub Imperatoribus Christianis.

Quod si quis autem id factum ideo contendat, quod nulla esset Ecclesiæ in Cæsares ethnicos potestas; aliam vero esse rationem in his, qui fidem professi ejus se auctoritati, quam contemnunt, subjecerunt: etiam ego velim meminisse non tantum sub *Juliano*, *Constantio*, *Valente*, Gothorum, deinde Longobardorum Regibus Ecclesia Christiana quid egerit, verum etiam quid docuerit. *Juliano* nuper *Augustinum* testem audivimus qua fide Christiani milites servierint. (§. XCVIII.) Addo huic *Gregorium Nazianzenum* (1): *Ceterum*, inquit, *Dei clementia inhibitus atque repressus est Christianorumque lacrymis, quas multas multi perfuderunt, quod solum adversus persecutorem remedium est.* Solum, inquam, Ambrosio etiam teste (2): *Coactus repugnare non novi: dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt :::: Aliter nec debeo, nec possum resistere.* Itaque exploratum est, in ea semper Christianos omnes sententia fuisse, ut minime sibi licere crederent, obtentu religionis persecutionisve Regum se ac Principum imperio subducere, tametsi vires ad audendum perficiendumque non deessent. *Unum est*, inquit Gregorius M. (3), *quod breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.*

(1) *Orat. 1. in Julian.*
(2) *Orat. ad Auxent.*
(3) *Epist. ad Sabinian. lib. 4. epist. 47. alias lib. 7. epist. 1.*

Digitized by Google

Schol. Conf. Du-Pin *cit. diss. cap.* 2. §. 3. Insignis est canon 75. concilii Toletani IV. sub S. Isidoro celebrati *ann.* 633. quem, non possum, quin hoc loco adscribam: *Servemus erga* Deum *religionis cultum cum timore: custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem: non sit in nobis, sicut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat: nullus excitet mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum.* Addo quod S. Bernardus *in epist.* 170. ad Ludovicum Regem Gallorum scriptum reliquit: *Si totus orbis adversum me conjuraret, ut quidpiam moliretur adversus regiam majestatem; ego tamen Deum timerem, et ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro ubi legerim*: Qui potestati resistit, *Dei* ordinationi resistit.

§. LI.

In temporalibus imperio civili etiam clerici divino jure subsunt.

Quod obediendi præceptum Christianis diligenter *Petrus* commendabat (§. XCVIII.), idem Paulus aliquoties repetit, disertissime vero in epistola ad Romanos (1), quum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quo quidem præcepto non est dubium, clericos non minus quam laicos contineri. *Apostolo* enim non de potestate quacumque, verum ea, quæ Principum est, ac civilis, hoc loco sermonem esse

(1) *Cap.* 13.

ex contextu apertum est: et *Chrysostomus* præterea confirmat his verbis: *Duplex imperii genus. Alterum, cujus opera homines et populis et urbibus imperant, ac civilem hanc vitam moderantur, id quod* Paulus *indicabat, quum diceret*: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quod si autem potestati civili omnem animam subditam esse debere Apostolus docuit, quo tandem modo verum esse potest, clericos jure divino potestati regiæ non esse subjectos? *Joannes Chrysostomus* (1), quum eum *Apostoli* locum expenderet, *ostendit*, ait, *quod ista imperentur omnibus et Sacerdotibus et Monachis, non solum sæcularibus. Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit* Omnis anima::: *etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Quam interpretationem *Theodoretus*, *Theophilactus*, *Œcumenius* suam fecerunt; et tamquam nulli obnoxiam dubio probat *S. Bernardus* in epistola ad *Henricum* Archiepiscopum Senonensem (2): *Intelligitis quæ dico, cui honorem, honorem.* Omnis anima, *inquit*, potestatibus sublimioribus subdita sit. *Si omnis, et vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Habemus* enim, verba sunt *Gregorii Nazianzeni* (3), *inter ceteras nostræ doctrinæ leges hanc quoque cum primis laudandam, et à Spiritu::: præclare constitutam, qua ut servi heris suis, et uxores viris, et Ecclesia Christo, et discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare jubentur; ita nobis etiam præscribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui pendendo tributo simus obnoxii.* Quare audaeter dico, totam ecclesiasticam antiquitatem conspirare in eo, ut crederet doce-

(1) *Homil. 23. in epist. ad Rom.*
(2) *Tract. de moribus et officio Episc. alias epist. 42. cap. 8.*
(3) *In orat. 17. ad cives Nazianzenos.*

Digitized by Google

retque, præceptis apostolicis de obedientia Regibus ac Magistratibus debita, Sacerdotes non minus ac laicos, Antistites perinde ac minores clericos in his, quæ salutem civitatis respiciunt, comprehendi. Cujus judicii auctorem præter alios habes *Gelasium P.* in epistola ad *Anastasium Imp.* ubi *quantum*, ait, *ad ordinem publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites*; et Pelagium P. I. *Quum igitur* (1) *de pusillis ista forma præcepti sit, quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt?* Itaque vim inferri manifestam sententiæ *Apostoli* existimo ab his, qui eam sic interpretantur, ut omnes quidem sublimioribus potestatibus parere debere concedant, sed ita, ut clerici solis ecclesiasticis, laici vero etiam sæcularibus subjiciantur (2): cujus interpretationis veterem nego quemquam auctorem exstitisse.

Schol. Conf. Du-Pin *cit. diss. cap.* 3. §. *ult.* His omnibus rite expensis, nescio an interpretatio Innocentii III. relata *in cap.* 6. *de majorit. et obed.* vel menti Apostoli, vel traditioni SS. Patrum satis consentanea haberi possit. Ceterum cui animus est legere quidquid absurdi in hoc argumento commenta est turba scholasticorum, is adeat Plac. Bockhn *in comm. ad Decr. lib.* 2. *tit.* 3. §. 6.

§. CII.

Quod eos perinde ac laicos obligat in conscientia.

Subtilior est recentiorum quorumdam, sed eque Principum auctoritati inimica interpretatio, qua personas

(1) *Epist. ad Childebertum Regem, tom.* 3. *Conc. Hard. pag.* 331.
(2) *Berti de discipl. Theol. lib.* 20. *cap.* 17. *n.* 11.

Digitized by Google

ecclesiasticas statuunt legibus publicis teneri quidem *in foro externo*, non etiam *in interno*. Quod insulsum scholæ commentum quam sit etiam alienum à doctrina *Apostoli*, non propter *iram* tantum, verum etiam propter *conscientiam* nos Principibus subditos esse oportere præcipientis, præter alios docere potest *Augustinus* in hujus ipsius præcepti expositione. Verba in rem nostram hæc sunt (1): *Quod ait*, ideoque necessitate subditi estote, *ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideo et ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit*, necessitate subditi estote; *ne quis non integro animo et pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addicit dicens*, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: *id est, non solum ad iram evadendam, quod potest etiam simulate fieri, sed ut in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu* Domini tui.

Schol. Hoc præ aliis dictum est iis, qui tantopere *legibus* mere *pœnalibus* favent, ad quod genus permulti omnes pene politicas Regum ordinationes referunt: quæ doctrina qua ratione cum salute rerum publicarum conciliari possit, ego, dicam ingenue, non intelligo.

§. CIII.

Ecclesia bona temporalia possidet humano, non divino jure.

Quod de personis dictum est (§. CI), idem de bonis Ecclesiæ temporalibus perinde valet. Neque enim bonorum istorum alia ad rempublicam ratio putanda est

(1) *In exposit. quarumdam prop. ex epist. ad Rom. prop.* 74.

Digitized by Google

quam ceterorum, quæ ab aliis civibus possidentur. Inepte quidem *Marsilius Patavinus* temporalia bona possideri ab Ecclesia ejusque ministris divino esse juri adversum adseverabat (1): ipsum tamen divinum jus prædia illis possessionesque addixit nusquam. Unde *S. Augustinus* non divino illa, sed humano, id est, jure Imperatorum possideri adversus Donatistas disputat. *Quo jure*, inquit (2), *defendis villas* Ecclesiæ? *Divino, an humano? Respondeant: divinum jus in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino* Domini est terra, et plenitudo ejus:::: *Noli dicere, quid mihi et Regi? Quid tibi ergo et possessioni? per jura Regum possidentur possessiones.* Ob eam causam *S. Avitus* Viennensis Episcopus ajebat Regi suo (3): *Quidquid habet ecclesiola mea, immo omnes ecclesiæ nostræ, vestrum est.* Quam *ingenuam ac liberam professionem* vocat doctissimus *Sirmondus*, *Principibus accepta ferri bona Ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel, ut donare liceret, concesserunt.* Quo loco refellere eam possumus opinionem, quæ bona in Ecclesiam pie collata ita ejus effici propria, divinoque judicio subjici statuit, ut nullum Reipublicæ jus relinquat, quod in aliis civium bonis obtinet. Etsi enim non negem ego, quin bona hæc quadam ratione ipsi *Deo* oblata censeri possint, quod Patres sæpe, quod diplomata loquuntur, improbante licet audacter *Struckio* (4); abuti tamen veterum auctoritate certum est, qui *Dei* illud qualecumque dominium ita interpretantur, ut impium esse putent in ejus velle communionem venire supremos Principes, ut verissime docet *Card. de Cusa* (5): *Nullus*, inquiens, *sive ecclesiasticus, sive sæcularis se jure poterit excusare. Omnium*

(1) *Natalis Alexander sæc. XIV. cap. 3. art. 13.*
(2) *Tract. 6. in Joann. n. 25.* (3) *Epist. 39.*
(4) *Dissert. de sæcular. cap. 7. §. 23.*
(5) *Lochstein part. 1. cap. 2. §. 2.*

Digitized by Google

enim bonorum temporalium regimen ad publicam commoditatem prius debet ordinari. Unde Hugo *noster scribit, ipsas possessiones numquam à regia potestate posse elongari, quoniam si ratio postulaverit et necessitas, et illis ipsa potestas debeat patrocinium, et illæ ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regalis potestas patrocinium, quod dat alteri, non potest non dare: sic ipsa possessio ab ecclesiasticis personis obtenta, obsequium, quod regiæ potestati pro patrocinio debetur, jure negare non potest. Lib. 3. de conc. cathol. cap. 39.*

Schol. Ex hoc fundamento complura summorum imperantium jura, quæ in bonis ecclesiarum temporalibus et olim exercuerunt, et nunc quoque exercere possunt, planissima consecutione ducuntur. Hinc enim *ex. gr.* modum in adquirendis bonis Ecclesiæ ceterisque religiosis cœtibus præscribunt. Conf. Neubergers *tractatus de cœnobiorum reditibus*. Hinc administrationi bonorum ecclesiasticorum invigilant, rationes exigunt, dissipationi alienationibusque legibus præcavent. Le Bret. *Promptuarium pag.* 3. Hinc denique onera iis sine suo consensu imponi minime ferunt. De Marca *lib.* 6. *cap.* 12. §. 7. 12. 13. Lites et controversias de his ortas suæ jurisdictioni vindicant. Espen *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 4. Aliaque non pauca, quæ suis singula locis indicabimus ex legibus Patriæ nostræ illustraturi.

§. CIV.

Ac proinde secluso privilegio contributioni obnoxia sunt.

Ex hoc genere obsequii Regibus præstandi locum hiud postremum obtinet *contributio* ad communem patriæ securitatem seu firmandam seu propugnandam necessaria, cujus officii necessitatem ipsa per se recta docet ratio: *Christus* autem non modo verbis præci-

Digitized by Google

piens *dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo* (1), sed et facto ipso probavit, censum solvens, etsi nihil ipse possideret. *Si censum* Dei Filius *solvit*, ait S. Ambrosius (2), *quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Et ille censum solvit, qui nihil possidebat, tu autem, qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feres, quum sæculo sis misera cupiditate subjectus?* Et infra (3): *Si* Christus *non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia tua, et sequere* Christum. Ab hac lege bona ecclesiarum non eximit S. Ambrosius: *Si tributum Imperator petit*, inquit in oratione ad Auxentium, *non negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum.* In quo consentientem habet Urbanum P. apud Gratianum (4). *Quod in ore piscis invenitur, pro Petro et Domino dari jubetur; quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri ac defensare debent, Imperatoribus persolvendum est. Sanctum* quoque *Bernardum* in epistola ad Ducem Lotharingiæ ita scribentem (5): *Non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non dedignatus est solvere censum; parati et nos libenter quæ sunt Cæsaris Cæsari reddere, et vectigal cui vectigal, et tributum cui tributum*: docente *Paulo*: Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim *Dei* sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum,

(1) *Luc. XX.* 25.
(2) *Lib. 4. in Luc. n.* 78.
(3) *Lib. 9. n.* 35.
(4) *Caus.* 23. *quæst.* 8. *can.* 22.
(5) *Epist.* 119.

Digitized by Google

tributum; cui vectigal, vectigal (1). Ad quem locum respiciens *S. Augustinus* in libro de catechizandis rudibus: *Dicit apostolica doctrina*, ait, *ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: et ut reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; et cetera, quæ salvo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddimus, quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum ::: tributum solvere non dedignatus est.*

Schol. In hac tanta sanctorum Patrum consensione quis non miretur ingenium hominum, quibus nihil est tam perspicue, nihil tam candide à veteri traditum Ecclesia, quod in controversiam non adducant, quoties novis scholæ placitis adversum est? Specimen egregii acuminis non contemnendum in hoc ipso argumento dedit Anselm. Molitor *in tractatione theologica de ecclesiastica potestate in Ecclesia bona*, in qua tot sunt inanes viri argutiæ, tot subtilitates ad rem nihil facientes, quibus prolata à Lochstenio SS. Patrum pro jure Regum testimonia eludere conatus est, ut verear, ea omnia qui vacuo præjudiciis animo legerit, ne convenire in hunc virum dicat illa Sancti Hieronymi: *Dum amorem contradicendi sequeris, à quæstionum lineis excidisti, more quorumdam loquacium potius quam facundorum, qui quum disputare nesciant, litigare tamen non desinunt.*

§. CV.

Privilegium hoc humani est et civilis juris.

Ajo: *secluso privilegio*, quo tam personæ quam res ecclesiasticæ in his, quæ civilem earum statum respiciunt, Principum Christianorum munificentia gaudent. Neque enim profecto immunitas hæc divino è jure re-

(1) *Ad Rom. XIII. 6.*

Digitized by Google

peti potest, in quo adeo nullum ejus vestigium appareret, ut contra dissertissima exstent præcepta, quæ Christianos ex æquo omnes sublimioribus potestatibus subjiciunt. (§. CI.) Quod ipsum fatentur ingenue non hi tantum, qui ætati nostræ propiores sunt tam Jurisconsulti quam Theologi (1), verum superiores etiam scholastici post *D. Thomam* plerique omnes conceptis verbis docuerunt. Non magis prima ejus initia Pontificum conciliorumve decretis ferri possunt in acceptis, quod adfirmare nonnullis venit in mentem causæ, opinor, studio magis quam veri exquirendi. Nam quo jure id factum ab Ecclesia probari potest, ut civium partem nobiliorem, bonaque eorumdem imperio civili divina lege subjecta Principibus eriperet non consentientibus? Amabo te, potestne Rex quisquam Christianus constitutis Reipublicæ suæ ministris impertiri privilegium, quo hos in spiritualibus Episcoporum potestati minime fore deinceps obnoxios pronuntiet? An illi vero temporalium rerum solida administratio atque independens minus à Deo commissa est, quam spiritualium Episcopis à *Christo*? Dicamus igitur quod res est candide, immunitatem ecclesiasticam seu personis à foro et jurisdictione, seu rebus à tributorum onere concessam, gratiam esse Christianorum Principum, ratione quidem, ut tum erant mores, nixam probabili, sed tamen gratiam, quam nos decet, non ex jure canonico metiri, cujus in his rebus nulla vis esse potest, nisi quam receptio illi, aut usus conciliavit (§. XLIX.), nec ex antiquis Imperatorum constitutionibus, qui nullas nobis scribere leges poterant, sed ex legibus cujusque regni propriis: in quibus si quid est ambigui, si quid obscuri, non ipsa sibi jus dicat Ecclesia, quod inani scholasticorum dicterio continetur, sed ab eo est petenda interpretatio, penes quem imperii majestas residet.

Schol. Ecclesiasticæ immunitatis totius origo ex le-

(1) *Schmidt. Instit. jur. eccles. tom.* 2 § 395.

gibus Constantini M. petenda est, cujus pietatem imitati deinceps et Cæsares et Reges eamdem vel augebant vel restringebant, prout vel temporum vel locorum ratio exigere visa est: quod ex Thomassino *part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 33. *seqq.* et Binghamo *origin. eccles. lib.* 5. *cap.* 2. §. 5. *seqq.* constat. *Quando autem hoc ipsum*, inquit Rabardæus, *per leges et rescripta Christianorum Imperatorum, Regum et summorum Principum* indultum est, *fidentius summi Pontifices suis litteris et decretis illud diligenter observandum constituerunt: quo sensu debemus interpretari plures canones* Sylvestri, Pelagii, Gregorii, Gelasii, Leonis, Bonifacii *et aliorum Pontificum, tum etiam decreta antiquorum conciliorum, quæ* Gratianus *refert. Quod minus acute, meo judicio, considerarunt illi Doctores, qui ex his absolute probant, jure pontificio simpliciter absque permissu vel consensu Regum et Principum sæcularium hanc libertatem à foro et judicio sæcularium magistratuum clericis datam et stabilitam fuisse. Optat. Gall. sect.* 2. §. 3. *pag.* 21.

§. CVI.

Unde Principum supremæ potestati nihil præjudicat.

Quod autem exemptas à jurisdictione civili personas ecclesiasticas dicimus, id supremæ Regum potestati nihil detrahit. Apposite *Barclajus in tractatu de potestate Papæ* (1): *Principes fideles*, ait, *exemerunt quidem privilegiis suis clericos à potestate magistratuum inferiorum, sed non exemerunt à potestate sua. Nusquam enim memoriæ proditum est ab ullo scriptore, Principes, qui istis clericos privilegiis donarunt, ita eos à se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Im-*

(1) *Cap.* 35. §. 2.

Digitized by Google

mo nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt, clericos in regnis suis constitutos ea libertate donare, ne ipsorum potestati temporali subsint, neque delinquentes ab iis judicari et puniri possint, nisi eadem opera se principatu abdicent. Atque hæc insignis hallucinatio est multorum, qui juris publici destituti peritia, hæc personarum ecclesiasticarum privilegia ita interpretantur, ut iis ipsam Regum supremam potestatem circumscribi existiment, quo fiat, ut nefas sit vel his ipsis moliri quidquam adversus hanc, ut ajunt, jam dudum præscriptam libertatem. Neque esse, quod metuamus rebus publicis, *Bellarminus* censet. Cur ita? quia inquit, quos Rex non potest, coërcebunt Episcopi delinquentes clericos. Itane vero? *Quid hoc est aliud*, verissime *Barclajus* in vindiciis ajebat (1), *quam Episcopos ad regale culmen attollere? Cur enim, Bellarmine, instituti sunt Reges, aut quo illorum est potestas? nonne ut Reipublicæ moderentur, paci salutique civium prospiciant, pœnis et præmiis divisis in merentes? Atqui jam id muneris eripis Regibus, aut saltem cum Episcopis vis esse commune.* Demus, si placet, tantisper Episcopis hanc, quam volunt, clericos coërcendi potestatem; auferamus omnem Regibus: quam tutam censetis futuram regnorum securitatem, si solo decretalium jure eam nobis licebit defendere? *Judices sæculares* sub excommunicationis pœna cognitione atrocissimorum etiam criminum interdicit: ecclesiasticis vero, si *Milletoto* credi potest, non concedit umquam clericos brachio tradere sæculari, præterquam trium delictorum reos, inter quos nec *sicarii* sunt, nec *incendiarii*, nec *incestuosi*, nec *parricidæ*, nec *perduelles*, nec *proditores* patriæ, nec *Regicidæ*. Hæc igitur, atque alia his similia criminum monstra, quæ temporum infelicitas nonnumquam etiam in clero detegit, quomodo punientur? An in his quoque exemptioni locum dabimus, licet cum pernicie rerum publicarum?

(1) *Cap.* 35. §. 2.

Digitized by Google

Non putem: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* Dei *enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ita Paulus.

§. CVII.

Nec eminenti Reipublicæ in res Ecclesiasticorum dominio.

Similiter bona ecclesiarum temporalia, tametsi Principum beneficio immunia, eminenti Reipublicæ dominio subjecta esse minime desinunt (§. CIII.). Quare nihil immunitas hæc impedire potest, quo minus in publica totius populi necessitate exigere reges ex his quoque bonis subsidia jure valeant ad patriam ab interitu vindicandam. Anne inconsulto etiam, inquies, Romano Pontifice? Immo vero inconsulto etiam. Equidem non ignoro, quibus demum conditionibus *Innocentius P. III.* (1) subsidii istius contributionem fieri passus sit. Sed jam nuper præmonebam, nullam in hac quæstione decretalibus Pontificum vim ex se posse tribui (§. CV.); minime vero omnium illis, quæ supremæ Regum auctoritati derogant (§. XXXVIII.): in quarum numerum hanc, de qua agimus, *Innocentii* decretalem, retulit, nec immerito, *Lochstenius*. Eam enim etsi ego ita esse comparatam pulchre intelligam, ut consentanea sit prorsus omnimodæ, quam videtur affectasse clericorum à potestate civili independentiæ; cum veris tamen civilis juris principiis, quomodo illa possit cohærere, non adsequor. Nam quæ est, quæso, hæc justitia civilis, quæ tum demum necessitati omnibus communi clericos vult consulere, quum bona laicorum jam exhausta sunt

(1) *Cap. 7. de imm.*

Digitized by Google

penitus? Judicandi de reipublicæ necessitate potestas quomodo, salva majestate civili, Episcopo soli et clero tribui potest? An è bonis suæ potestati subjectis non licebit patriæ, quum extrema necessitas urget, partem redituum decerpere sine summi Pontificis consensu? Ita *Bonifacio P. VIII.* æquum olim visum est in constitutione sexto decretalium libro inserta (1). Sed quam ipse deinde haud ita multo post, *Philippi* victus constantia, et justis regni Franciæ querelis fatigatus, commoda interpretatione ita temperavit, ut agnosceret in Regibus potestatem à suo nutu minime pendentem.

Schol. Conf. Raynaldum *in annal. ad ann.* 1297. *n.* 50. Natalem Alexandrum *in Hist. eccles. sæc. XIII. diss.* 9. *art.* 1. et Carolum Fevret *de abusu lib.* 1. *cap.* 8. Pontificis consensum qui requirunt, ex iis video nonnullos ea niti ratione, quod bonorum ecclesiasticorum suprema cura, proque iis rite administrandis sollicitudo eidem incumbat. Vid. Auctor *vindic. jur. stat. eccles. circa temporalia part.* 1. *cap.* 2. §. 4. Nam quum *ex vi primatus* (ita ratiocinatur Schmidtius *loc. cit.* §. 298.) *necessaria fluat sollicitudo et cura omnium in orbe ecclesiarum; hæc vero profecto locum habeat in iis omnibus, per quæ status ecclesiarum deterior quacumque ratione fieri queat: negari non posse videtur Pontifici vi primatus curam quoque supremam horum bonorum incumbere.* Quod viri clarissimi ratiocinium quam recte se habeat, nunc non disputo: id ajo, quantacumque sit suprema istius vis inspectionis et curæ, eam tamen ita esse temperandam, ut cum summo et independente Regum jure conciliari possit, cui ut jam dictum est aliquoties, Christus instituendo Ecclesiam ordinandoque nihil penitus detractum voluit.

(1) *Cap.* 3. *de immunit.*

Digitized by Google

§. CVIII.

Espenio judice.

Ex his evidenter sequitur, verba sunt Espenii (1), *exemptionem clericorum à jurisdictione laica:::: non è jure naturali vel divino, neque ex ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum et Principum legibus profluere, et de ea statuendum ac judicandum. Unde nec de hac exemptione valet auctoritas decretalium, sive jus commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso vel tacito Principum consensu:::: Si igitur Principes intelligant exemptionem, qua hactenus gavisi sunt clerici, politico et recto Reipublicæ regimini plurimum officere:::: quidni possint, et subinde teneantur pro temporum et rerum circumstantiis hæc exemptionum privilegia sua auctoritate limitare atque circumscribere?* exemplo veterum Imperatorum ac Regum, quorum receptæ olim constitutiones ac piissimo cuique Antistiti probatæ leges hunc nobis certe præstare usum possunt, ut judicare ex iis liceat, quæ quantumve Regibus, salva dignitate sacerdotii, circa politiam ecclesiasticam potestas competat.

Schol. Quod de limitanda cleri immunitate post Espenium monui, id ne quis vertat in calumniam, de immunitate *ecclesiastica* intelligi volo, non de illa qua clerus Hungariæ æqua cum nobilibus conditione fruitur, de qua hoc mihi loco sermo non est. Ceterum de toto hoc immunitatis argumento unus instar omnium esse potest Lochsteinius in egregio prorsus opere Germanice scripto, cui titulus: *Fundamenta pro et contra ecclesiasticam immunitatem in re temporali.* Adde ejusdem *Responsa ad interrogationes circa ecclesiasticam immunitatem.*

(1) *Jur. eccles. univ. part.* 3. *tit.* 3. *cap.* 2. §. 4. n. 2.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE POTESTATE PRINCIPUM

CHRISTIANORUM CIRCA SACRA GENERATIM.

§. CIX.

Hoc jus quidam prorsus negant.

De potestate Principum Christianorum *circa sacra* varia est ac multiplex disceptatio. Quorumdam adeo delicata religio est, ut vel ipsum nomen ferant iniquius: jus circa sacra confundentes cum potestate ecclesiastica. Quo errore evenit, ut quidquid ejus juris Principibus vindicat intelligentior pars interpretum, id totum de potestate Ecclesiæ detrahi, et credant ipsi, et aliis conentur omni studio persuadere. Quod quidem omnino falsum est: differunt enim hæc duo toto genere. Quæ qui non discernunt, parum abest, quin de violata *Christi* religione arguant Principes etiam pietate minime simulata commendabiles, qui, quod ignorare non possent, quantum ad vitæ etiam civilis stabilem felicitatem interesit, pios esse subditos ac virtutis religionisque non fucatæ studiosos cultores, hanc imperatorii muneris sui curam præcipuam reputabant, nihil prætermittere, quod ad veræ pietatis cultum inter suos promovendum removendaque virtutis impedimenta pertinere posset. Hæc mens *Constantini M.* fuit, cujus exstat epistola apud *Eusebium* (1) post Nicænam synodum scripta, qua egregium promovendæ religionis studium testatus est: hæc *Theodosii*, hæc *Marciani*, hæc *Justiniani*, cujus permultæ supersunt in codice ac novellis de sacris rebus editæ constitutiones. Idemque porro semper piorum Regum in colenda tuendaque religione studium fuit: quæ

(1) *Lib. 3. de vita Const, cap. 17. seqq.*

Digitized by Google

etsi per se satis valida; si civilibus præterea muniatur legibus, amplior et solidior esse consuevit, ut sanctus Rex noster *Stephanus* in præfatione decreti significare velle videtur. Hoc sensu *Leonem M.* intelligo ita ajentem: *Res autem humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.*

Schol. Conf. Moser *in diss. de offic. Princip. circa religionem subditorum*, et Schmidt *in diss. de efficacia religionis in promovenda socialitate.*

§. CX.

Contra Patrum traditionem.

Ob eam causam in epistola ad *Leonem Aug.* scribit: *Debes, Imperator, incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam* (1). Quæ *sancti* quoque *Isidori* Hispalensis Episcopi piissimi juxta et doctissimi sententia fuit: *Principes*, inquit, *sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eam potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit: ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi* Deo *debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à* Christo *tuendam suscipiunt. Nam*

(1) *Leo M. epist.* 156. *edit. Ballerinianorum, alias* 75.

Digitized by Google

sive augeatur pax et disciplinæ Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Caus. 23. quæst. 5. can. 20.

§. CXI.

Augustino cum primis sæpe probatam.

Quo loco non obscure refellitur opinio eorum, qui de sola Ecclesiæ defensione ac præsidio citra ullam aliam de rebus sacris statuendi potestatem veteres Patres interpretantur: neque enim defensio, cujus illi meminerunt, eo spectat tantum, ut Ecclesiam ab externa vi securam præstent, sed huc etiam cum primis, ne domesticis vitiis corrupta à pristinis moribus et sincera majorum pietate uspiam deflectat. *In hoc*, ait *Augustinus* (1), *Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem.* Et alibi (2): *Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est: aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit* Ezechias *lucos ac templa idolorum, et illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerunt constructa, destruendo. Sicut serviuit* Josias, *talia et ipse faciendo ... In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea fa-*

(1) *Lib. 3. contr. Cresc. cap. 51.*
(2) *In epist. 185. alias 50. ad Bonifacium, cap. 5.*

ciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.

Schol. Exemplo Josiæ usus quoque est Carolus M. in præfatione Capitularis Aquisgranensis *ann.* 789. *Sed et aliqua*, inquit, *capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studuimus, sed magis benevolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo* S. Josias *regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare: non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda.*

§. CXII.

Variæ Protestantium sententiæ.

In hac tanta antiquitatis totius consensione, non caret temeritate negare velle potestatem, quam præterea tam *ratio recta* commendat, quam Deus ipse disertissimis oraculis comprobavit (1). De causa vero potestatis deque limitibus ejusque amplitudine dum quæritur, incredibile dictu est, quam sint multæ quamque discrepantes inter se doctissimorum virorum sententiæ. *Hobbes*, dempto hoc uno, *Jesum esse Christum Dei*, cetera omnia *credendi* capita negat esse *fidei*, sed *obedientiæ* (2). *Ulr. Huberus interna* religionis christianæ ab imperio civili libera pronuntiat, *externa* omnia eidem subjicit; ea nimirum, ut *Floërkius* interpretatus est (3), quæ divino jure determinata non sunt: qualia quum

(1) *Isai. XLIX.* 23. *LX.* 10. *II. Reg. VII.* 12. 13.
(2) *Huber. de jur. civit. lib.* 1. *sect.* 5. *cap.* 1.
(3) *Prænot. jur. eccles.* §. 12.

Digitized by Google

sint, *Thomasii* quidem judicio, admodum pauca (1); facili collectione intelligi potest, quam late huic viro, à quo nihil prope dissentit *Bohmerus* (2), jura Principum circa sacra pateant. Harum sententiarum nulla est, quam vel ipsi hodie Protestantes probent, ut actum agant, qui his refellendis operam impendunt.

Schol. Hobbesium confutabat Huberus; et, qui hobbesianum se nuper professus est, Rousseavium clar. Scheidemantel. Floërckio respondit Keuffel. Thomasii et Bohmeri systema data opera Kippingius convellere studuit, nec, ut ego judico, infeliciter.

§. CXIII.

Doctrina Pfaffii.

Abit in multis à superiorum doctrina *systema* recentiorum, cujus ferunt auctorem *Matthæum Pfaffium* Tubingensem olim theologum celebrem. Ejus sunt hæc præcipua capita: Ecclesiam esse *societatem in civitate erectam, eoque finem confœderatam, ut cultum divinum ad præcepta* Jesu Christi, *qui primus hanc societatem instituit, suisque juribus ornavit, agat.* Habere imperantes ut in alia omnia in civitate erecta collegia, ita etiam in hac religiosam societatem supremam inspectionem; *partim ne quid in iis agatur, quod saluti civitatis adversum esse possit, partim ut, quæ pro libertate subditis competente sic eriguntur, collegia et societates ab omnibus injuriis et insultibus defendantur, et juribus suis atque libertatibus, quas jure vel divino vel humano habent, uti et frui sine turbatione possint.* Ex hoc generali supremæ inspectionis officio emergere *jura sacrorum, jura in Ecclesiam, absoluta illa et generalia, quæ vocantur, magistratui politico*

(1) *Diss. de jur. princ. circ. adiaphora.*
(2) *De extravag. prim. eccles. statu* §. 20.

competentia. Quum autem nulla sit in civitate societas, quæ sua sibi jura non servet, suas sibi ipsi leges ordinemque ex pacto, conventione et confœderatione mutua non scribat, et his legibus vivere ab imperante non permittatur; *ita Ecclesiam hoc jus, hanc facultatem habere eo certius esse, quod hæc facultas ab* ipso Christo, *qui Ecclesiam fundavit, ipsi concessa sit, divino sic munita sigillo, quod violare sane et summis imperantibus nefas fuerit.* Ex hac divinitus data facultate *effluere jura sacrorum collegialia et specialia toti Ecclesiæ competentia, et in tota Ecclesia radicaliter residentia,* quæ proinde *exerceri à magistratu politico non possint de jure, nisi ex consensu vel præsumpto vel tacito Ecclesiæ.* Ecclesiam vero et posse partem jurium suorum in Principes transferre, et hoc ut faceret necesse etiam fuisse, ex quo numerus Christianorum ita excrevit, ut per totam civitatem diffussus, *jam cœtus ad horum jurium administrationem commode satis concurrere haud potuerit.* Ceterum jura ipsa nihilominus manere radicabiliter penes Ecclesiam, eaque adeo *juxta indolem Ecclesiæ, secundum jus divinum, Ecclesia et ipsa, quantum fieri potest, in partes vocata, ad salutem et ædificationem ejusdem exerceri et administrari debere:* quos limites si migrent summi Principes, nihil impedit, quo minus revocare jura, quæ commisit, Ecclesia recte possit. Ita eruditus hic theologus *in dissertatione de jure sacrorum absoluto et collegiali.*

Schol. Quid commodi hæc jurium in absoluta et collegialia divisio rebus Protestantium adferre possit, ipse in fine dissertationis enarrat copiosius. Restabat, ut quæ jura sacrorum sint *absoluta* et *majestatica*, quæ collegialia, dilucide exponeretur. Sed in his definiendis variant scriptores Protestantium etiam novissimi, quod facile apparet, si quis Moshemium, Pertchium, Floërckium, Wiesenhaverum, Georg. Lud. Bohmerum

Digitized by Google

conferre volet. Conf. Grebner *in Germ. sacr. art.* 4. *pag.* 70. *seqq.*

§. CXIV.

Fundamentum juris circa sacra ex sententia Catholicorum.

Non ii sumus nos; qui, quod objici Ecclesiæ nostræ frequenter solet, alienam penitus ab imperio civili curam sacrorum existimemus, (§. CIX. seqq.) aut iis Majestatem juribus privare conemur, quæ illi hanc ipsam ob curam competere necesse est: (§. CXI.) quam criminationem (licet enim hoc nomine compellare) refellunt satis egregie multorum de hoc argumento lucubrationes. Disceptationi obnoxia inter nos sunt eadem, de quibus aut magis inter se Protestantes consentiunt. Capita disceptationis duo sunt præcipua: unum de *fundamento* juris circa sacra; alterum de hujus *limitibus*. De posteriore deinde exponetur. Fundamentum potestatis circa sacra, sunt è nostris pauci quidam, maxime theologi, qui in privilegio quærunt à Præsulibus ecclesiarum summis Principibus concesso propter insignia multorum in rem christianam merita. Nam hi quum pro certo reciperent explorataque, nullas esse omnino Regum ac Principum in iis rebus dirigendis partes, quæ ullo modo religionem spectant; atque ob id ad injuriam Ecclesiæ libertatemque servitutem pertinere existimarent, si quæ olim à piissimis Imperatoribus gesta historia sacra tradidit memoriæ, *jure proprio* non ex *mera* Pontificum *indulgentia* acta fuisse statuamus; pronum fuit eo delabi, ut illa omnia indulgente ac connivente prudenter Ecclesia gesta esse crederent. Quæ quidem *conniventia* usu tot sæculorum firmata vim nacta sit *privilegii*, quo tuti Principes Christiani multarum rerum potestatem sibi non injuste vindicent, quam

Digitized by Google

usurpare, remoto privilegio, sine summo scelere nequeant. *Non audeo damnare usum talium privilegiorum*, inquit Suarez (1), *sed hoc apostolicæ Sedi remitto. Nam etiam Card. Bellarminus tap. 35. contra Barclajum, quum ille diceret esse in Gallia quædam delicta gravia, quæ privilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici privilegiata, quia privilegio Sedis apostolicæ indultum est Regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut illam non improbant Julius Clarus et Aufrerius, quos allegat.*

Schol. Quod de privilegiatis in Gallia delictis hic Suarez ex Bellarmino docet, id quidem falsum est. *Dicis privilegiata crimina vocari in Gallia*, ait Barclajus in vindiciis, *de quibus clerici apud regios Judices accusari Papa indulsit. Nihil minus. Neque ullam invenies sanctionem, qua id privilegii in clericos Regibus rebusque publicis Papa concesserit: ut facile judices, non id ordinariæ jurisdictionis Regibus à Papa tributum, qui olim utebantur omni in clericos potestate; sed ipsorum voluntate servatum, qui de suo jure, quod libuit, remiserunt, quod libuit, tenuerunt. Sed et nuper doctissimus* Milletotus *eleganti illo tractatu, quem scripsit* De delicto communi et casu privilegiato, *rite ostendit, privilegia clericorum orta à Regibus; ideoque crimina, ob quæ accusantur in foro civili, vocanda proprie delicta communia, quia communi jure de illis cognoscit Magistratus; quæ vero ad Episcopum remittuntur, privilegiata esse dicenda, scilicet quia Regum privilegio indulgetur Episcopis, ut de iis casibus cognoscant et judicent.*

(1) *Lib. 4. defens. fid. cap. 34. n. 29. alias 31.*

Digitized by Google

§. CXV.

Est ipsum summum imperium.

Sed horum quidem jam dudum explosa sententia est. Norum enim sapientiores civilium jurium magistri, jura Principum circa sacra omnibus communia (nam de juribus speciali titulo quæsitis hic non agimus) si qua sunt, ea non posse aliunde, quam ex fine civilis societatis hujusque regendæ officio derivati. Cujusmodi jura, quum imperio civitatis contineantur, manifestum est, jura circa sacra ad Majestatem referri oportere; eaque proinde non commentitio cuidam Sedis apostolicæ privilegio, sed fundamento inniti divinitus constituto. Quod, ut omnibus est summis Principibus commune, ita nulla vi humana convelli potest. (§. CX. seqq.) *Theodosius* in litteris ad Cyrillum Alexandrinum datis, quarum testimonium hoc nobis gravius esse debet, quod œcumenici concilii judicio probatæ sint, et in acta relatæ, non aliam juris sui rationem producebat, quam imperii vim à Deo sibi commissam. *Nostræ constitutio Reipublicæ ea, quæ in Deum est, pietate nititur*, ait (1), *multaque inter hanc et illam cognatio et confœderatio intercedit. Nam et se mutuo complectuntur, et utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem ut vera religio justa actione, ita Respublica utriusque ope nixa florescit. Quum itaque Deus imperii habenas nobis tradiderit; iisque, qui imperio nostro parent; pietatis et securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit: harum inter se societatem, providentiæ et hominibus medios nos præbentes, indivulsam perpetuo conservare contendimus; pietatique opitulamur ad Reipublicæ incrementum.*

Schol. I. Vidit hoc, ut fere omnia, Illustrissimus

(1) *Concil. Ephes. part. 1. cap. 19.*

Digitized by Google

de Marca in opere immortali *de concord. sacerd. et imperii lib.* 3. *cap.* 9. §. 8. *Ceterum*, scribit, *etsi formulæ pragmaticorum satisfecerimus, privilegiorum mentione injecta, sincerior mihi videtur hæc respondendi ratio, si mero* jure regio *in certis articulis, in aliis vero* jure patrocinii *et* tuitionis *Principes ad se quam plurima olim traxisse dicamus, quæ à summis Pontificibus perstricta non sunt; ab illis deinde aliquanto tempore cessasse, quum novis decretis sunt vetita: quorum cognitionem iterum resumpserint ad procurandam regnorum suorum ipsiusque ecclesiæ gallicanæ salutem; hanc vero possessionem sine ulla interpellatione summi Pontificis retinuerint ab aliquot sæculis, hodieque retineant. Quæ conniventia Sedis apostolicæ id maxime præstat, ut bona fide Principes in eo negotio tractando versentur, quod ad se pertinere non improbabili ratione putant: ita ut patientia illa, si necesse sit, vicem privilegii et dispensationis subeat, etiamsi in singulis speciebus privilegium exhiberi non possit.*

Schol. II. Quo jacto potestatis circa sacra fundamento, carere jam possumus illa quorumdam inutili sollicitudine, qua se torquent misere, ut ex Sedis apostolicæ diuturna conniventia præscriptionem sequi legitimam evincant, qua Principes jura sua longo tempore nemine interpellante exercita tueantur: imperii enim majestate tuti colore studiose quæsito non egent. Similiter autem nihil proficiunt illi, qui jura summis Principibus imperii potestate debita, et his conniventibus aut etiam insciis, à sæculis aliquot partim à Sede apostolica partim ab Episcopis vindicata, præscriptione immemoriali Ecclesiæ quæsita ingenti quidem studio contendunt, verum nihil apud eos profuturo, qui rectiora juris civilis principia edocti probe sciunt jura Majestati propria humanis præscriptionum institutis haudquaquam subjacere.

Digitized by Google

§. CXVI.

Ex quo fluit primum jus determinandi adiaphora.

Omnis autem Principum Christianorum circa sacra potestas triplici potissimum jure continetur. Atque primum quidem *jure ea, quæ neque naturali ratione neque revelatione certam formam habent, atque adeo ad Religionis christianæ substantiam non pertinent, ad eum modum determinandi, quem pax et salus civitatis necessario exigit.* Nam quæ sunt ejusmodi, hæc tamquam ad religionem *Christi* arbitraria, utro modo determinentur, ad salutem Christianorum internam nihil refert, permultum autem sæpe, si civilem felicitatem spectes. Atque hoc jam supra dedimus probatum, in rebus disciplinæ constituendis eum oportere servari modum, ut nihil decernatur civili populorum saluti contrarium. (§. XLI.) Cujus rei judicium quoniam ejus est dumtaxat, qui supremam in Republica potestatem obtinet: (§. CVII.) confectum est, in potestate Ecclesiæ non esse, arbitrariis ejus generis ritibus aliam formam tribuere, quam quæ cum salute civitatis amice conspirat; esse vero in potestate summi Principis non pati, si attentetur quidpiam, quod sit cum hujus detrimento conjunctum. Nam quæ, amabo, vel lex est, vel fingi necessitas potest, ut ritum urgeat Ecclesia cum publica utilitate pugnantem, dum salva fidelium beatitate aut abesse is omnino potest, aut ad eam formam inflecti, qua ex æquo utrique et Ecclesiæ et Reipublicæ consultum est? *Cœlestis civitas*, inquit S. Augustinus, *dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans, quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur*; nihil eorum rescindens

Digitized by Google

nec destruens, immo etiam servans ac sequens: *quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua unus summus et verus* Deus *colendus docetur*, non impedit. (§. VI.)

Corol. Ex adverso autem, si institutum quodpiam, respectu ad Rempublicam habito, prorsus est indifferens, pietatem vero ad virtutem adjuvare aptum, sua Ecclesiam in constituendo libertate frui patiantur Reges perinde æquum est. De Marca *lib. 2. cap. 6. §. 6.*

Schol. Hoc illud arbitror esse jus, quod clar. Scrodt *potestatem imperii civilis condirectivam* vocat, pariterque principibus vindicat *Instit. jur. canon. lib. 1. tit. 2. §. 112. At vero ex eo*, inquit, *quod potestas ecclesiastica intelligatur absque detrimento et diminutione imperii civilis, abunde elucescit, causas disciplinæ et politiæ in Ecclesia externæ non exemptas esse à jure regiæ inspectionis, ne per instituta ecclesiastica violentur jura et libertates status publici; immo referri ad* potestatem imperii civilis condirectivam, *quatenus hæ causæ cum statu et regimine politico connexionem habent: adeo ut leges ecclesiasticæ et speciatim bullæ pontificiæ disciplinares, qua mixtæ, non tantum ab auctoritate Ecclesiæ, sed ab imperio et approbatione Regum et Principum sæcularium suam vim obtineant.* Similiter etiam Rauttenstrauch jam ante docuit *Instit. jur. eccles. §. 62.*

§. CXVII.

Deinde jus supremæ inspectionis.

Alterum est *jus supremæ inspectionis, situm in potestate cognoscendi omnia, quæ in territorio civitatis à quocumque geruntur, dandique operam, ut ne quid ex iis Respublica detrimenti capiat.* Inter alia Majestatis

Digitized by Google

jura omnes, quod sciam, etiam jus supremæ inspectionis connumerant. Nec immerito (1). Nam quum summam hanc potestatem ideo Regibus à Deo commissam fuisse satis constet, ut populorum suorum felicitatem curent; officii vero istius explendi facultas nulla esse possit, aut perexigua, nisi, quæ geruntur in territorio, nota illi exploratàque teneant: sane quidem evidens est, jus simul cum officio datum Regibus exigere, ne quid clam ipsis in civitate fiat, ex quo aliquod in Rempublicam detrimentum possit promanare. Nosse vero quid agatur, noxam publicam oculis tenere, nec habere potestatem impediendi; hoc vero tam secum pugnans est, quam quod maxime. Utrumque igitur jus imperio civili inest. Et quoniam Christus, etsi Regum jura non auxerit, nec diminuerit tamen, (§. XXXVI.) extra omnem nobis controversiam positum esse debet, utramque hanc potestatem, recepta in territorium Ecclesia christiana, imperantibus integram servari illibatamque, tam cognoscendi scilicet quæ aguntur ab illa, quam vetandi pro auctoritate, ne omnino fiat quidquam, quod in Reipublicæ detrimentum possit redundare. (§. CXVI.)

Schol. Os hominis! tun' vero audes Christi Ecclesiam in hanc adducere suspicionem, quasi illa sit umquam factura quidpiam, quod nocere possit civitati? Immo vero id ego futurum numquam plane certus sum: sed (quod in aures tibi dictum esto) qui Christiano populo præsunt, singulos esse homines ajo, qui errare possunt, qui affectibus duci, qui servire cupiditati. In his hominum vitiis præcavendis oculatum ego Principem volo, non in periculo ab Ecclesia Christi impendente, quod nullum est. Nec valde moveor, si jus istud Principibus Christianis, ac cetera huic conjuncta erepta velis, hoc magis quod Puffendorffium *in libro de habitu religionis* doctrinæ istius auctorem exstitisse ferunt. Primum enim in hoc sane turpiter errant. Jus supremæ

(1) *Scheidemantel part. 1. cap. 6.*

Digitized by Google

nec destruens, immo etiam servans ac sequens: *quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua unus summus et verus* Deus *colendus docetur,* non impedit. (§. VI.)

Corol. Ex adverso autem, si institutum quodpiam, respectu ad Rempublicam habito, prorsus est indifferens, pietatem vero ad virtutem adjuvare aptum, sua Ecclesiam in constituendo libertate frui patiantur Reges perinde æquum est. De Marca *lib. 2. cap. 6. §. 6.*

Schol. Hoc illud arbitror esse jus, quod clar. Scrodt *potestatem imperii civilis condirectivam* vocat, pariterque principibus vindicat *Instit. jur. canon. lib. 1. tit. 2. §. 112. At vero ex eo,* inquit, *quod potestas ecclesiastica intelligatur absque detrimento et diminutione imperii civilis, abunde elucescit, causas disciplinæ et politiæ in Ecclesia externæ non exemptas esse à jure regiæ inspectionis, ne per instituta ecclesiastica violentur jura et libertates status publici; immo referri ad* potestatem imperii civilis condirectivam, *quatenus hæ causæ cum statu et regimine politico connexionem habent: adeo ut leges ecclesiasticæ et speciatim bullæ pontificiæ disciplinares, qua mixtæ, non tantum ab auctoritate Ecclesiæ, sed ab imperio et approbatione Regum et Principum sæcularium suam vim obtineant.* Similiter etiam Rauttenstrauch jam ante docuit *Instit. jur. eccles. §. 62.*

§. CXVII.

Deinde jus supremæ inspectionis.

Alterum est *jus supremæ inspectionis, situm in potestate cognoscendi omnia, quæ in territorio civitatis à quocumque geruntur, dandique operam, ut ne quid ex iis Respublica detrimenti capiat.* Inter alia Majestatis

Digitized by Google

jura omnes, quod sciam, etiam jus supremæ inspectionis connumerant. Nec immerito (1). Nam quum summam hanc potestatem ideo Regibus à Deo commissam fuisse satis constet, ut populorum suorum felicitatem curent; officii vero istius explendi facultas nulla esse possit, aut perexigua, nisi, quæ geruntur in territorio, nota illi exploratáque teneant: sane quidem evidens est, jus simul cum officio datum Regibus exigere, ne quid clam ipsis in civitate fiat, ex quo aliquod in Rempublicam detrimentum possit promanare. Nosse vero quid agatur, noxam publicam oculis tenere, nec habere potestatem impediendi; hoc vero tam secum pugnans est, quam quod maxime. Utrumque igitur jus imperio civili inest. Et quoniam Christus, etsi Regum jura non auxerit, nec diminuerit tamen, (§. XXXVI.) extra omnem nobis controversiam positum esse debet, utramque hanc potestatem, recepta in territorium Ecclesia christiana, imperantibus integram servari illibatamque, tam cognoscendi scilicet quæ aguntur ab illa, quam vetandi pro auctoritate, ne omnino fiat quidquam, quod in Reipublicæ detrimentum possit redundare. (§. CXVI.)

Schol. Os hominis! tun' vero audes Christi Ecclesiam in hanc adducere suspicionem, quasi illa sit umquam factura quidpiam, quod nocere possit civitati? Immo vero id ego futurum numquam plane certus sum: sed (quod in aures tibi dictum esto) qui Christiano populo præsunt, singulos esse homines ajo, qui errare possunt, qui affectibus duci, qui servire cupiditati. In his hominum vitiis præcavendis oculatum ego Principem volo, non in periculo ab Ecclesia Christi impendente, quod nullum est. Nec valde moveor, si jus istud Principibus Christianis, ac cetera huic conjuncta erepta velis, hoc magis quod Puffendorffium *in libro de habitu religionis* doctrinæ istius auctorem exstitisse ferunt. Primum enim in hoc sane turpiter errant. Jus supremæ

(1) *Scheidemantel part. 1. cap. 6.*

Digitized by Google

inspectionis pars est præcipua *juris territorialis*, quod nemo civilis philosophiæ gnarus non fatetur jus esse Majestati internum, cui religio christiana nihil penitus detractum vult. Deinde cave, ne si erroneum dicas omne, quidquid à Protestante scriptum est, idque ideo quia scriptum est à Protestante, eveniat tibi, quod multis accidisse memini, ut te ridendum suaviter prudentioribus exhibeas.

§. CXVIII.

Et jus advocatiæ ecclesiasticæ in rebus fidei.

Addo his *jus advocatiæ*, quam vocant, *ecclesiasticæ*, seu tutelæ ac defensionis publicæ, quæ quidem patet quam latissime. Hujus enim vi Reges ac Principes Christiani, etsi in rebus fidei judicandis interpretandisque nullas sibi à *Christo* relictas partes satis norint, (§. LXXIX.) ac nec eam quidem, quam eis solam *Maichelus* vindicat (1), doctrinam publicam determinandi auctoritatem usurpent; non possunt tantum, verum etiam tenentur (§. CX.) cultum veri Dei omni, quo per naturam religionis licet, modo promovere, impedimenta ejus in Republica removere, dogmata ab Ecclesia definita populis sibi creditis proponere (2), ea pro auctoritate tueri. Quæ si qui contempta Ecclesiæ auctoritate pertinacius impugnant, eaque re dissidio malisque moribus occasionem subministrant, eos justa etiam coërtione compescere (3), aut abesse jussos patriis laribus (4), inque aliam regni provinciam traductos (5) removere procul à consortio integræ partis, ne disjunctis religione animis

(1) *Diss. de jure Princ. circa doctr. publ.* §. 26.
(2) *Caus.* 23. *quæst.* 3. *can.* 41.
(3) *Muratorius de ingen. moderat. lib.* 2. *cap.* 11. *et* 12.
(4) *Vid. Henniges de Imper. potest. circa sacra cap.* 5. §. 3.
(5) *Ickstardt diss. de jur. transpl. subdit. tom.* 1. *opusc.* 5.

Digitized by Google

parum cohæreat sociale vinculum, quo interna civium securitas præcipue continetur (1): nisi aliud suadeat publicæ necessitatis dura lex, quæ sæpe etiam quod minime probes tolerare jubet humaniter et illæsa conscientia (2); sed tolerare tamen ad eum modum, ne justi tolerantiæ limites ultra, quam par est, in immensum proferantur, ut sapienter ex *Buddeo* monet *Barthelius* (3): *Tolerandi sunt dissentientes*, ajens, *ita tamen, ut veritati inde nullum creetur periculum, et qui nostræ curæ concrediti sunt, in discrimen amittendæ salutis æternæ non conjiciantur: tolerandi sunt, non tamen statim facultas impie et pro lubitu errores disseminandi illis est concedenda: tolerandi sunt, simul tamen in viam veritatis ea, qua decet, ratione revocandi. Dabit ergo operam, quantum fieri potest, quisquis imperii habenas tenet, ut veritatis et charitatis communionem in religione vel sartam tectam servet, vel ex zelo secundum scientiam et prudentiam eamdem inter subditos reducat; libertatem vero effrænem ultra terminos Reipublicæ et Ecclesiæ positos evagari non patiatur, quo non tantum eos beatos in civili vita, sed etiam æternæ beatitudinis faciat consortes.*

Schol. Quemadmodum promiscuam de religione sentiendi facultatem tam Ecclesiæ quam Reipublicæ perniciosam esse, res ipsa per se docere quemque satis potest, ut immerito reprehendantur Principes, qui, qua possunt ac licet ratione, hanc credendi, ut libet, impiam libidinem coërcent; ita alienum semper à spiritu Ecclesiæ, et carentem scientia zelum existimavi eorum, qui in revocandis in sinum Ecclesiæ subditis nihil nisi arma et vim clamitant. (§. LXIX. LXX.) Cujusmodi ingenii turpis fœtus, tamquam insignis ad deformitatem puer non inique olim è medio sublatus, est libellus anc-

(1) *Hennig. loc. cit.*
(2) *Barthel de eo, quod justum est circ. libert. relig. cap.* 12.
(3) *Loc. cit.*

Digitized by Google

tore *Jo. Damiani* Budæ editus, quo vir hic (immemor haud dubiæ præcepti illius divini: *Ex hoc cognoscent vos, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*) demonstrare conatus est, *quod Principes, Magistratus et Dinastæ romano-catholici habita occasione et opportunitate possint ac debeant, acatholicos in suis ditionibus commorantes cogere etiam mediis extremis, quoties mitiora non possunt, ad amplectendam veram et unice salvificam romano-catholicam fidem.*

§. CXIX.

Et in negotiis disciplinæ.

Haud minus otiosa est Principum advocatia in munienda Ecclesiæ tam potestate quam disciplina. Sicut enim officii esse sui vere existimant, securam eam à vi atque injuria præstare, jura ejus ac privilegia intacta conservare, auctoritatique illius, quoties exsecutione indiget ac pudlico auxilio, suam adjungere, ut, *quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet* disciplinam, *cervicibus superborum potestas Principalis imponat* (§. CX.); ita præcipuo etiam quodam studio ecclesiasticam disciplinam prosecutos legimus piissimos Imperantes. Confirmabant canones ab Ecclesia conditos, publicisque legibus muniebant: (§. XLIX.) oblivione aut contemptu sepultos restituebant: tollebant abusus, ac reformabant severam Patrum disciplinam, aut aperte impetentes, aut emollientes sensim enervantesque. Nec patiebantur facile pie à majoribus ac sapienter instituta, vel usu diuturno tamquam in jus regni proprium recepta, novis, invicto populo ac se in consultis, labefactari constitutionibus: iniquum existimantes, mores, quibus diu adsuevit, ut deserat, populum Christianum sine justa causa cogi, aut sine suo adsensu mutari disciplinam

Digitized by Google

quæ publice recepta in legem abit civilem, regiæ non minus quam sacræ potestati subjectam.

Schol. Conf. Petrus de Marca *de conc. sacerd. et imp.* præcipue *libro* 2. *et* 3. *Non soluni interpellati* (inquit *lib.* 2. *cap.* 10. §. 1.) *et rogati Principes ministerium suum ad canonum observationem commodare possunt, sed etiam ex officio in eam curam incumbere tenentur::: Ad quæ officia Principes adigi putamus, non ex eo tantum capite quod ea ad felicitatem imperii conducant, quæ quidem ut plurimum cum illis est conjuncta, sed ex eo etiam quod nomen suum Christo dederint, eique caput suum et ipsam regiam dignitatem devoverint.* (§. CXI.) Et rursus *lib.* 4. *cap.* 11. §. 3. *Tanta vero et tam diligens cura à Principibus adhiberi debet custodiæ canonum, ut potiorem legum ecclesiasticarum quam civilium rationem habere debeant, ut monet Justinianus in præfatione Novellæ* 137. Unde paulo etiam commotior quærit Claud. Pericæus *in epistola ad Tit. cap.* 3. *Si Principum nihil interest rerum sacrarum, cur de negotiis ecclesiasticis in Codice, in Novellis tot augustæ leges atque constitutiones? tot in nostris et omnium Christianorum annalibus edicta regia? tot sæcularia consulta?* Nec per abusum hæc malamque usurpationem facta ab iis dicat quispiam: non enim *decet quemquam dicere* (ait Card. Cusanus *lib.* 3. *conc. cath.*) *sanctissimos Imperatores, qui pro bono Reipublicæ de electionibus Episcoporum et collationibus beneficiorum et observatione religionis multas sacras constitutiones ediderunt, errasse; et ita statuere non potuisse: immo legimus Romanum Pontificem eosdem rogasse, ut constitutiones pro cultu divino, pro bono publico etiam contra peccatores de clero ederent.*

§. CXX.

Salva civium libertate.

Ita vero defendendæ Antistitum auctoritati operam impendant Reges necesse est, ut civium suorum capita, fortunas, existimationem tuta simul præstent, adversus abusum sacræ potestatis. Abutentibus enim potestate sua Prælatis ecclesiarum vel contra naturalem æquitatem vel contra receptos lege canones, nihil impedit quo minus Regum implorare auxilium ii possint, qui vim et injuriam patiuntur; exemplo *Pauli* auxilium *Cæsaris* implorantis adversus injuriam, quam à *Festo* metuebat, ut *Augustinus* docet (1); *Athanasii*, qui à synodo Tyria per summum nefas absens damnatus *Constantinum* adiit, rogans ut ipse aut per se aut per novam Episcoporum synodum causam innocentiamque suam examinaret (2); *Joannis Chrysostomi* à *Theophilo* in synodo ad *Quercum* iniquissime condemnati, et *Arcadium Imp.* exorantis, ut vim sibi contra canones illatam auctoritate sua prohiberet (3). Causam juris reddit *Eunomius* Episcopus Nicomediensis in libello ad Imperatores, qui in concilio Chalcedonensi lectus, et in acta synodi relatus est: *Deus vobis regnum*, inquiens, *et omnium rerum imperium ad salutem orbis terrarum et pacem sanctarum Ecclesiarum juste donavit:::: Unde prosternimus nos majestatis vestræ vestigiis, ut jubeatis arceri injustitiam, quæ adversum nos à Reverentissimo Episcopo Nicæno* Anastasio *est præsumpta* (4). Similiter *Eusebius* Episcopus Dorylaei in libello ad eosdem Imperatores: *propositum est*, ait, *clementiæ ves-*

(1) *Epist.* 185. *n.* 28.
(2) *Natalis Alexand. sæc. IV. diss.* 21.
(3) *Constantius in epist. Rom. Pontif. pag.* 779.
(4) *Tom.* 2. *concil. Hard. pag.* 563.

Digitized by Google

tiæ, universis quidem sibi subditis providere, et manum porrigere omnibus injuste oppressis, præcipue tamen fugentibus sacerdotio: in hoc divinitati placentes, à qua vobis imperare et dominari sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa et dira:::: sumus perpessi à Reverentissimo Dioscoro Alexandriæ magnæ civitatis Episcopo, adimus vestram pietatem supplicantes justitiam promereri (1). Quare mirari soleo *Cœlestinum Sfondrati* virum utique non ineruditum, qui audacter hoc jus novum et nuper admodum *mala fide usurpatum* ausus est adfirmare (2), cujus exstant tam antiqua tamque illustria testimonia. Nomen novum est, fateor, at res ipsa vetustissima; nec Gallis tantum et Hispanis, sed omnibus regnis catholicis usitata: tametsi non ubique *appellationis tamquam ab abusu*, ut Gallis, aut ut Hispanis, *recursus ad Principem* nominibus usurpetur. Libertati vero ecclesiasticæ qui hoc jus adversari contendunt, ii non videntur meminisse, nullam esse posse in abutendo libertatem. Abusus non libertatis est, verum licentiæ, cujus reprimendæ si quis auferre Principibus potestatem contendat, *statim, non quidem sero comperiet experimento manifestissimo*, inquit Covarrubias, *quantum calamitatis Reipublicæ invexerit. Pract. Quæst. cap. 33. pag. m. 213.*

Schol. Conf. Petrus de Marca *de conc. sacerd. et imp. lib. 4.* Hieronymus de Cævallos *de cognitione per viam violentiæ in causis ecclesiasticis.* Carolus Fevret *de abusu.* Van-Espen *concordia immunit. eccles. et juris regii.* Alii.

§. CXXI.

De aliis remissive.

Atque hæc de potestate Principum Christianorum

(1) *Ibid. pag.* 70.
(2) *Gall. vind. diss.* 3. §. 2. *pag.* 586.

circa sacra, ejusque causa et origine generatim dicta, sumpto. Singula enim, quæ huic potestati insunt jura, innumera prope sunt, nec in hac systematis parte evolvenda. Reliquum est, ut quæ sit potestatis sacræ ad civilem relatio, quive utramque limites contineant, paucis, sed quantum fieri potest dilucide, exponamus.

CAPUT III.

DE LIMITIBUS UTRIUSQUE POTESTATIS.

§. CXXII.

Concordia Sacerdotii et Imperii studiose colenda est.

Duplex est in orbe suprema potestas, per quam unaquæque Christianorum Respublica regitur, *Sacerdotium* et *Imperium*: (§. LXXVIII.) quorum illud divinis se ministeriis impendit, vitæque futuræ beatam æternitatem curat; (§. VI.) hoc statum Reipublicæ componit, et civilis societatis tranquillitatem vitæque præsentis felicitatem tuetur ac promovet. (§. XCIII.) Utraque à *Deo* instituta, utraque summa est, (§. LXXIX.) et soli *Deo* subjecta in his, quæ sui juris sunt: (§. XCVI.) personis, muneribus, negotiis à *Christo* disjuncta, (§. LXXVI.) et suis porro unaquæque limitibus circumscripta, quibus studiose conservandis populorum felicitas potissimum continetur. *Maxima quidem*, inquit Justinianus Imp. (1) *in hominibus sunt dona* Dei *à superna collata clementia, Sacerdotium et Imperium; et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens: ex*

(1) *Novell.* 6.

Digitized by Google

uno eodemque principio utraque providentia humanam exornant vitam. Ut autem ad conservandam regnorum tranquillitatem nihil est concordia sacerdotii et imperii validius, nihil optatius; ita nihil facile ad eam perturbandam dissidio eorum pertinacius esse potest, nihil ad memoriam tristius. Itaque summo sibi studio enitendum esse arbitrati sunt doctissimi quique prudentissimique viri, ut designarent limites utrique potestati à Patribus constitutos, quibus ea, qua par est, religionis custodiendæ pace, colamus inter nos concordiam, quam religionis nostræ auctor *Christus* toties discipulis suis commendavit.

Senior. Difficile est, fateor, controversos diu et minutim quamoperè confusos limites dirimere. At sunt tamen characteres quidam, sunt quædam tanquam vestigia à majoribus haud obscurè expressa, et incredibili labore, judicio admirabili ab Illustrissimo de Marca ex omni pene antiquitate collecta, quæ si seposito partium contentioso studio, abjectisque præjudicaturum opinionum perniciosis commentis, æqui constanter placet, transigi fortasse lis isthæc non infeliciter potest. Tentavit Lochtenius nostra ætate, et si quid judicare ego de his rebus possum, tentavit egregia cum laude et ingenii et doctrinæ, descriptis haud multis observationibus omnem penitus tollere controversiam. Quo, si quis docuerit rectiora, sequar: tantispernhuic viro adhærendum censeo.

CXXIII.

Limites utriusque potestatis ex diversitate finium.

Actionum humanarum omnium finis est *vera felicitas*, eaque duplex, *æterna* una potestati sacræ proposita, *altera temporaria*, quam potestas civilis procurat. CXXIII. Possunt itaque omnes cujusvis ho-

minis actiones, qui civilis simul societatis membrum est, duplici cum relatione spectari. Referri primum scilicet possunt ad *salutem* hominis *internam*, quo respectu solius est ecclesiasticæ potestatis de iis judicare, eas formare legibus, harumque contemptorem Christianum consentaneis rei naturæ pœnis ad obsequium præstandum flectere. (§. LXV.) Easdem vero actiones quum ad *civilem* populi *salutem* referuntur, civilibus legibus attemperari necesse est, ejusque unius arbitrio subjici, qui summa cum potestate Reipublicæ præest. (§. XCV.)

Schol. Itaque nihil vetat quo minus potestas tam sacra quam civilis, sub diversa tamen relatione, in eadem actione Christiani hominis et dirigenda legibus et pœnis vindicanda concurrant, quin sit necesse, alteram in alterius transire fines. Aptis rem exemplis illustravit Lochstein. *part.* 2. *cap.* 2. §. 3.

§. CXXIX.

Mediorum.

Ex finium diversa indole mediorum nascitur diversitas, per quæ ad suum utraque potestas proprium sibi scopum contendit. (§. VI.) Etsi enim nec profana media ad continendos in officio Christianos prorsus inidonea sint, et religionis eximia vis sit in firmanda civili populorum felicitate; sæpeque censurarum sacer horror, quod pœnæ civilis metus non potest, atrocissimum arcet, facinus: fallit tamen quisquis vel clavium potestatem Ecclesiæ à *Christo* traditam civitati adjudicare, vel temporales pœnas infligendi jus proprium civitate contra majorum traditionem ad Ecclesiam transferre nequidquam conatur. (§. LXVIII. seqq.) Adjuvare altera alteram potestas debet in procuranda humani generis felicitate; erepta alteri jura sibi vindicare non debet. Christus *memor fragilitatis humanæ*, inquit Gelasius P., *quod suo-*

Digitized by Google

rum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, si actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque diserevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut et Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur :::: ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. (§. LXXIV.)

Schol. Lochstein *loc. cit.* §. 6.

§. CXXV.

Statuum.

Ut actionum (§. CXXIII.) ita etiam personarum in Republica christiana existentium alia est atque alia relatio, et pro varietate istius varia subjectio. Omnis enim Christianus civili in societate constitutus *Ecclesiæ* simul ac *civitatis* membrum est: ac proinde utriusque simul potestati suo modo subest, et utrique, quibus in rebus debet, obedientiam præstat, *Cæsari* dando quæ sunt *Cæsaris*, et quæ sunt *Dei*, *Deo*. (§. LXXVIII.) Et quamquam personarum ecclesiasticarum arctior sit quam ceterorum cum Ecclesia conjunctio propter ministerium, cui se addixerunt voto, civium tamen in numero minime esse desinunt: neque enim ministerii a *Christo* instituti ea natura est, ut cum officio boni civis conjungi commode non possit (1). Utut igitur in sacri muneris functionibus obeundis Episcopi arbitrio atque Ecclesiæ canonibus potissimum regantur, in ceteris tamen humanæ vitæ negotiis jure reliquorum civium communi utantur necesse est, colantque majestatem Regum suorum, quibus eos haud minus quam sæculares subditos

(1) *De Marca lib. 2. cap. 7.*

Digitized by Google

esse oportere ex *Paulo* docuit *Joan. Chrysostomus.* (§. CI.)

Schol. Lochstein *loc. cit.* §. 4. *et* 7. Justinianum Imp. reprehendit de Marca, quod de sacræ liturgiæ ritibus constitutionem ediderit, qua mystica verba consecrationis Eucharistiæ elata voce, non autem demissa, ut solemne erat, proferri jubet; eo quod de ritu sacrificiorum decernere tentet, quæ pars disciplinæ solis sacerdotibus competit *lib.* 2. *cap.* 6. §. 6. Sed non minus præfinitos à Christo limites prætergressus videtur Innocentius III. dum ministros Ecclesiæ sua voluit auctoritate ab omni Principum suorum imperio exemptos. (§. CVII.)

§. CXXVI.

Bonorum.

Non magis arduum fuerit æquos definire limites juris in *bona ecclesiastica*, si modo patientem veri animum adferre volumus, et rem ex se, non ex nostra cupiditate æstimare. Rerum ecclesiasticarum duo possunt distingui genera: unum earum est, quæ ad cultum *Dei* externum omnino necessariæ sunt, veluti templa, altaria, calices, et si quæ sunt alia his similia: alterum vero illarum, quæ alendis Ecclesiæ ministris, parandoque ornatui addicta sunt, ut decimæ, prædia, domus, alia. *Illæ*, tamquam *Deo* sacræ Ecclesiæ directioni relictæ sunt, neque extra casum impendentis publicæ necessitatis in alios usus convertendæ. At, quæ res ex genere sunt posteriore, eas imperio civili quis subduxit? Etsi enim Ecclesiæ bona sint propria, etsi alendis ejus ministris pauperibusque destinata, num ob id minus quam aliorum in territorio civitatis sita bona eminenti ejus juri obnoxia sunt? (§. CVII.)

Schol. Lochstein *loc. cit.* §. 8. Opposuit quidem Lochsteinio dissertationem bene longam Ansel. Molitor alio jam loco à nobis citatam, sed multa disserendo nihil proficit. Æquior est Antonius Schmit, *Instit. jur.*

Digitized by Google

eccles. tom. 1. *cap.* 2. *sect.* 2. *art.* 2. nec is tamen scholasticorum nuper receptis præjudiciis, tametsi callide tectis, vacuus.

§. CXXVII.

Objecti.

Liquidiores sunt ceteris, et à veteribus luculentius expressi limites, quibus duas istas potestates *objecti*, circa quod versantur, natura circumscripsit. Videntur autem his posse regulis commode comprehendi. (I) *In iis omnibus, quæ sunt mere spiritualia, libero Ecclesia atque independente jure gaudet*, perinde ut (II.) *temporalia omnia soli in Republica summæ potestati subjiciuntur.* (§. XCV. LXXIV.) Quod si qua sunt per se quidem profana, arbitrario tamen nexu cum spiritualibus cohærentia, *ea* (III.) *mixti fori negotia sunt habenda, atque ideo utrique potestati ex æquo subjicienda*, repudiata illa canonistarum vulgata quidem, sed inepta regula: *spirirituale* tamquam nobilius trahit post se *temporale*: qua egregie illi sæpe abusi sunt (1). Ex quo consequens est (IV.), *ut in utriusque Imperantis potestate sit positum sancitis pro auctoritate legibus certam iis formam præscribere*, ita ut (V.) *canones ab Ecclesia de hoc genere negotiorum conditi tum demum vim publicæ legis sortiantur, cum civilis Imperantis confirmatio accesserit.* Si demum (VI.) his omnibus pacato studio expensis orta de jure quæstio dirimi minime ipossit, *non armis nec censuris, sed amico utriusque Principis consensu expedienda est.* Quæ sopiendarum hujus generis litium ratio non modo humanitati magis congrua, et saluti populorum securitatique magis utilis, verum etiam præcepta est; quippe quæ sola religionis christianæ lenitati consentanea est, sola consentiens mansuetudini Ecclesiæ. Quæ *S.*

(1) *Lochstein. loc. cit.* §. 1. 2.

Digitized by Google

Ambrossii exemplo edocta *dolore* quidem *potest*, *potest flere*; *adversus arma*, *milites*, *lacrymæ ejus arma sunt: talia enim sunt munimenta sacerdotum*; *aliter nec debet, nec potest resistere.* (§. C.) Meminerint autem Reges quoque ac Principes hujus mundi, *sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles Principes*, *sive solvatur. Deum ab eis exacturum rationem*, *qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* (§. CX.)

Schol. Lochstein *loc. cit.* §. 9. *seqq.* Ill. de Riegger *Instit. jurisp. eccles.* §. 352. *seqq.*

§. CXXVIII.

Conclusio.

Atque hæc sunt, *amici*, quæ de Ecclesia à *Christo* instituta, de potestate illius ac regimine, hujusque ad civile regimen habitu, meo more explicare generatim vobis apud animum meum constitui. An id, quod unice intendebam, ut, qui me vobis ducem in hoc studio elegistis, haberetis, quod in tam ancipiti argumento tuto sequi possitis, adsequutus sim, adfirmare, etsi velim, non audeo. Conabar id quidem certe. Sed abfuerunt multa et abfuerunt non mea culpa, quibus instructum largiter doctorem esse oportet, qui in hac studii istius parte versari cum aliqua nominis sui commendatione desiderat. In his subsidiorum tantis angustiis vereor, ne ignoranti exciderint non pauca, quæ emendatione egeant. Nec deerunt alia, quæ dici concinnius, plura, quæ alio loco dici potuerint: sed vos quidem spero faventes me habiturum judices.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google